

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.
Серія II — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III

EPISTOLAE

METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM

LEONIS KIŠKA
ATHANASII SZEPTYCKYJ
FLORIANI HREBNYCKYJ

1714-1762

COLLEGIT, PARAVIT ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1959

PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS REV.MI DOMINI JOSEPHI MALYCKYJ
IN HONOREM EXCEL.MI ET ILL.MI D. GREGORII CHOMYŠYN,
EP. STANISLAOPOLITANI

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Sectio III:

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE

EPISTOLAE METROPOLITARUM, ARCHIEPISCOPORUM
ET EPISCOPORUM

vol. IV.

EPISTOLAE METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM
LEONIS KIŠKA, ATHANASII SZEPTYCKYJ, FLORIANI HREBNYCKYJ
(1714-1762)

LIBERALITATE REV.MI DOMINI JOSEPHI MALYCKYJ
IN HONOREM EXCELL.MI ET ILL.MI D. GREGORII CHOMYŠYN,
EP. STANISLAOPOLITANI

ROMAE

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

EPISTOLAE

METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM

LEONIS KISKA
ATHANASII SZEPTYCKYJ
FLORIANI HREBNYCKYJ

1714-1762

COLLEGIT, PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1959

PP. BASILIANI · PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS REV.MI DOMINI JOSEPHI MALYCKYJ
IN HONOREM EXCEL.MI ET ILL.MI D. GREGORII CHOMYŠYN,
EP. STANISLAOPOLITANI

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 28. IV. 1959

P. PAULUS P. MYSKIV
Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 2. XII. 1959

✠ ALOYSIUS TRAGLIA
Archiepus Caesariensis, Vicesgerens.



GREGORIUS CHOMYŠYN - EPISCOPUS STANISLAOPOLITANUS

(* 1867 - ord. 1893 - cons. 1904 - † 1946)

EPISCOPO . STANISLAOPOLITANO
GREGORIO . CHOMYŠYN
FIDEI . CATHOLICAE . PRIMATUSQUE . ROMANI . CONFESSORI
DECIMOTERTIO . IN COMPEDIBUS . AB OBITU . ANNO
SEPULCHRALIS . LAPIDIS . LOCO
TERRIGENA . SACERDOS . EXSUL
OLIM . CANADENSIS . REGIONIS . NUNC IAM . COELORUM . INCOLA
JOSEPHUS . MALYCKYJ
VOLUMEN . HOC . DOCUMENTORUM
IN MEMORIAM
DICAT

PRAEFATIO


Anno 1946, in carceribus Ucrainae, propter fidem catholicam Primatusque Romani Pontificis professionem, Episcopus Stanislaoopolitanus, seniculus quasi octuagenarius, Gregorius Chomyšyn, de terrenis ad caelestia evolavit, expletis plus quam XLII annis pontificalis curriculi. Non nobis constat ubi eius venerandum positum est sepulchrum. Memoria tamen eius apud populum fidelem sacerdotesque eius, ubicumque terrarum dispersos, semper viva manet manebitque. En argumentum hocce nostrum volumen documentorum romanorum in eius memoriam dicatum, ab eius olim in ministerio sacerdotali socio consiliorumque archipastoralium particeps, Parocho Boršdivensi et Decanatus Kudryncensis Vicesgerenti, nec non Summi Pontificis Pii PP. XI secreto Camerario. Qui, plus quam sexagenarius, expletis XXXV annorum ministerii sacerdotalis munitis, patria exsul, Canadensis regionis longinquas coactus fuit petere oras, ut Christo, Ecclesiae fidelibusque ucrainis, per orbem terrarum dispersis, ultimos vitae suae dicare posset annos, in provincia praesertim Winnipegensi. Hic, expletis aliis duobus lustris ministerii sacerdotalis et pastoralis, tandem amaritudine exsilii percussus, laboribus fractus, annisque onustus (nat. an. 1884), ultimos hosce annos meditationibus dicavit, ad coeleste iter melius securiusque ingrediendum. Hisce sane ultimis mensibus, dum vitam suam memoria percurrebat, in animum sibi induxit, ut suo Archipræsuli, Confessori Christi monumentum « aere perennius » erigeret unico sibi possibili modo.

Nostra ex parte, eius desiderio occurrendo, nostram obtulimus operam, pari ducti intentione et proposito. Collatis itaque opera et opibus, monumentum « aere perennius » memoriae meritissimi de Ecclesia et Patria Praesulis ereximus. Sed, Deo sic disponente, Rev. mus interea Iosephus Malyckyj ad caelestia transmigravit, non multis abhinc diebus. Opus feliciter caeptum ad finem perducendo, onus nobis impositum censuimus hic etiam eius memoriae quaedam adiungere, quae vere eius personam extollunt et honorant. Imprimis memoriae tradi intendimus eius fidelitatem Christo, eiusque in terris Ecclesiae deditionem nec non Christi in terris Vicario proprioque Episcopo devotionem, verbo, opere et exsilio manifestam.

Ecce brevis huius voluminis, quarti in serie Epistolarum Metropolitanarum Catholicorum Kioviensium, historia. Speramus fore, posteritatem nostram egregio huic Sacerdoti debitam gratitudinem pandituram, eiusque liberalitatem alios inventuram sectatores ad maiorem Ecclesiae nostrae gloriam et notitiam.

Suum cuique dare parati, ex altera parte notare debemus, nos in nostra hac collectione litterarum Metropolitanarum nulli alii ex investigatoribus Archivorum romanorum quidquam debere. Non nostra culpa tentamina et conamina praedecessorum nostrorum, documenta romana Ecclesiam catholicam in terris Ucrainae spectantia colligendi edendique, in vanum abierunt. Nos in segetem aliorum nullomodo immisimus manum, prout quidam autumant vel suspicantur; imo, nostra sincera iuvenilis voluntas, ante duo lustra demonstrata, in laborem aliorum subintrandi continuandique duram passa est repulsam, nobis quidem moerentibus, sed nullomodo desperantibus. Quidquid abinde fecimus, soli Deo, benedictioni nostrorum Superiorum, liberalitati Benefactorum, cooperationi et collaborationi Confratrum nostrorum, incitamento nostrorum amicorum nec non nostrae debemus humilitati fragilitatique. Gratum proinde pandere his omnibus animum nec cessamus nec cessabimus. Deo gratias!

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ, OSBM



JOSEPHUS MALUCKYJ

(* 1884 - ord. 1910 - † 1959)

INTRODUCTIO

Quartum iam volumen *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum* non est necesse ut quadam speciali introducamus introductione. Nam et propositum nostrum et materiam et methodum iam satis aliis in voluminibus explicavimus.

Ideo novos tres Metropolitanas Lectori praesentando, notare adhuc debemus de romanis solummodo agitur eorum epistolis, quae in romanis asservantur Archivis. Exinde imago sat imperfecta activitatis singulorum Metropolitanarum oculis nostris obiicitur, nam solummodo eorum activitas et relationes romanae illustrantur, et hae nequidem perfecte, nam videnda sunt alia volumina, quae documenta etiamsi non manu, tamen iussu Metropolitanarum scripta continent. Sed et ex hac sat ieiuna collectione, quae obtineri potuit, negotia maiora huius temporis, non exclusis saepe etiam minutis, imo minutissimis, adumbrantur, annorum decursu evenientia.

Praeterea, ut unicuique patebit ex copia singulorum Metropolitanarum epistolarum, etiam character personalis singulorum hac in re maximum habuit influxum. Non omnes enim eodem modo de necessitate recursus romani sentiebant, plurimaque negotia propria metropolitana auctoritate resolvebant. Alii vero maiorem personalemque magis sentientes cum Sede Dicasteriisque Romanis coniunctionem, cum maiori fiducia et frequentia ad Sedem Apostolicam accurrebant, medelam malorum et iuvamen in necessitatibus et periculis Ecclesiae exquirentes.

Ex tribus Metropolitanis, de quibus agitur, speciali prolixitate gaudet Florianus Hrebnyckyj, praesertim ob suas longas relationes de statu Ecclesiae Metropolitanae et ob quaedam negotia, quae eius tempore agitabantur. Parcus vero apparet Athanasius Szeptyckyj, qui temporibus efflorescentiae Ecclesiam rexit Unitam, quae post Synodum Zamostianam incipit, qua in Synodo plurima negotia tum auctoritate synodali tum auctoritate Sedis Apostolicae resoluta fuerunt. Alia ex parte eius paucitas explicatur eo, quod ipse personaliter Curiam Romanam nunquam cognovit, ut de eius Praedecessore dicere debemus qui, ut Alumnus romanus de visu et propria experientia stylum s. d. Curiae notum habuit, quique libentius et frequentius ad Sedem Romanam recur- rebat.

In nostra collectione harum epistolarum quaedam documenta inveniuntur,

quae nonnisi per naturalem connexionem cum epistolis Metropolitanarum hic publici fiant iuris. Ea omittere non potuimus, ob meliorem intelligentiam negotiorum. Proinde, ne cuidam nostrae inadvertentiae id vertatur, nam scienter et conscienter hoc fecimus, rogamus et praesentibus notamus.

Momentum principale epistolarum in praesenti volumine publicatarum in eo praesertim consistit, quod periodum s. d. Synodi Zamostianae, eius nempe praeparationis, celebrationis nec non confirmationis et immediatae executionis compræhendit. Metropolita Leo Kiška iuste considerari potest autor Synodi Zamostianae (1720). Athanasius vero Szeptyckyj (1729-1746) est principalis eiusdem Synodi executor, tum ut Episcopus Leopoliensis, tum ut Metropolita Kioviensis. Florianus vero Hrebnyckyj Ecclesiam iam bene ordinatam regendam accepit, de qua tractant eius relationes de statu Eparchiae Metropolitanae et Polocensis. Sed plurimas alias controversias sustineri debuit defensionique iurium et privilegiorum attente incumbere, ne ab amicis vel inimicis Unionis minuerentur. Praesertim omnia argumenta contra transitum ad Ritus Latinum optime exposuit nec non alio in documento perplurimas iniurias obiectiones ex parte cuiusdam Anonymi retorsit. In genere, epistolae hae Metropolitanarum peroptime historiam Ecclesiae huius temporis illustrant et in quibusdam etiam complent.

Ut iam in aliis voluminibus notavimus, nostram editionem epistolarum Metropolitanarum non habere scopum biographicum singulorum Metropolitanarum, sed interest nobis solummodo fontium editionis, quorum opus habet nostra historiographia ecclesiastica, imo et civilis. Exinde etiam apparatus notarum et bibliographicus solummodo meliori intelligentiae singulorum documentorum, non vero plenae elaborationi historiographicae inservire contendit. Imo et difficultates, ex circumstantiis loci et temporis nostrae editionis provenientes nobis suadent, ne nimis in bibliographiam insistamus.

Praemissis igitur iam antea explicatis in aliis voluminibus imo et collectionibus nostrae editionis, non remanet, nisi ipsos Metropolitanas nobiscum calamo et atramento colloquentes audiamus.

GREGORIUS CHOMYSYN

Episcopus Stanislaoopolitanus

Notae biographicae

Natus anno 1867, die 24 Martii, in Hadynkivci (districus : Husiatyn, Ucraina Occidentalis).

Instructionem mediam et testimonium maturitatis in civitate obtinuit Tarnopoliensi.

Studia philosophico-theologica in Universitate Leopoliensi absolvit.

Sacerdos ordinatus die 18 Novembris 1893. Die vero 9 Decembris 1893 nominatus Coadiutor ecclesiae cathedralis Stanislaoopolitanae.

Lauream in theologia Vindobonae, in "Augustineo", obtinuit.

Annis 1899 - 1901 iterum Coadiutorem Stanislaoopolitanae cathedralis ecclesiae agebat, dein Administratorem Parochiae in Kolomyja.

Anno 1902 nominatus Rector Seminarii Leopolitani.

Die 16 Aprilis 1904 nominatus Episcopus Stanislaoopolitanus, consecratus vero Episcopus die 19 Junii 1904, eodemque die et anno in cathedra Stanislaoopolitana intronisatus.

Exinde in Cathedra Stanislaoopolitana plus quam quadraginta explevit annos archipastoralis activitatis, meritissimus de educatione Cleri, de vita religiosa et ecclesiastica restauranda et instauranda, de Eparchia melius ordinanda, de doctrina christiana ab erroribus perpurganda et propaganda apud omnes populi classes, de patria defendenda et a variis vitae communis et nationalis fallacii praecustodienda.

Tandem, plurimis amaritudinis lachrymis profusis, insectationibus ab amicis inimicisque sustentis, persecutionibus tempore bellorum perpeisis, die 11 Aprilis 1945 a Dei osoribus Ecclesiaeque Catholicae inimicis manu violenta e Sede sua detrusus, in carceres et vincula iniectus, Confessor Christi primatusque Romani Pontificis in Domino occubuit. Corpus laboribus contritum ignota cooperuit terra, anima vero, nunquam devicta, in coelestibus commoratur habitaculis. Quod sibi suisque die intronisationis promisit: violentiam subire, sed non cedere violentiae et nunquam tradere fidei principia, perfecit.

EPISTOLAE LEONIS KISZKA, METROPOLITAE KIOVIENSIS

(1714 - 1728)



LEO KISZKA, METROPOLITA KIOVIENSIS

LEONIS KISZKA BIOGRAPHIA

Lucas Leo Kiszka natus est anno 1663 in Kovel, in Volhinia, patre Georgio et matre Christina. Familia originem ducebat e Cholmšćyna, eratque conditionis nobilis. Iuvenis ingressus est Ordinem Basilianorum, ut videtur, Bythenii, ubi inveniebatur novitiatus Basilianorum. Studiis mediis absolutis in monasteriis Basilianorum, anno 1687, die 6 Decembris, iuvenis 24 annorum, sacerdos iam ordinatus, ingressus est Collegium Urbanum de Propaganda Fide, gnarus linguae ucrainicae, polonicae et latinae. Romae studuit theologiae usque ad annum 1691, quo anno discessit e Collegio et patriam reversus, in variis monasteriis Ordinis prima sacerdotalia obibat munia, secundum consuetudines Ordinis. Roma proficiscens, optimum tulit de se a suis Superioribus romanis testimonium: "Erat sacerdos morum optimorum, magni ingenii in scientiis addiscendis, in quibus multum profecit cum summa satisfactione Superiorum et magistrorum et bono exemplo pro condiscipulis suis; unde omne bonum de eo sperari potest" (adn. in Chronicis Collegii). Brevi post nominatus est Superior monasterii Polocensis, et iam anno 1698, in Capitulo Bythenensi, electus est Secretarius Ordinis ad latus Joachimi Kušelyč, Protoarchimandritae. Antea iam laborabat in monasterio Zyroviciensi (an. 1696), et Vilnensi (1697), ubi verosimiliter anno 1698 munus obibat Superioris quadriennalis, nam in Capitulo Bytheniensi participabat ut Superior Vilnensis. In Secretarium Ordinis advitalem electus, mox obtinuit Superioratum Polocensem (ante an. 1700). Ut talis, multum de iuribus et defensione ecclesiarum Polocensium curabat. Anno 1703, in Capitulo Novogrodecensi, diebus 28 Augusti usque 8 Septembris, electus est in Protoarchimandritam seu Superiorem Generalem Ordinis ad quadriennium, temporibus pro Ecclesia et Ordine difficillimis, ob persecutionem ex parte Moscoviae et Cari Petri I saevientem, qui anno 1705 plurimos monachos Basilianos tum Polociae tum alibi interemit. Electus in Protoarchimandritam, ipso facto devenit Superior monasterii Berezvecensis, ubi tunc temporis residentia de facto inveniebatur Protoarchimandritarum. Ante finem primi turni protoarchimandritalis, electus est anno 1708, die 10 Novembris, in Archimandritam Suprasliensem, quo in monasterio inter alia opera duratura typographiam in novam redegit formam. Propter eius capacitatem, ingenium, zelum et virtutes, nec non merita, in Capitulo sequenti, an. 1709 in Bila celebrato, reelectus est in Protoarchimandritam Ordinis ad aliud quadriennium. Occasione renovationis Hierarchiae unitae a novo Metropolita Georgio Vynnykyj peractae, Kiszka nominationem obtinuit ad Eparchiam Volodimiriensem et Berestensem an. 1711, retento etiam Superioratu generali in Ordine Basiliano usque ad finem turni quadriennalis. Revera, anno 1713, in Capitulo Vilnensi, diebus Julii celebrato officium Protoarchimandritae deposuit, ut sese plene Eparchiae suae dedi-

care possit. Sed mox, Metropolita Kioviensi et Episcopo Peremysliensi, Georgio Vynnyckyj, mense Septembri 1713 vita functo, Leoni haereditas defuncti commissa est administranda tum in Eparchia Metropolitana tum Peremysliensi. Dotes et virtutes eius mox ei vota totius Hierarchiae unitae in electione Metropolitanae procurarunt unanimia. In Metropolitanam unanimiter electus, a Rege praesentatus et Romae confirmatus (1714), iam anno proximo 1715 de Synodo Provinciali congreganda cogitare conarique cepit. Revera mox, die 20. III. 1716, Breve Clementis PP. XI de Synodo congreganda accepit, sed usque ad annum 1720 praeparationes necessariae eventum hoc saeculare procrastinare fecerunt. Tandem anno 1720, die 26 Augusti, praesidente Nuntio Apostolico Hieronymo Grimaldi, opus vitae eius initium Zamostiae habuit, Synodus nempe Provincialis Ruthenorum, qua tota disciplina Ritus Rutheni codificata est. Synodo peracta, de eius apostolica approbatione et executione enixe curabat. Proinde editioni librorum liturgicorum, catechismi, instructionis parochorum manum apposuit propriam; omnia impedimenta unioni omnium monasteriorum amoveri studuit; anno 1724, Brevis confirmationis Synodi obtento, illam in tota provincia ecclesiastica Kioviensi promulgare curavit. Hisce operibus et occupationibus omnes vires suas dedit ita, ut iam anno 1727 gravamina valetudinis sentire cepit quam maximas. Proinde de Successore digno curare cepit: primum oculos in personam Archiepiscopi Polocensis Floriani Hrebnyckyj convertit, pro Coadiutore cum futura successione assumendo. Sed eo Romae in negotiis Ecclesiae suae morante, aetateque et infirmitate ingravescente, Athanasium Szeptyckyj, Episcopum Leopoliensem sibi ad latus assumpsit haereditatemque metropolitanam curandam et defendendam post obitum suum commisit. Obiit, senio onustus, mense, ut videtur Septembri, die 9/19, anno 1728, in bonis metropolitanis in Kupieczow, prope Volodymyr in Volhinia, ubi et sepultus est.

Vita eius optimum perhibet testimonium, quod spes de eo a Superioribus romanis concepta, non erat fallax. Vir magnus, pius et zelo ardens. Disciplinae monasticae in se aliisque augendae studuit, cuius summa custodia temporibus difficillimis ei commissa erat. Educationi inventutis curabat et procurabat tum in scholis patriis tum exteris; iura, privilegia, integritatemque ecclesiarum, bonorum, privilegiorumque omnibus viis et viribus procurabat. Sed gloria meritumque ab omnibus nomini eius contributum — Synodus illa Provincialis Zamostiana, an. 1720, qua Ecclesia Unita verticem suum attingit et aetatem suam auream inchoavit, totam fere Ucrainam et Bielarusjam Ecclesiae Catholicae agglutinando, considerari merito potest.

Sed inter labores et sudores vitae pastoralis et administrativae, unicus fere erat noster Leo Metropolitanarum Kioviensium, qui tot opera scripta in lucem edidit. Proinde in laudem eius hic notanda veniunt praesertim quaedam maiora, ut: *De Sacramentis* (ucrainice), Polociae 1697; *Pelagus gratiarum seu de miraculis Beatissimae Virginis Borunensis an. 1714 orbi terrarum patefactum* (polonice); *Sermones Metrop. Hypatii Potij*, Supraslii 1714, reeditum ibid., 1768; *Instructio pro parochis et Catechismus pro populo*, Supraslii 1722; *Capitulorum volumen polonicum* (edit. Vilnae 1900); *Manuscriptum continens varias historicas notitias* (et quidem: a) Annales Nestoris eiusque continuatorum, versio polonica; b) historica data ex documentis et actis officialibus excerpta de Ecclesiastica Hierarchia totius Russiae meridionalis; c) Vitae illustrium virorum Ordinis S. Basilii Magni; d) historia poli-

tica Europae, imprimis Poloniae saec. XVI - XVII - XVIII, plurimis centenis foliorum constans, et Peremysliae conservatum (Archivum Capituli), ex quo *Vitae Basilianorum* maxima ex parte editae sunt in "Analectis Ordinis S. Basilii M." primae seriei (ante an. 1939).

Huic haereditati Leonis Kiszka nunc in nostra editione adponuntur etiam eius epistolae, Romam praesertim directae, vel saltem servatae in Archivis Romanis. Manet, ut tandem aliquando nova etiam eius conscribatur biographia, digna huius Ecclesiae nostrae Codificatoris. Speramus brevi fore, ut Vir ille, qui tantum de historicis curabat rebus, et ipse iustam historiographorum obtinebit considerationem.

DOCUMENTA BIOGRAPHICA ROMANA

Roma, saec. XVIII.

Excerptum ex Tabulario Collegii Urbani de Propaganda Fide, de Alumno Leontio Kiszka.

COLL. URBANUM, *Registro dei nomi, cognomi ecc. degli Alunni di Propaganda Fide*, val. I, fol. 171.

D. Leonzio KISZKA

Figlio di Giorgio et Cristina Kiszka, della diocesi di Kelma in Volinia;¹

Entrò in Collegio il dì 6 Dicembre 1687;

È monaco ruteno unito, e già sacerdote in età di anni 24;

Sa la lingua rutena, polacca, e latina;

È partito dal Collegio il dì 1691;

È sacerdote di ottimi costumi, di gran capacità per quello riguarda le scienze, nelle quali s'è approfittato in alto et in somma ha sempre dato sodisfazione alli Superiori, e Maestri et buon esempio alli compagni; onde se ne puole sperare ogni bene.

Ha havuto sc. 50 per il vestiario, sc. 5 per cose di divizione.

¹ Solummodo partibus orientalibus eparchia Chelmensis pertinebat ad provinciam Volhiniae, in Ucraina Occidentali.

EPISTOLAE LEONIS KISZKA, METROPOLITAE KIOVIENSIS

(1714-1728)

1.

Polock, 20 . XI . 1700.

Leo Kiszka, ut Secretarius Ordinis Basiliani conqueritur de PP. Societatis Jesu de eorum actionibus Ritui Graeco infensis.

APF, *Scriltt. rif. nei Congressi: Mosc., Pol., Rut.*, v. 3, f. 49rv.

Eminentissimi, Ill.mi, ac Rev.mi Sacrae Romanae Ecclesiae Principes Cardinales,
D.ni, Patroni, et Mecenates munificentissimi.

Inhaerendo, et firmissime ea, qua par est, alacritate insistendo, emanatis super Personas Alumnorum Collegii de Propaganda Fide, a SS.ma Sede Apostolica Regulis, quotannis profundissimo cultu adoranda, Eminentissimarum ac Ill.marum Dominationum Vestrarum adoravi nomina, veluti praesenti etiam anno, de longinquo Albae Russiae oris, prociuus, eorundem advolor plantis, sacras uniuscuiusque praecordialissime exosculans lacinias, unaque deferens si... teneritudine conscientiae, multum inquietitudinis sub haec infaustissima in Regno nostro tempora in lucrandis Deo et Sanctae Ecclesiae Romanae animabus e Schismate habere a Rn.dis PP. Societatis Jesu, qui Ritum nostrum Graecum Decretis, Brevibus et Indultis Pontificiis roboratum, omnibus viis, et mediis evertere conantur,¹ violentissimo modo Cathedrales invadendo Ecclesias, Canonicas preces privatis interrumpendo, cum percussione sacerdotum, cantilenis, nos (f. 49v) Haereticos, propter diem, qui in Calendario veteri inter Centuriam accrevit, nominando, cum ingenti scandalo totius populosissimae Civitatis Schismaticae Polocensis,² hoc unico, et solo titulo abhorrentis Sanctam cum Sancta Romana Ecclesia Unionem. Caeterum, quia haec, et alia absona latius deferret Ill.mus Russiae Metropolitanus,³ confirmans, si opus fuerit, et necessitas exegerit,

¹ Agitur de quibusdam excessibus, praesertim in civitatibus, ubi Collegia exstabant Soc. Jesu, et Scholae Unitorum. Ibi saepe saepius inter alumnos rixae excitabantur aliaque opprobria in Ritum Ruthenum proferebantur; non potest negari, conniventibus saepe quibusdam ex magistris, qui magis rebus politicis quam ecclesiasticis studebant.

² Polociae, ubi et Sedes Archieparchiae Ritus Rutheni, exstabat a temporibus Stephani Bathory, Regis Poloniae (1575-1586) Collegium Soc. Jesu, maxima ex parte bonis Ecclesiae Ruthenae, tunc schismaticae, dotatum a Rege, Polocia in dominium Poloniae subiecta. De his bonis postea Florianus Hrebnykyj, Archiepiscopus Polocensis (1720-1762) longas sustinuit lites, etiam romanas, cum PP. Soc. Jesu. In hac civitate revera campus fertilis excessuum prostabat.

³ Leo Slubicz-Zalenskyj (1694-1798). Cfr. eius Epistolas in vol. III *Epistolarum Metropolitanorum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1958.

Ordinum Mendicantium Polociae existentium testimonijs, ego infimum perpetuumque mancipium Eminentissimarum, ac Ill.marum Dominationum Vestrarum supersedeo, unicum unice exoptans, quatenus R.ndi PP. Societatis desistant ab opprobriis Ritui nostro inferendis Authoritate Apostolica super hoc Hierarchiae Ruthenae suffraganda, cuius, et quorum uti necessariam ad Sanctam Unionem promovendam avidissime praestolor gratiam; maneo

Eminentissimorum, Ill.morum ac Rnd.morum S. Rom. Eccl. Cardinalium Principum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide

infimum perpetuumque mancipium

LEO LUCAS KISZKA, Secretarius totius Ordinis Divi Basilii M., Superior Polocensis, Alumnus Collegii de Propaganda Fide (mpp).⁴

Polotia, die 20 Novembris, Anno 1700.

2.

Polock, 20 . XI . 1700.

Eadem querela ad S. C. de Prop. Fide Praefectum.

APF, Scritt, rif. nei Congressi: Mosc., Pol., Rut., v. 3, f. 50-1v.

Eminentissime, Ill.me, ac Rnd.me Domine, Domine, et Patrone Clementissime,⁵

Hunc, quem Ecclesia Ruthena Protectorem, eum, quem Ordo noster tutorem in dies experitur, literali scheda supplex supplexque adoro, in Causa, quam universae Congregationi Sacrae de Propaganda Fide specialibus exposui literis,⁶ in qua, ut Eminentissima Celsitudo Vestra opitulari dignetur, enixissime obsecro, quoniam a Rn.dis PP. Societatis Jesu Polocensibus plurima Unio Sancta quo ad Ritum et Calendarium patitur scommata, Sanctam Unionem nil praeter adulationem Sanctae Romanae Ecclesiae plus dicere asserentibus; adeoque quantus ponatur obex (f. 50v) lucrandis e Schismate animabus, praesertim nobis, ad Lypsana Sancti Martyris Josaphat, in propinquissima Moschorum vicinia, inter rudissimum, ac crudelissimum Schisma, difficile dictu, praecipue cum nostri Ritus Saeculares, Philosophiae in suis Scholis per integrum Ducatum Lythuaniae insudare, nisi Ritum Graecum Unitum derelinquant, non permittentes, ansam praebent cogitandi Schismaticis, idem nos sapere cum illis. Nuperrime vero, die scilicet duodecima Novembris, sub tempus Horarum Canonicarum, iidem irruerent in Ecclesiam (f. 51) Cathedrali Polocensem,⁷ Preces interrumperent, serras reserarent violenter, et reliqua catholico spiritui absona patrarent, scommatibus super Personas Religiosorum adiectis, quantum exortum est in populosissima Civitate schismatica Polocensi scandalum supremus Arbiter Judex, et Vindex novit. Antequam itaque Ill.mus Russiae Metropolitanus, longissime distans Polocia,

⁴ Cfr. supra: Documenta Biographica Romana (1698-1704).

⁵ Ut videtur, Praefecto S. Congreg. de Prop. Fide, Carolo Barberini (1698-1704),

⁶ Cfr. litteram praecedentem.

⁷ Polock, Sedes Archiepiscopi Polocensis, Vitebscensis, Mscislaviensis; clara Sancto Josaphat Kuncewycz, Martyre pro Primatu Romani Pontifici: (1623).

et tota Religio nostra idem exponere possint negotium Eminentissimae, ac Ill.mae Celsitudini Vestrae, ego infimum perpetuumque mancipium praecurro, ea, qua par est, submissione exorando, quatenus Sacra de Propaganda Fide (f. 51v) Congregatio, speciale ponat iisdem interdictum, ne nos addictissimos SS.mae Sedi Apostolicae Adulatores esse, a re ipsa Schismaticos circumferant. In reliquo prolixitatem meam cum excusatam esse cupio, sacram exosculor laciniam maneoque

Eminentissimae, Ill.mae ac Rnd.mae Dominationis Vestrae
infimum perpetuumque mancipium

LEO LUCAS KISZKA, Secretarius totius Ordinis
D. Basilii M., Superior Polocensis, Alumnus Coll.
de Propaganda Fide (mpp).

Polotia, die 20 Novembris, Anno 1700.

3.

Berezvecz, 7 . XI . 1703.

Litterae obedientiales pro quodam Alumno, ut Romam proficiscatur.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 562, f. 200.

Leo Lucas Kiszka, Ordinis Divi Basilii Magni per Provincias Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lythuaniae Proto Archimandrita, Sacrae Theologiae Doctor, Superior Conventus Berezuecensis.⁸

Admodum R.ndo Fratri Laurentio Sokolinski,⁹ Ordinis Divi Basilii Magni Professo, et Diacono, salutem ab Eo, qui universorum salus est.

Volumus in Domino, idque ipsum in virtute sanctae praecipimus obedientiae, quatenus Reverentia Vestra, porrectis sibi hisce Literis nostris Obedientialibus, illico e Monasterio Polocensi transferat se Romam, ad Collegium Graecorum, ibique sub obedientia Rnd.mi loci Regentis, Theologicis det operam studiis, ea attentione, et sedulitate, quae aeternam ei in Coelis Coronam, in Ordine vero sacro sui aestimationem nominis comparare eidem possit. In quorum fidem etc. Dabantur Berezueciis, die 7ma Mensis Novembris, Anno 1703.

LEO LUCAS KISZKA,
Ordinis Divi Basilii Magni Protoarchimandrita (mpr).
LAURENTIUS KAPARSKI, Ord. S. Basilii Magni
Secretarius, Rnd.ms Superior Lyskoviensis.

⁸ Monasterium Berezvecense, in Archieparchia Polocensi, distans 15 milliaribus Polocia. Regebatur simplici Superiore quadriennali. Nostro in casu erat quasi sedes Protoarchimandritae qui nullam sedem legalem tunc temporis adhuc habuit, et, ut plurimum, erat Archimandrita vel Superior cuiusdam monasterii.

⁹ Laurentius Druckyj-Sokolinskyj, filius Floriani Casimiri et Mariannae Kusminska; natus in arce Susza, die 29. XII. 1781; ingressus Collegium Graecorum de Urbe die 29. II. 1704, ubi laurea theologica potitus est; discessit die 17. V. 1708, et eum Procuratore romano, Sylvestro Pieszkevyecz, in patriam rediit ut Missionarius. Dein Archiepiscopus Smolenscensis (1709-1727).

4.

Chrapina, 7 . IX . 1705.

Continuatio Diarii excidii Polocensis, a Petro Primo, Czaro Moscoviae perpetrati; ut videtur a Protoarchimandrita Basilianorum confectum.

APF, *Scrilt. rij. nei Congr.: Mosc. Pol. Rut.*, v. 3, f. 157-58v.

Continuatio Diarii Polocensis. ¹⁰

De data 7 Septembris, Chrapinae, 1705.

Praeter ea, quae iam scripta sunt praecedenti diario, recentiora a singularibus nuntiis Polocia ordinatis haec deferuntur. Quod Moscoviticus Car ¹¹ non solum corpora Neomartyrum, sed etiam ante multos annos defunctorum iam religiosorum, exhrabi iubens e sepulchro illorum flammis in pulverem redigere mandavit. Quin imo acceptum, perfracto muro corpus Sanctae Memoriae Illustrissimi Gabrielis Kolendae, Metropolitanæ,¹² cum triumpho exussit, putans illum esse Beatum Josaphat talemque spargendo, ac in haec erumpendo formalia: En Josaphat non defendit se, nec liberavit.¹³ Sub actum ipsum Martyrii, quod Ecclesia commota sit motu trepidationis magna illa Polocensis Basilica, praeter Catholicos, ipsi Moscovitici fatentur Colonnelli (quorum cognomina revelare in praesens non videtur.) hoc addendo: quod Imago Beatissimae Virginis in aliam se vertit partem et hucusque facie obversa existit, quasi abominationem loci illius, in quo tantum facinus patratum, habens. Reverendis Patribus Societatis Jesu eadem clades, quae venerandis Patribus Basilianis contigit, destinata fuerat die duodecima Iulii a Duce Moscoviae, verum ex Austria certus Princeps, quem ipse Dux loco Szeremeti suum fecit vice mareschallum, prostratus una hora in terra mitigavit furorem. Incon Sanctissimae Virginis Mariae in altero Monasterio Polocensi Hlebo Boryssensi auferri se non permisit. Ad deoccupandam Ecclesiam cum advenisset Metropolita certus Polociam schismaticus (de cuius cognomine nondum constat), quamprimum intravit Ecclesiam et decantavit Hymnum de Spiritu Sancto: *Rex Coelestis*, ipso momento ultor (f. 157v) a tergo Deus ministris suis iussit illum allidere parieti, allisus ad effusionem cerebri, infelicem animam exhalavit. Idem alio modo factum cum Savicz, Schismatico (hic quia fuit author cladis Polocensis, in tota Russia pro perspecto habetur). Cui postquam Serenissimus Moschoviae Princeps donasset caenobium Hlebo Boryssense, et ille ad possessionem

¹⁰ Diarium de s. d. Tragoedia Polocensi, a nobis impressum fuit in *Epistolis* Metropolitanæ Leonis Zalensky; sub an. 1705. Quia tamen videtur, hanc continuationem calamo Protoarchimandritæ Basilianorum exaratam fuisse, eam hic publici facimus iuris.

¹¹ Petrus I (1682-1725).

¹² Metropolitanus Kioviensis (1665-1674).

¹³ S. Josaphat Kuncewyc, Archiepiscopus Polocensis, anno 1623, die 12^{ta} Novembris, Vitobsei, ob defensionem Unionis Ecclesiarum et Primatus Romani, trucidatus, iam tunc erat Beatorum Cathalogo inscriptus (an. 1644), et Corpus eius ab an. 1667 Polociae conservabatur et concursu populorum venerabatur. Sed, instante bello moscovitico an. 1704-1709, Polocia alibi deductum fuit, ne furori schismaticorum exponeretur. Tragoedia Polocensis praecautioem hanc plene iustificavit.

eius properasset, repente et infeliciter mortuus, et iam pro illo Vilnae pulsum campanarum curarunt et obtinuerunt amici. Sanguinem Martyrum nullo modo in pavimento abluere Moscovitae possunt, quamvis innumera ad hunc actum media advenire conantur. Haec fert Polocia. Vilna autem certi et quidem spectatores Magnalium Dei hoc detulerunt, (quod et a ministris Status comprobatum est), quod Sanctus Josaphat in vestitu episcopali praecedentibus Neomartyribus qualibet nocte apparet Moscho, minitendo exterminium et eius et Regni eius, et ideo dum Sacerdos Capellanus eius instigavit, ut Ecclesiam SS.mae Trinitatis Vilnensem traderet parti adversae, suo idiomate in haec respondit formalia: *Adhuc et illud coram Deo, et hoc Universo non delevisi, quod Polociae perpetravi*. Cladem etiam penes Nitavam, ubi perivisse duodecim Moschovitarum millia dicuntur, et tria millia per pactum, vulgo Akkord, in ipsa Nitava possessa cuniculis aëra sunt eiecta, in quo interitu ipse Szeremet occubuisse magis communiter fertur.

(f. 158) Effectum tyrranidis Polociae patratae universim Moschovitae depraedicant et agnoscunt cum ipso Principe id ipsum profitente. Quam cladem compensando et ulciscendo ipse Car cum duodecim millibus suorum Vilna Onikstas die 18 Augusti processit, Filium vero suum¹⁴ ad pacandam rebellionem in Moscovia obortam die 15 Augusti expedit. Maius est id quod sequitur. Sub actum Iustrationis exercitus die 10 Augusti, in Festo S. Laurentii, in nube parva praecedente in splendoribus SS. apparverunt Neomartyres Polocenses et quamprimum visi sunt, in eodem instanti magno cum fragore ad castra Moscovitica fulmen percussit, tormenta tria rupit, et 17 Moscovitas mactavit, cum magna consternatione tum Principis tum exercitus eius, quod ita est certum, ut Magnates Lithuaniae speciales Vilnam ordinando cursores haec et non alia sub iuramentis perceperint.

Copia litterarum Excellentissimi Domini Ducis Radivilij ad Illustrissimum Metropolitam ex Ducatu suo Myrnensi, de data 5. 7mbris, ex Lithuania, 1705.

Dolendum casum Polociae et hanc aversionem Serenissimi Cari ab omnibus DD. Vestris in Sancta Unione permanentibus, (f. 158v) cordialiter, et eo magis deploro, quo tenerius cum propensione mea erga Vestras Dominationes ferri et declarari consueveram. Ex cuius motivo etiam modo petitioni Dominationis V. Ill.mae ut concederem cameram in arce mea Olycensi ad conservationem suppellectilis ecclesiasticae tum propriae Dominationis Vestrae Ill.mae¹⁵ denegare neque possum, neque volo. Prius tamen id subiicio accuratissimae Rev.mae Dominationis reflexioni, utrum id securum erit depositarium, ex ratione quod Serenissimus Princeps Moschoviae, odio habens Unionem, principaliter vero a Persona Ill.mae D. affectu suo alieno tanquam a primo Capite eius, si resciverit de hoc deposito (quod, ni fallor, latere non poterit), volet ut illud extradam, et in his coniucturis iudico impossibile, ac periculosum voluntati eius refragari. Perpendat igitur Ill.ma et R.ma D. solertissima hunc casum consideratione, quodsi in hoc nullum adverterit subesse periculum, iubeat res illas transportari Olycam; et ego dabo ordinationem ad D. Comendantem

¹⁴ Agitur de Alexio, quem tamen postea Petrus I e successione excludere iussit; imo, traditionis accusatus et iudicatus, suam tragicam finivit vitam an. 1718.

¹⁵ Agitur de Metropolitano Kioviensi, Leone Zalenskyj, quem Petrus I in necem quaerebat; hic profugus, in variis latuit regionibus. Cfr. eius epistolas et brevem biographiam in vol. III: *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1958.

illius loci iuxta quam cameram in arce ad depositionem illarum designabit. Hic me ipsum affectui D. V. recommendans maneo.

Sincerus Frater.

5.

Byten, 27 . IX . 1705.

Describit statum miserrimum S. Unionis tempore persecutionis moschoviticae nec non commendat P. Augustinum Lubienieckij.

APF, Scritt . rif . nei Congr.: Mosc., Pol., Rut., v. 3, f. 159-160.

Eminentissimi ac Celsissimi Sacrae Romanae Ecclesiae Principes, Cardinales,
Domini ac Patroni Amplissimi.

Tristes literae Roxolanae Ecclesiae, quamvis iam devolutae sint ad manus Eminentiarum Vestrarum, pateatque ex iis ea, quam Unio Sancta patitur, calamitas, nihilominus, quoniam post transmissum de clade Polocensis Monasterii Diarium¹⁶ non tantum non restinguitur, verum maus in dies contra Unionem inflammatur incendium, pedissequas primarum hasce secundas supplices literas congruum duxi, et salutare aestimavi, ad Eminentissimas Celsitudines Vestras expedire. Auxilium praebet Polonis Moschus, quod iam ipsa sibi nauseavit Polonia, tale tamen cuius pretium est extirpatio Unionis, in Populo Rutheno Fidei sitae eradicatio, ab obedientia Sedis Apostolicae eiusdem segregatio, omnium denique, nisi desciverint, quod absit, Capita Unitorum, quae equidem post Polocensem nondum petuntur cladem a terrefacto clade suorum sub oppido Nitaw dicto Moschoviae Principe, dummodo tamen (f. 159v) ad Stativa Hybernaliam remeaverit miles, cum Sancta digladiabitur Unione, iureiurando ad extirpandam Unionem Moschoviae Principe obligato, veluti Primores Regni Poloniae cautos nos esse volentes, commonefaciunt, nec tamen ullum, quo ab hac impetitione salvi esse possimus adhibent medium, privatis uniuscuiusque negotiis fidei sitae praevalentibus. Desperatis ergo undique mediis ad Communes Orbis Patres, Eminentissimas duntaxat Celsitudines Vestras recursum facere est necesse, quatenus mediantibus iis Serenissimus noster, Primoresque Regni ad ardentiorum tutandae Unionis literis Eminentiarum Vestrarum inflammati zelum, in die furoris Domini reliquias protegant Unitorum, nec patiantur saeculis partam, ac ... refusam in Russia fidem interire.

(f.160) Publicis his privatus est, quod annecto; Ad permissum sacro Eminentiarum Vestrarum Decreto in Collegio de Propaganda Fide pro uno Adolescente locum, Augustinum Lubieniecki¹⁷ pro theologico cum ordine cursu, patrocinio Eminentiarum Vestrarum eundem esse cupio commendatum; et quia sequenti anno de eodem Collegio Sanctam propagaturus Unionem ad Provinciam redibit unus de Religiosis nostris, idcirco ad Eminentissimas Dominationes Vestras supplex recurro, ut in eisdem quoque locum alius queat acceptari, vocationi suae imposterum responsurus. Sa-

¹⁶ Cfr. in vol. III: *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1958, pag. 207-210, sub an. 1705.

¹⁷ Augustinus Lubienieckij, Alumnus romanus (1706-1709). Discessit Roma ob debilem valetudinem. Postea Superior Vitebscensis et Abbas Minscensis (1726-1750).

cras interea uniuscuiusque deosculans, et millenis stringens basiis purpuras, maneo
 Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum
 infimus Servorum, et Exorator perpetuus
 LEO LUCAS KISZKA, Ordinis Divi Basilii Magni per Provincias
 Regni Poloniae Generalis Protoarchimandrita (mpp).
 Bytenii, die 27 Septembris, Anno 1705.

6.

Berezwecz, 24 . X . 1707.

Litterae obedienciales pro P. Stanislao Pogorzelski.

APF, *Congressi: Mosc., Pol., e Rutheni*, vol. 4, f. 199-200

LEO LUCAS KISZKA, Ordinis Divi Basilii Magni Proto Archimandrita, Sacrae Theologiae Doctor, Superior Conventus Berezvecensis.

Admodum Reverendo Patri Stanislao Pogorzelski, Ordinis Divi Basilii Magni Praesbytero, salutem in Domino.

Volumus in Domino, idque ipsum in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, quatenus Reverentia Vestra, devolutis ad manus suas hisce literis nostris Obedientialibus, in Monasterio Verchoviensi, ad quod contextu earundem ordinatur, ea, quae munus, et officium Superioris exemplaris in eo Loco concernunt, spe futurae in Coelis mercedis, cum omni perficiat sedulitate. In quorum fidem. Datt. Berezueciis, die 24 Mensis Octobris, Anno 1707.

LEO KYSZKA, Proto Archimandrita (mp).

PORFYRIUS PRIUSZYCKI, O. D. B. M. Secretarius.

7.

Volodymyr, 23 . I . 1708.

Negativam dat opinionem de nominatione Procuratoris Romani ad Archimandriam Vilnensem.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Rutheni*, vol. 3, fol. 463-464v.

Venerabilis Admodum R.nde Pater, Pater, et Frater Colendissime.¹⁸

Pro transmissione servientis Patri Wietrzynski¹⁹ ab irregularitate dispensationis maximas refero gratias, alias vero literas quod nullas habuerim significo. In nominatione Venerabilis Paternitatis Vestrae pro Vilnensi Praelatura libenter allaborarem, si me non arcerent Jura primitiva, Fundationes Terrestres, Privilegia Regum, Capitula

¹⁸ Ad Procuratorem Generalem Basilianorum in Urbe, P. Sylvestrum Pieszkevycz (1701-1799).

¹⁹ Dein Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1717-1719, 1723), depositus ab Officio an. 1719, reintegratus anno 1723, dein apostatavit et in Helvetiam aufugit, spoliatis monasteriis Ordinis tum pecunia tum documentis.

Ordinis approbata a Sacra Congregatione de Propagande Fide, cassantia ibi exortam indebite per Dominum Bialozor²⁰ Archimandriam, quam et ille ipse abrenunciavit, scripto suo non una vice in facie Capitulorum dato. Scandalizor ego valde ex hoc, et Venerabiles Consultores magis scandalizabuntur, quod Venerabilis Paternitas Vestra missa Romam pro tuendis Juribus infringit illa; quid ergo plus sperare debemus quoad tuitionem aliorum Locorum, siquidem Paternitas Vestra usque ad inferos primum locum Vilnensem, a quo tota Religio nostra vocatur Congregatio SS. mae Trinitatis, deprimere conatur.

(f. 463v). Sed ego hoc adscribo magis ignorantiae Jurium Vilnensium semper excusabili, quam alicui pruritu ambizioso, et peto, ut Vestra Paternitas talem cum perpetuo dedecore nominis sui in religione desistat facere concurrentiam, habendo prae oculis praemium laborum suorum, maiores Praelaturas, Polocensis, et Munkat-zoviensis Archiepiscopatus,²¹ ex quibus ad obtinendam unam, quod juvabo efficaciter cum toto Ordine appromitto. Sunt et in Religione Prothoarchimandritales, istaemet ipsae Vilnenses ad quadriennium, Consultoriales, Zyrovicienses, Bithenenses etc. dignitates, quae in reditu Venerabilis Paternitatis Vestrae securissime prout in extrema paucitate Personarum non fallent. Haec pro candore animi et ex antiqua mea benevolentia et propensione, plura scripturus Vilna per Postam. Ego huc veni ad fallendum in calamitatibus tempus, non habendo iam quo vivere, sed nec Dominum Metropolitam, nec Dominum Episcopum (f. 464) Pinscensem inveni,²² ex quo a Moscovitis ex una Domo pro Mense centum quadraginta florenos exigentibus, excepto feno, avena, pane, carne et aquavita, tribus diebus, ante adventum meum Vladimiriā, fugam arripuerunt versum Camenecum. Moschovitae, sicut hic auditur, veniunt Volhiniam omnes ex Lithuania, ut referunt, a Sveco ex Prussia in Samogitiam veniente perferrefacti, certius quod fame exinde expulsi. Sed de nostris miseriis et scribere difficile, Pastores dereliquerunt Cathedras suas. Vellemus et mortem, sed non possumus illam videre, prorsus magna est velut mare contritio nostra. Dominus Episcopus Premisliensis²³ Dermanensem, et Dubnensem Archimandrias intendit cedere Consanguineo suo, per se ipsum iam desoltas, et penitus destructas. Contradicit huic validissime Dominus Metropolita, sed ille ista non curans respondit, quod hoc efficiet Romae sine illo; peto igitur simul cum Domino Metropolita, ut ibi velit Paternitas Vestra huic obsistere, siquidem haec Monasteria sunt incorporata; ad incorporata autem (f. 464) Monasteria requiritur consensus et promotio Ordinis, ac Metropolitanī, iuxta Nexum his verbis: Ad Episcopatus aliasque Dignitates promovebit Metropolita, consulto Prothoarchimandrita et Consultoribus.²⁴ Pater Sokolinski²⁵ nihil speret a me,

²⁰ Marcianus Bilozor, Archiepiscopus Polocensis (1697-1707), antea vero Episcopus Pinscensis (1666-1697). Hic etiam monasterium Vilnense longius per tempus obtinebat titulo quas archimandritali, cui dein renuntiavit in favorem Ordinis.

²¹ Vacantes post obitum Marciani Bilozor, Archiepiscopi Polocensis (1697-1707), et Joseph De Camillis, Episcopi Munkaesiensis (1689-1706).

²² Porphyrius Kuljyckij (1703-1716).

²³ Georgius Vynnyckij (1700-1713), dein Metropolita Kioviensis (1708-1713).

²⁴ Nexus Zochovskianus ex anno 1686. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958; et *De Regimine Basilianorum a Metropolita Iosenko Vyalmin Rutzky: instauratorum*, Romae 1949.

²⁵ Laurentius Druckyj-Sokolinskyj. Cfr. notam 9.

siquidem funditus periimus, et Fratres nihil dare volunt; potest ibi sibi mutuo accipere, cum fideiussione Venerabilis Paternitatis Vestrae, et recipiendo a Fratribus transmittet per Patres pro studiis venientes Romam. Maneo interea

Venerabilis Paternitatis Vestrae addictissimus Frater

LEO KISZKA, Prothoarchimandrita (mpr),

Vladimiriae, 23 Jan. 1708.

8.

Volodymyr, 23 .I. 1708.

De provisione Archimandriae Vilensis in persona Procuratoris Romani.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 562, f. 267-269.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Domini, e Meconates Clementissimi.

Vitae, morumque honestas relucens in Persona Venerabilis Patris Silvestri Pieszkievitz, Procuratoris Generalis de Ordine nostro in Urbe, maxime vero Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, in his fundata commendatio, eius essent ponderis, ut ultro citroque ad Nominationem sive Institutionem Patris Silvestri pro Archimandria Vilnensi, si quae esset, anhelis passibus curreremus. Sed quia Monasterium Vilnense SS. mae Trinitatis, Congregationis Nostrae Ruthenae Caput, praeter supremum omnibus commune Dominium Regum nil possideat, quod a Regibus habeat, idcirco, veluti Caenobium hoc sub distributivam Serenissimorum Regum non cadet gratiam, sic nec sub nostram sive Nominationem, sive Institutionem cadere poterit. Ea scilicet est huius Monasterii natura, ut de Legibus primitivae suae Foundationis, quam Nobiles erepere Lythuani, non alium quam quadriennem, a Protoarchimandritis Ordinis instituendum, patiatur Superiorem. Adsunt praesto nunc dictis opitulantiarum Fundationum Jura, evidentia de terrestreitate non Regalium Bonorum munimenta, Serenissimorum Regum (f. 467 v) omni sese exuentium Collatione Privilegia, Ordinis denique Constitutiones, gratiosissime a sacerrima de Propaganda Fide Congregatione approbatae, palam sonantes, non posse absque inversione cardinalium iurium Ordinis Vilnae advitalem dari Praelatum, sed quadriennem debere Praesidem adhiberi. Quae omnia in Archivio reposita Ordinis, quoniam a me Volhyniae visitante Monasteria distant, proinde Copiae illorum difficile transmittuntur, tum, cum in Lythuaniam rediero, per expediendum pro studiis Romam Religiosum facilius transmittendae.

Ne porro integritatis, prudentiae atque sedulitatis Patris Sylvestri laus immunerata existat, adsunt caeterae in Ordine vacantes ad praesens, quae dictas laudes comitentur, Dignitates et officia Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum explentes, et Ordinem penes iura conservantes, et Patris Silvestri desiderio connaturae.

Ad calcem literarum addidisse placuit, pie defunctum Martianum Bialozor, Archiepiscopum (f. 469) Polocensem,²⁶ obtinuisse quidem, ac ad mala narrata in Terrestri Foundatione erexisse Archimandriam, sed in generalibus Capitulis et reponere Privi-

²⁶ Ann. 1697-1707.

legium, et indebite obtentam resignare Archimandriam debuisse, ne duntaxat et iuri derogaretur terrestri, et Novitiorum inibi Palaestrae ad emittendas Professiones (: proinde, quod Pater Silvester sit Monasterii Vilnensis Professor, non est ei ita proprium, ut non plurimis sit commune:) apponeretur obex. Penes hanc prolixitatem meam cupiens esse excusatum, ac iura nostra, quae interpono patrocínio Eminentiarum Vestrarum conservanda, commendans, sacerrimam uniuscuiusque purpurae laciniam exoscutor, et maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimus servus, et perpetuus exorator

LEO KISZKA, per Provincias Regni Poloniae Generalis
Prothoarchimandrita (manu propria).

Vladimiriae, die 23 Ianuarii, Anno 1708.

9.

Volodymyr, 1708.

De promotione Episcopi Peremysliensis ad Coadiutoriam Kioviensem.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 563, f. 758.

Extractum ex literis Patris Prothoarchimadritae, sive Generalis
Ordinis S. Basilii, Congregationis Ruthenorum.

Spargitur hic apud nos quod Dominus Metropolita clandestine contra Nexum promovet pro Coadiutoria Dominum Episcopum Premisliensem,²⁷ quod uti totum nostrum Statum Hierarchicum consternavit, ita ego nomine Episcoporum bene sentientium, et totius Ordinis peto, et in virtute sanctae obedientiae obligo Paternitatem Vestram,²⁸ ut hanc promotionem in praesenti emergentia miserae Reipublicae non tantum in bonis deperditae, sed etiam in fide vacillantibus, indebite exortam contra Canones. Neophitus²⁹ enim promovetur, contra Nexum, siquidem sine Religione et electione Coepiscoporum hoc fieri non potest, denique cum exterminio Religionis, siquidem iste Dominus Coadiutor est millies millenis notatus simoniis, percussionebus Clericorum, depraedationibus Monasteriorum in sua Diocesi, impedire dignetur.

Pinsco, 31 Ianuarii 1707.

Interesse Promotionis Domini Episcopi Premisliensis pro Coadiutoria Metropolitiae reduco in memoriam, ut si omnibus iuribus impeditum, uti contra Nexum in scia Religione et Coepiscopis exortum, et si Pater Cirillus,³⁰ quem non cognosco, arcetur a Coadiutoria Leopoliensi, multo magis ob eundem Neophiti titulum arceri debet Dominus Premisliensis a primatiali in Russia honore, insuper quod adhuc simoniae, percussiones publicae Clericorum, recordationes in Liturgiis Patriarchae Constantino-

²⁷ Georgius Vynnyckyj (1700-1713), dein Metropolita Kioviensis (1708-1713).

²⁸ Procurator Generalis in Urbe.

²⁹ Eparchia Premysliensis an. tantummodo 1691-1692 ad Unionem cum S. Romana Ecclesiae accessit, temporibus Innocentii Vynnyckyj (1680-1700).

³⁰ Cyrillus Szumlanskyj, quem Iosephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis (1676-1703) sibi in Coadiutorem assumere contendebat.

politani per Dioecesim Premislien., et Filioque in Credo eiectiones accedunt, non scio qua securitate Sacra Congregatio velit comittere Gregem unitum pascendum illi, etc. etc....

10.

Zyrovyczi, 14. I. 1710.

De receptione Alumnorum in Collegiis Pontificiis Urbis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 572, f. 151-152.

Eminentissime, ac Celsissime Princeps, S. R. Ecclesiae Cardinalis,
Domine, Domine, et Mecoenas Clementissime.

Fatales Regni Poloniae vicissitudines, illud quoque, praeter alia, facessunt incommodum, ut ordinarium Postae impediunt cursum; qua de causa in Martio adhuc, anni proxime elapsi, Roma data literatoria mandata ab Eminentissima Celsitudine Vestra, in Novembri denique indignas Officii mei attigere manus, ad quas, quod non citius, nisi iuxta Jura nostra e longe dissitis Provinciis Ordinis Consultorum exquisito, et obtento sensu, responsa exhibeam; Eminentissima Celsitudo Vestra dignabitur indulgere.

Ingenue confiteor, Personas Ordinis nostri religiosas, pro summa benignitate gratia, et inclyta clementia sacerrimae Congregationis Eminentissimorum Dominorum Cardinalium de Propaganda Fide, ad Collegium hic praefatum admitti, nec ulla ad recipiendas easdem obligatione stringi, praeter zelum (f. 151v) Unionis Sanctae, per Alumnos reduces, adstipulante Omnipotentis gratia, propagandae; nec tamen illud diffiteri possum, apprime nosse Eminentissimam Celsitudinem Vestram, quantis in misera Patria concutiamur malis, quantis obviamur calamitatibus, quarum pondere pressi non tantum pro abscessu Roma Alumnis Collegii de Propaganda Fide, ex Ordine nostro, viaticum suppeditare non valemus, verum etiam, qua methodo residui a furore Domini, inter fames, pestes, bellaque positi (: quae omnia longe lateque per universas, excepta pestilentia, a qua Provincia nostra immunis est, grassantur Regni Poloniae ditiones:) subsistere possimus, nisi evaginatus recondatur gladius; nec modum videmus, nec minimum spei ad subsistendum advertimus fulgorem. His itaque stantibus, totius Ordinis Basiliani nomine, magnis Numinum Orbis Eminentiarum Vestrarum adgeniculatus plantis, quatenus durante bello, reducibus tantum e Collegio de Propaganda Fide ex Ordine nostro Alumnis (f. 152) de plenitudine clementiae sacerrimae Congregationis viaticum provideri queat, humili expeto supplicatione; redeunte, utinam velocissime, Patriae nostrae pace, tum pro abitu Romam, tum pro reditu Roma, viaticum missis adolescentibus certo certius provisurus.

Mandata eiusdem Sacrae Congregationis in promovendo R. Patre Sylvestro Pieszkiewicz, Procuratore Generali Ordinis nostri in Urbe, ad Archiepiscopatum Polocensem ea explevi devotione, quam Apostolicis, iuxta vile posse meum, debui Imperiis, quibus me semper alacerrimum exhibere spondens, penes uniuscuiusque sacerrimae dulce osculum purpurae maneo

Eminentissimae, ac Excellentissimae Celsitudinis Vestrae
infimus perpetuumque Mancipium et continuus Exorator
LEO KISZKA, Generalis per Provincias Regni Poloniae Ordinis

Divi Basilij Magni Protoarchimandrita (mpr).
In Monasterio Zyrovicensi, die 14ta Januarii, Anno 1710.

11.

Spas, 30 . IV . 1710.

Designatio novi Procuratoris generalis in Urbe.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 342rv.

Eminentissime, ac Celsissime Princeps, S. R. Eccl. Card.,
Domine, Domine et Mecaenas Clementissime.

Mandata Congregationis Sacrae de Propaganda Fide, in promovendo ad Archiepiscopatum Polocensem R. P. Sylvestro Pieszkiewicz, Procuratore Ordinis nostri Generali in Urbe, ea, qua par erat, devotione punctualiter explevi, nec iam emanatis a Serenissima Poloniarum Maiestate Nominationis literis, in Personam eius, restat operandum amplius; nisi ut suffultus Benedictione Supremi Capituli, ad Provinciam redeat, pro capessendo eo, quod acquisivit solerti virtute fastigio, ac in eo Sanctae exaltationem Fidei, Unionisque propagationem, pro posse virium, curet. In eius porro locum pro Procuratoria Romana, de vi Officii mei, per omnia probatum, utinam votis Sanctae Sedis Apostolicae, ac sacerrimae de Propaganda Fide Congregationis responsurum, R. P. Hilarionem Kuszevycz,³¹ Secretarium meum, non ita pridem Collegii Graecorum in Urbe Alumnum, veluti ad aedes SS. Sergii et Bacchi substituo, ita eundem patrocinio et benevolentiae, una cum desideris Roxolanae Ecclesiae, Eminentiae (f. 34) Celsitudinis Vestrae apprime recomendo. Circa mittendos ad studia ad Collegium de Propaganda Fide, triplicatam iam fero humili poplite supplicationem; quatenus durante bello in misero Poloniae Regno, de plenitudine clementiae suae sacerrima Congregatio Viatico eorum pro reditu providere dignetur, expetendo, ac finito utinam quantocius bello, obligationem contribuendi de Provincia Viatici annectendo. Sacerrimas interea purpurae fimbrias dulci attingens osculo, maneo

Eminentissimae, ac Excellentissimae Vestrae Celsitudinis

infirmum perpetuumque Mancipium

LEO KISZKA, Generalis per Provincias Regni Poloniae, et Magni
Ducatus Lythuaniae Ordinis Divi S: Basilii Magni Protoarch.
(mp).

In Monasterio Sancti Salvatoris ad Montes, die 30 Aprilis, Anno 1710.

³¹ Hilarion Kruševyč, Procurator in Urbe (1710-1712); anno 1712 ob malam valetudinem officium hoc dimittere debuit.

12.

*Ex Eremo, 14. XII. 1710.**Excerptum ex litteris Leonis Kiszka ad Procuratorem in Urbe, de transmissione Memorialis et de P. Laurentio Sokolinskyj.*APF, *Scrutt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 575, f. 227.

Extractum

Ex originali litera R.mi P. Generalis Ordinis S. Basilii M. Congregationis Ruthenorum,³² scripta ad Procuratorem Generalem eiusdem Ord. Romam ex Eremo Carpiensis sub 14.Xbris 1715, ex mixto polono-latino idiomate in latinum traductum.

Pro coronide literarum, signanter et fortiter rogo, quatenus R. V. porrigat Memoriale ad Sacram Congregationem,³³ ne nos ad hoc obliget, ne simul et semel pio studiis perficiendis nostris Monachis iuvenibus, pro abitu, et reditu viaticum exbursemus, sed ultimo anno, quando maturabitur tempus studiorum, iterum efflagitanter peto.

In eadem litera sic: - P. Laurentius Sokolinski,³⁴ qualem habet licentiam vagari cum R.mo P. Sylvestro Pieszkevicz, absque ullo fructu, peto me informari, et simul peto porrigat R. V. Memoriale, ut reducatur ad obedientiam; utique est Bulla, quod Religiosus, etiam Summi Pontificis Capellanus, tenetur obedire suo immediato Superiori, et hic, qui est eiectus ex Alumnatu Brunsbergensi, ex Decreto Commissarii Sacrae Nunciaturae (quem ego coatus debui Romam mittere ex mente pie defuncti Metropolitae³⁵), ut quid gaudere debeat his Privilegiis, ut sit a Superiore exemptus? Si nos eviscerabimur in suppeditandis sumptibus propter mittendos Alumnos, et illi postea, ut insolescant magis redire debeant, dolendum de tanto sumptu! Oportet hoc bene explicare sacerrimae Congregationi, qualis nam sit panis assistere nostris Episcopis? et non esse sub obedientia Protoarchimandritae? Scilicet esse discolum, insolentem, et inebriari studentem etc. etc., de quo R. V. nota est bene, et ego adhuc melius deflendo tot funera eorum, qui ex cremato (seu ex aquavita) misere obierunt.

Quae omnia ad sensum expressa esse in mixto polono-latino idiomate testor et affirmo, ut indignus sacerdos, et Procurator Generalis Ord. S. Basilii M.

Hilarion Kruszevicz etc. (mppr.)

Ego Procurator Generalis destinatus a Superioribus meis Romam pro Officio Procurae numeravi 25 Ungaros in auro, missos P. Laurentio pro reditu ad Religionem, ut constat ex ricevuta facta propria manu P. Laurentii, sub die 22 Iunii 1710.

³² Leo Kiška, Protoarchimandrita, electus secunda vice anno 1709, in Capitulo Bilaensi.

³³ De Propaganda Fide, cui Collegia Graecorum et Prop. Fide immediate subiecta erant ubi etiam Alumni, Basiliani praesertim, studiis philosophicis et theologicis operam navabant.

³⁴ Laurentius Druckyj Sokolinskyj. Cfr. notam 9.

³⁵ Leo Zalenskyj (1694-1708).

13.

Suprasl, 14 . V . 1711.

*De restitutione Cathedrae Haliciensis Metropolitanis Kioviensibus.*APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 578, f. 70 rv.Eminentissimi, Celsissimi Sacrae R. Ecclesiae Principes,
Domini, et Mecaenates Clementissimi.

Cathedra Haliciensis, et antiquissimis iuribus primitivae Foundationis, et speciali Bulla SS.mi Domini Clementis VIII,³⁶ Chioviensi Metropoliae in perpetuum unita, Schismate vero praedominante avulsa, ut ad ius primitivum redeat, instanti Illustrissimo Domino Metropolitanato, nostra quoque Basiliana Religio, veluti cum capite Roxolanae Ecclesiae connexa, humiles coniungit preces, e re sua iudicando, ad Eminentissimas Celsitudines Vestras supplicare, veluti demisso supplicat poplite, quatenus, tum ad decus Religionis nostrae, si duntaxat Metropolitanus unam saltem possideat Sedem (: cum Chioviensis in Ditionibus sit Moschorum:), tum ad incrementum Unionis Sanctae, residente enim ad Haliciensem Cathedram Metropolitanato, felicius, et facilius ab antiquioribus Unitis vacillantes in Unione stabilientur in fide animae, tanquam propria Sedes proprio adiudicetur Pastori. Caeterum haec universa fusius explanabit venerabilis Ordinis nostri Procurator, cui illud quoque commisimus, quatenus pro superabundanti in admittendis hactenus religiosis Adolescentibus, de Ordine nostro, ad Collegium de Propaganda Fide, munificentia, submissas referat, quas nos quoque pendimus, grates, et quoniam ob impossibilem, stante praesenti in Patria calamitate, ab Eminentissimis Celsitudinibus Vestris impositam conditionem, ut scilicet mittendi pro studiis Romam, etiam pro reditu secum, in Collegio asservandum, deferant Viaticum, nemo in posterum (f. 70v) ad Collegium de Propaganda Fide mitti potest; ne nobis haec Resolutio, cessante bello, obstet ad innovandam gratiam, supplicamus et sacras Eminentiarum Vestrarum fimbrias exosculantes, manemus

Eminentissimarum, ac Excellentissimarum Celsitudinum Vestrarum
infimi Servi, et perpetui ExoratoresLEO KISZKA, Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis, Ordinis Divi
Basilii Magni Proto Archimandrita (mpr).

POLYCARPUS FILIPOWICZ, Ordinis D. Basilii M. Consultor.

JOANNES OLESZEWSKI, Ordinis Divi Basilii Magni Consultor,
Superior Borunen.ANTONIUS ZAWADSKI, Ord. Divi Basilii M. Consultor, Supe-
rior Zyroviciensis (mpr).DEMETRIUS ZANKEWICZ, Ord. Divi Basilii Magni Secretarius,
Superior Bitinensis.

In Monasterio Supraslensi, die 14 Maii, Anno 1711.

³⁶ Agitur de Bullis Unionis Berestensis an. 1595-1596, ubi Metropolitanato Kioviensi datur titulus « Kioviensis, Haliciensis et totius Russiae ». Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum hitoriam Ucrainae illustrantia*, vol. I, Romae 1953, sub annis 1595-1596, passim.

14.

Suprasl, 20 . X . 1711.

*Certiorat de sua promotione ad Cathedram Volodimiriensem.*APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 579, f. 429.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, S. R. Ecclesiae Cardinales,
 Domini, Domini, et Mecaenates Clementissimi.

Quamvis alia via ad notitiam Eminentiarum Vestrarum deductam esse inaugura-
 tionem vilissimae meae, undequaue respiriarum Personae in Episcopatum Vladi-
 miriensem facile credo, mei nihilominus esse duco officii, certiores reddere Eminen-
 tissimas Celsitudines Vestras, me, nullis licet suffragantibus meritis, assumptum esse
 in Russia ad grave onus, meisque incompetens viribus, suprafati Episcopatus; quem
 quia sine adminiculo protectionis Eminentiarum Vestrarum digne administrare non
 valeo, idcirco ne sub tanto pondere humiles fatiscant lacerti, Benedictionem Eminen-
 tissimarum Celsitudinum Vestrarum, qua fretus, ac fulcitus universas valeam superare
 difficultates, enixe imploro, earundemque sacerrimas purpurae exosculans lacinias,
 maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimum perpetuumque Mancipium

LEO KISZKA, Episcopus Vladimiriensis.

Supraslii, die 20 Octobris, Anno 1711.

15.

Borunie, 25 . I . 1712.

*Litterae obedientiales.*APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc. Pol., e Ruteni*, vol. 4, f. 200.

LEO LUCAS KISZKA, Ordinis Divi Basilii Magni Proto-Archimandrita, Sacrae
 Theologiae Doctor, Superior Conventus Berezvecensis.

Admodum Reverendo Patri Stanislao Pogorzelski, Ordinis Divi Basilii Magni
 Presbytero, salutem in Domino.

Volumus in Domino, idque ipsum in virtute Sanctae Obedientiae districte praeci-
 pimus, quatenus Reverentia Vestra, devolutis ad manus suas hisce literis nostris
 Obedientialibus, in Monasterio Verchoviensi, ad quod contextu earundem ordinatur,
 ea, quae munus et Officium Superioris concernunt, spe futurae in Coelis mercedis,
 cum omni perficiat sedulitate. In quorum fidem.

Datt. Boruniis, die 25 Mensis Januarii, Anno 1712.

LEO KISZKA, Proto Archimandrita (mpr).

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D. Basilii M.

Secret. Ill. Proto Archimandritae (mp).

16.

Suprasl, 6. IV. 1712.

*Rogat pro instituenda inquisitione de statu Residentiae Romanae SS. Sergii et Bacchi.*APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 582, f. 297rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Principes,
 Domini et Patroni Colendissimi,

Per infelicem cumque vix unquam sperabilem casum afflicto, et fortassis ad munia sui Officii obeunda inhabitato Patre Procuratore Ordinis Nostri,³⁷ in antecessum, ab eodem adhuc sano existente, et recenter aliunde edocti de statu Domus Residentialis ad SS. Sergium et Bacchum, munificentissima, et gratiosissima Celsissimi Nominis et Domus Barberinae largitione erectae, et Procuratoribus Ruthenis destinatae, ita nunc deterioratae seu potius ultimo desolatae, ut nullatenus in posterum Procurator aliquatenus sustentari vel subsistere valeat; et hanc quidem deteriorationem non aliunde, nisi per Antecessores Procuratores (: in tanta distantia occultata nobis ratione:), scilicet Patrem Policarpum Filipowicz et Patrem Silvestrum Pieszkiewicz, ³⁸ pro nunc titulis suis competentibus (: quos veneramur:) eminentes, interceptis proventus huius Domus et contractis debitis causatam esse concludunt missae nobis ab Urbe informationes. Idcirco, tum consanationi huius Domus, et sustentationi Procuratorum, maxime vero intentioni Piissimorum et Beneficentissimorum Fundatorum consulere volentes, nec aliter valentes, nisi per faventissimam nobis semper Eminentissimarum Dominationum Vestrarum protectionem, ad hanc recurrentes, adgeniculato poplite et debita praemissa veneratione, submississime Eminentis Vestris supplicandum duximus, quatenus per Commissarios ab Eminentis Vestris deputandos res haec detegatur, et debita illa contracta, proventusque intercepti, si ita se res habeat, taxentur et omnimoda Eminentis Vestris ostendatur informatio. Si vero deductum fuerit, hos praefatos Procuratores fuisse obnoxios huic deteriorationi, cum uterque in vivis existat, et promotione Eminentissimarum Dominationum Vestrarum gaudeant, ad refusionem damnorum (f. 297v) eosdem obligare, Eminentissimae Dominationes Vestrae non dedignentur, et ne similes ausus in futurum quisque praesumat, per poenas irrogandas occurrant. Gratiam hanc humillima prece exposcentes, ut Deus Optimus Maximus sospital hos labores et diuturna vita circa faustissimos successus compenset, perenni optamus voto; et sacram debito osculo veneramur Eminentiarum Vestrarum laciniam, manemusque

Eminentissimarum Dominationum Vestrarum

Servi humillimi, et Exoratores perpetui

LEO KISZKA, Episcopus Vladimiriensis, Ord. Divi Basilii Magni
 Proto Archimandrita (mpr).

JOANNES OLESZEUSKI, Ord. D. Basilii Magni Consultor.

LAURENTIUS KAPANSKI, Ord. Divi B. M. Consultor Poloc.

³⁷ Hilarion Kruševyč, Procurator ab anno 1710, qui hoc anno officium dimittere debuit ob adversam valetudinem.

³⁸ Procuratores in Urbe, ann. 1690-1700, et 1701-1709.

ANTONIUS ZAWADZKI, Or. D. B. M. Consultor, Sup. Zyrovic (mp).
 BASILIUS PROCEWICZ, O. D. B. M. Pro Consultor, Sup. Vilnensis.
 DEMETRIUS ZANKIEWICZ, Ord. Divi Basilii Magni Secr., Superior
 Bitinen.

Ex Monasterio Suprasliensi, die 6 Aprilis 1712.

17.

Volodymyr 25. X. 1712.

Designat novum Procuratorem in Urbe.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol 408rv

Eminentissimi ac Celsissimi S. R. Ecclesiae Principes, Cardinales
 Domini et Mecoenates Amplissimi.

Tanta est calamitatum Regni Poloniae tempestas, quae latiori longe copiosiorique gurgite in nostrum ediffunditur Ordinem, ut infatuatum, mala nostra plectente Numine, Ordinis Procuratorem vix valeat Ordo in Provinciam revocare, in locum vero eius de Provincia substituere, ob extremam qua praemittitur pauperiem, incapax omnino reddatur. Ne nihilominus Provinciae nostrae collata Domus Sanctorum Sergii et Bacchi, de eximia liberalitate, Rectore, Ordo vero in recursibus suis Procuratore destituantur, consultum est iis quos exantlare nequimus parcendo sumptibus, Venerabilem Patrem Benedictum Trulewicz,³⁹ iam ad ostium studii theologici in Collegio Graecorum subsistentem in locum infatuati substituere Procuratoris, praecipue cum a nonnullis circa dexteritatem in rebus agendis non absque solamine celebretur, ac proinde et desideriis Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, et votis Provinciae nostrae sua responsurus industria, minime vano (f. 408v) credatur augurio. Hunc itaque patrocinanti gratiae, una cum Provincia nostra, Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum recommendo et sacerrimam uniuscuiusque purpurae fimbriam exosculans laciniam, maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimus servorum, et Exorator perpetuus

LEO KISZKA, Episcopus Vladimiriensis, Ord. D. Basilii Magni Proto
 Archimandrita (mp.).

Vladimiriæ, die 25 Octobris, Anno 1712.

18.

Volodymyr, 14. III. 1713.

De Coadiutoria Leopoliensi.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3 fol 430 431.

³⁹ Benedictus Trulevyč, Procurator in Urbe (1712-1726). Alumnus in Collegio Graecorum ab anno 1.06; discessit e Collegio die 1 Martii 1713, factus Procurator in Urbe.

Eminentissimi, ac Celsissimi S. Romanae Ecclesiae Principes, Cardinales, Domini, Domini, et Meconates Amplissimi.

In Comitibus Regni Generalibus proxime praeteritis Varsaviae celebratis, non ita pridem nullo effectu dissolutis, Reverendissimus Dominus Episcopus Leopoliensis,⁴⁰ in sortem Personae saecularis, sive consanguinitate, sive affinitate sibi iunctae curavit exportari a Serenissimo Regnante per Poloniam literas Praesentationis, sub titulo Coadiutoriae pro Episcopatu Leopoliensi⁴¹ absque ullo prorsus sive Illustrissimi Domini Metropolitanus, sive Religionis consensu; nec his contentus, recurrere desiderat ad Eminentissimas Celsitudines Vestras, calcata Jurisdictione Metropolitana, pro Installatione eiusdem. Novi quidem ego, Rev.mum olim Szumlanski, Leopoliensem Antistitem,⁴² pro suo in simili recursum fecisse Nepote, nunc Schismatico Apostata,⁴³ ac remisum fuisse ad Ill.mum Zalenski, Russiae Metropolitanum; ac proinde arripio occasionem, firmam habendo fiduciam, trito iam tramite, modernum Recurrentem ad primam remittendum instantiam; nihilominus, ne silendo nostris derogasse videar Privilegiis, Eminentissimas Celsitudines Vestras, contextu praesentium congruum reputo interpellandas, quatenus, si in praesenti, quem expono Eminentissimas, recursum fecerit Rnd.ssimus Dominus Leopoliensis Antistes, ad Illustrissimum Dominum Russiae Metropolitanum (f. 430v), prout de iure, remittatur, nomine Collegii Episcopalis (: quod non tam cito de huiusmodi supplantatione informari poterat, nec proinde Eminentissimas Celsitudines Vestras supplici compellere libello:), qua Metropoliae Protothronus,⁴⁴ nomine vero Ordinis Basiliani, qua eiusdem in hucusque Generalis expetendo. Sacras interea uniuscuiusque exosculans purpurarum fimbrias, maneo

Eminentissimarum Celsit. Vestrarum

infimum perpetuumque mancipium

LEO KISZKA, Protothronus Metropoliae, Epp. Vladimiriensis,

Ordinis Protoarch. (mp.)

Vladimiriae, die 14 Martii, Anno 1713.

19.

Moloczki, 20. 5. 1713.

Litterae testimoniales de perfecta ordinatione sacerdotali.

APF *Scrif. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 624, f. 230.

⁴⁰ Barlaam Szeptyckyj (1710-1715).

⁴¹ Agitur de Gabriele Athanasio Szeptyckyj, qui revera successit Barlaamo in Cathedra Leopoliensi an. 1715, et dein factus est etiam Metropolita totius Russiae et Kioviensis (1729). Obiit an. 1746.

⁴² Iosephus Szumlanskyj (1676-1708).

⁴³ Cyrillus Szumlanskyj, qui ad partes transivit non Unitorum et Episcopus Perejaslaviensis factus est; hic Eparchiam Luceoriensem, pulso legitimo Episcopo Dionysio Zabokryckyj, obtinere contendebat, sed repulsam passus est, instante Sede Apostolica apud Rempubliam Polonam. Cfr. *Documenta respectiva romana in Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, Romae 1954, sub an. 1711-1712.

⁴⁴ Sedes Volodimiriensis erat dignitate prima in Metropolia Kioviensi, eiusque Episcopus ducebat titulum Protothronii, praecedebatque aliis Episcopis huius provinciae ecclesiasticae.

LEO KISZKA, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae Gratia, PROTOTHRONIUS Metropolitae Kijoviensis, Haliciensis, totiusque Russiae, EPISCOPUS VLADIMIRIENSIS et BRESTENSIS, ARCHIMANDRITA SUPRASLIENSIS.

Divino Vivifici Spiritus invocato auxilio, praemisso imprimis solito per Auditorem nostrum, et competenti strictoque super habilitate, scientia, et doctrina examine, servatis omnibus servandis, rite ac legitime, Venerabilem Fratrem Therapontem Bykowski, Ordinis Sancti Basilii Magni Professum, Diaconum, die 20 Mensis Maii anno 1713, in Presbyterum ordinavimus, et consecravimus, eidemque contulimus potestatem, in Ecclesia Dei liturgisandi seu Sacra faciendi, ac ea omnia, quae munus Presbyteri concernunt exercendi, idque in nomine Sacrosanctae, et Individuae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. In horum vero omnium fidem manum nostram subscripsimus, et praesentes Literas sigillo iussimus communiri. Dabantur in Moloczki, die 20 Mensis Maii, Anno Domini 1713.

LEO, Episcopus (mpr.).

POLYCARPUS MIHUNIEVICZ, O. D. B. M.,
Auditor Ill.mi Ep. (mpr.).

20.

Volodymyr, 26. XI. 1713.

Certiorat de obitu Metropolitae Kioviensis et rogat pro nominatione Administratoris.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali* vol. 590, f. 201rv.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, S. R. E. Cardinales,
Domini, et Meconates Clementissimi.

Ad eam tandem inter bellorum fluctuans Unio nostra procellas devenit sortem, ut praeter publicas quibus angitur extreme mala privata desuper quateretur calamitate, et qua salubri consilio, qua efficaci auxilio, in suo, ad viam aeternitatis praeproperis abrepto fati, destitueretur Antistite; cecidit enim Corona Capitis nostri, Dominus noster totius Russiae Metropolitanus⁴⁵ die vigesima secunda Septembris, in Villa Episcopali Straszewicze dicta, redux e Capitulo Generali,⁴⁶ in quo ego decenalem deposui Proto Archimandriam Ordinis Basiliani,⁴⁷ ac viam universae carnis ingressus, dulcem sui nominis recordationem universae reliquit Russiae, quamvis inexplicabili intermixtam dolore; eo quidem maiori, quo inter maiores turbines periclitantis versamur Reipublicae. Prospexerat quidem Defunctus distanti Archidioecesi, debiles mei lacertos administrationi substernendo, me nimis aegre consentiente, sed haec per mortem finita, orbatum plene reliquit Ovile; proinde Orbi notae sollicitudini, e circa Ecclesiarum curam, Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum apprime

⁴⁵ Georgius Vynnyckyj (1708-1713).

⁴⁶ Capitulum Generale Basilianorum, mense Augusto an. 1713, Vilnae celebratum, cui praefuit ut Metropolitanus.

⁴⁷ Ab an. 1703 Leo erat Protoarchimandrita, anno 1709 reelectus ad hanc dignitatem. In Capitulo Vilnensi an. 1713, ob dignitatem episcopalem ab an. 1711 (Ep. Volodimiriensis) deposuit officium Protoarchimandritae.

incumbet, ne qua mali eventus forte Sanctae pupilla enerventur (f. 201v) Unionis; quid equidem non difficile fiet, si quantocius, donec fixum Russiae Metropolitanum Vaticana dederint Oracula, eidem Administratorem pro tempore, pro beneplacito suo, satagant providere. Et denique, quae iustus in pernam excussit dolor, profundissimo ad plantas substernens cultu sacras iniuscuiusque purpurae fimbrias dulci exosculator basio, et maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimum perpetuumque Mancipium

LEO KISZKA, Prothotronus Metropoliae Russiae,

Episcopus Vladimiriensis (mpr.).

Vladimiriae, die 26 Septembris, Anno 1713.

21.

Leopolis, 3 . X . 1713.

Certiorat de obitu Metropolitanæ G. Vynnyckyj, et supplicat de designatione Administratoris.

APF. *Scrit. rif. n. Congressi: Mose., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 435rv.

Illustrissime, Excellentissime, ac Rnd.me Domine, Domine, et Mecoenas

Amplis me.⁴⁸

Quamvis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide iam crediderim esse perspectum decessum Domini Metropolitanæ Russiae, nihilominus, destatione Officii mei Protothronialis, tristem fero nuntium, cum denuntiatione, quod Dominus Metropolitanus viam sit ingressus aeternitatis, die vigesima secunda Septembris, post cuius ad felicem vitam transitum, ne Unio Sancta, sollicito orbata Pastore, praesertim sub tempus infelicitum in Polonia revolutionum, ac imminentium ab Oriente malorum, patiatur iacturam, muneris est, et indefessi circa bonum Ecclesiae zeli, orphanæ Russiae, Administratorem primo, deinceps ipsum quoque Metropolitanum Vaticano providere oraculo; hic zelus porro, veluti Sacram de Propaganda Fide attinet Congregationem, ita quoque ad non postremum, imo principale eiusdem membrum, Ill.mam duntaxat Celsitudinem Vestram, redundare videtur. Ut proinde salutem Unionis, et integritati bonorum eius provideat Ill.ma Celsitudo Vestra, enixe peto, et penes sacrarum osculum fimbriarum maneo

Ill.mae, ac Excellentissimae Celsitudinis Vestrae

Servus humillimus

LEO KISZKA, Protothronius Metropoliae, Episcopus

Vladimiriensis (mpp).

Leopoli, die 3tia Octobris, Anno 1713.

⁴⁸ Secretario fortasse S. C. de Prop. Fide, Silvio De Cavalieri (1707-1717).

22.

*Leopolis, 3 . X . 1713.**Eiusdem argumenti, de obitu Metropolitanis Kioviensis.*APF, *Scrilt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol 3, fol. 436rv.

Illustrissime Serenissime Princeps, S. R. Ecclesiae Cardinalis,
Domine, Domine, et M. Clementissime.

Proxime elapsa Posta, maestas in sortem Unionis, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide dedi literas, praeproperis abreptum fati Dominum Russiae Metropolitanum deferendo;⁴⁹ hac vero idem Eminentissimae Celsitudinis Vestrae prono defero cultu, viam duntaxat universae carnis die vigesima secunda Septembris Russiae Primicerium esse ingressum, et eius quidem pios Manes in Domini requiescere Benedictionibus, Russiam vero unitam, vigilantam orbatam Pastore, tristem de amisso in-somnes ducere noctes, donec a sollicito rerum eius Vaticano oraculo, de Administratore primo, tandem de stabili sit provisum Metropolitanum. Facile certe praecocis succursus indigentiam Eminentissima Celsitudo Vestra colligere poterit, si super turbines undequaque quassantes Patriam, ac super ingruentes ab Othomanico Oriente respicere velit tempestates, quas ut ter Optimum Numen ab agonizante avertat Regno, opus erit Benedictionis Sacrae Eminentissimae Celsitudinis Vestrae, cuius, infimus ego, sacrae fimbrias exosculans purpurae, maneo

Eminentissimae Celsitudinis Vestrae, Domini et M. Clementissimi
infimum perpetuumque Mancipium
LEO KISZKA Protothronius Metropoliae Russiae,
Episcopus Vladimiriensis (mpp.)

Leopoli, die 3a Octobris, Anno 1713.

23.

*Volodymyr, 5 . XI . 1713.**Gratias agit de collata sibi Administratione Metropoliae Kioviensis.*APF, *Scrilt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 591, f. 162.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, S. Romanae Ecclesiae Cardinales,
Domini, Domini et Meconates Clementissimi.

Eo pervenit Emin.mi, et Celsissimi Domini Nuntii Apostolici, in Regno Poloniae commorantis,⁵⁰ munificentia, ut inter tot Ecclesiae Roxolanae Pastores, me, undequaque respiciat, immeritissimum, de plenitudine Potestatis Apostolicae, in Administratorem vacanti praeeligeret Metropoliae, donec aliter Sacerrimae Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum Congregationi et placuerit, et libuerit. Ab eodem Emin.mo Domino Cardinali Nuntio datas ad defunctum Metropolitanum literas ab Eminentis-

⁴⁹ Praefecto S. C. de Prop. Fide, Josepho Sacripante (1704-1727).⁵⁰ Hieronymus Grimaldi (1712-1720).

simis Celsitudinibus Vestris, in negotio consecrationis Domini Hodermarski, recepi; ⁵¹ nec aliud quidquam satagam, praeterquam Sacrae Congregationis hac in Causa adimplere mandata, nec enim deceret eum ascendere Episcopatus apicem, quem Vaticana Oracula a consequendo excludunt fastigio. In quo statu versentur vacantia post decessum Domini Metropolitanus Beneficia, dabitur perspecta, cum ea adiero, notitia; ad praesens vero sacras uniuscuiusque purpurae lacinias exosculans maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum Meoenatum Clementissimorum

infimum. perpetuumque Mancipium

LEO KISZKA Protothronius et Administrator Metropoliae,
Episcopus Vladimiriensis (mpria).

Vladimiriae, die 5 Novembris, Anno 1713.

24.

Spas, 10 . I . 1714.

Refert de administratione Metropoliae Kioviensis.

APF, *Seril. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 591, f. 532rv.

Eminentissimi, ac Celsissimi S. Romanae Ecclesiae Principes, Cardinales,
Domini, Domini, et Meoenates Amplissimi.

Ex mandato Emin.mi, ac Celsissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis, non ita pridem Apostolici in Regno Poloniae Nuntii,⁵² adii possessionem Administratoriam, nedum Metropoliae suo viduatae sponso, verum etiam Episcopatus Premisliensis ac ea, quae animarum prodesse salutis, tum bonorum Unionis indemnitati cognosco, pro debilitum virium, affluente mihi Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum benedictione, operor imbecillitate. Ut vero deveniam etiam ad temporalia meae commissa sollicitudini, defero, penes me solam cum futuris litigiis mansisse sollicitudinem, ab Affinibus vero defuncti Domini Metropolitanus⁵³ universa quaeque tum ex Monasteriis, tum ex Praediis Ecclesiae, ac quod maximum est, etiam iura, munimenta, Bullas, Brevia, Indulta, Decreta, Privilegia, Mitras, Pastoralia, caeteraque saeculis parta decora Ecclesiae Metropolitanae abrepta esse, ad quae vindicanda, quamvis acerrimum zelum in Ill.mo et Celsissimo Domino Nuntio Apostolico recognoscam, nihilominus congruum duxi, Eminentissimas quoque Celsitudines Vestras petere, veluti praesentium contextu adgeniculatus uniuscuiusque plantis expeto, quatenus earum

⁵¹ Joannes Josephus Hodermarskyj, Candidatus Aulae Viennensis ad Eparchiam Mukačoviensem inde ab an. 1707, quam tamen nunquam obtinuit ob oppositionem Sedis Apostolicae. Anno 1715 Eparchiam obtinuit Georgius Bizanczy. Cfr. de hac controversia tum *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, Pomae 1954, tum *Litteras et Acta S. Congreg. de Prop. Fide*, in editione romana, sub annis 1707-1715.

⁵² Verosimiliter Benedictus Odescalchi (1712), qui erat Archiep. Mediolanensis, promotus in Cardinalem die 30. I. 1713.

⁵³ Georgius Vynnyckyj (1708-1713). Familia haec in Ucraina occidentali sat potens erat et numerosa, et per secundam medietatem saec. XVII Eparchiana Peremysliensem fere ininterupte gubernabat.

literis ad praecocem Ill.mus et Celsissimus Dominus Nuntius Apostolicus ⁵⁴ administrandam inflammatur iustitiam. Quod attinet ipsum electionis (f. 532v) futuri Metropolitanum Actum, huic de mandato similiter praetacti Emin.mi Domini Cardinalis, Archiepiscopi Mediolanensis, diem decimam sextam Februarii, Novogrodeci in Lythuania, praefixi, cui Actui, ut Emin.mae Celsitudines Vestrae copiosam impertiri dignentur benedictionem, enixe peto, et penes osculum sacerrimarum fimbriarum maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum et Mecoenatum Clementissimorum

infimum perpetuumque Mancipium et Exorator continuus

LEO KISZKA Administrator Metropolitae Russiae,

Episcopus Vladimiriensis.

In Monasterio S. Salvatoris, die 10ma Januarii, Anno 1714.

25.

Leopoli, 26 . I . 1714.

Refert de negotiis administrationis Metropolitae, nec non de consecratione Joannis Hodermarskyj.

APF *Scrit, rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 479-480v.

Illustrissime ac Celsissime Domine, Domine, et Mecoenas Clementissime.

Quanto solitudinis pondere feratur Sancta Sedes Apostolica circa indemnitate pusilli in unita Russia Gregis, continua erudimur praxi; qua quidem plus quam manifeste experimur Unionem Gentis nostrae adeo paterno foveri sinu, ut nihil unquam quidquam ab oraculis Vaticanis, nisi Unioni proprium sentiamus; quod, si alibi, in mea certe Persona luculentius patet, quae cum sit nullitatis meritorum plenissima, ad eum nihilominus aestimationis mihi indebitae devenit gradum, ut et ab Emin.mo Domino meo Archiepiscopo Mediolanensi, et ab Ill.ma Celsitudine Vestra inter capaces Administratorialis in Russia Officij annumerari valuerit. Faxint benigne Superi, ut opitulante Celsitudinis Vestrae Ill.mae Benedictione Apostolica, quam pronò efflagito poplite, etiam inutile Militantis Ecclesiae Membrum propagandae Unioni aptum ex inepto reddatur, et desiderijs Ill.mae Celsitudinis Vestrae optata queat efficacia agendorum respondere. Dioecesim Premysliensem in quo repererim statu, eam nimirum in Praedijs a Successoribus Domini Metropolitanum Russiae radicitus esse eversam, iam binis Ill.mae Vestrae detuli literis; nunc Listam universorum dicti Episcopatus appono Proventuum, quae quoniam paucitatem indicat eorundem, pauca quoque in Personas Seminarii Rutheni Leopoliensis dignissimi Praefecti,⁵⁵ et Rn.dmi Nominati Munkaczoviensis poterant erogari,⁵⁶ ita nihilominus accrescente circa vernum (f. 479) tempus

⁵⁴ Hieronymus Grimaldi (1712-1720).

⁵⁵ Stephanus Trombetti (1706-1723).

⁵⁶ Hic agitur de Polycarpo Fylypovyč, nominato Episcopo Mukačoviensi inde ab anno 1710, quam tamen Sedem non obtinuit ob resistantiam Aulæ Viennensis et Josephi Hodermarskyj. Proinde vivebat in Eparchia Peremyliensi et dein ad latus et dispositionem Metropolitae Kioviensis.

Proventu progredi in suprafato satagam negotio. Ut ne quidem latum unguem a mandatis discedam Apostolicis, ad interim autem veluti consumor moerore animi, quod hic non invenerim Rv.dnum P. Trombetti, ac proinde nihil plane circa integritatem Unionis contulerim; ita quod Vicariatum in Spiritualibus provisionaliter Rn.dmo Nominato Munkaczoviensi contulerim in Dioecesi Premysliensi significo.⁵⁷ Quod attinet consecrationes Episcoporum, et Presbyterorum, eas fieri pretio, crediderim esse deferentis errorem; eam enim, quam imbibimus Romae de observandis Canonibus doctrinam, veluti propinamus alijs, sic certo certius in praxi habemus, ut vero magis magisque votis Ill.mae Celsitudinis Vestrae faciam satis, deferre congregato DD. Episcoporum coetui eiusmodi non gravabor negotium, super quo et Resolutio- nis eorundem obtento literas ad plantarum ima Ill.mae Celsitudinis Vestrae depen- das et ipse plenius post peractam futuri Metropolitae die decima Sexta Febr. No- vogrodeci in Lythuania electionem, penes osculum fimbriarum universa statum Rus- siae concernentia explanabo negotia. Munkaczoviensis Ecclesia Episcopatu con- temina Praemysliensi, Apostolicum quod expetat succursum, patuisse iam Eminen- tissimo Domino meo Archiepiscopo Mediolanensi sat superque credo, non tamen eo obstante praetermittere sino ea, quae cum ingenti animi mei moerore in submon- tanis perceperam oris, plurimas scilicet Ecclesias ad Schisma, nec pauciores ad Hae- resim, deficiente Pastore, descivisse, Ecclesias crucibus decalvasse, imaginibus denu- dasse, praecipue in districtu Syllacrag dicto, inter Varadinum oppidum et Transyl- vanam Provinciam situato,⁵⁸ quod equidem mihi innuisse sufficiat non defuturo ad succurrendum (f. 480) Ill.mae Celsitudinis Vestrae zelo. Parochi quoque Premysliensis Dioecesis Saxonice extra fere numerum gravatis contributionibus, specialiter in Bonis ad Oeconomiam Regiam Samborensensem spectantibus, zelum Ill.mae Celsitudinis Ves- trae interpellant, quatenus Rescripto Serenissimi Regnantis, interpositione Ill.mae Cel- situdinis Vestrae evincendo, ne Saxones⁵⁹ opprimant Parochos, inhibente muniantur, quod Rescriptum, si obtentum sit, ut ad manus Rn.dmi Patris Trombetti ordinetur, enixe peto, et acclinis ad osculum sacrarum fimbriarum maneo

Ill.mae Celsitudinis Vestrae, Domini et Mecoenatis mei Clementissimi
 infimus servorum et Exorator perpetuus
 LEO KISZKA, Episcopus Vladimiriensis,
 Administrator Metropolitae.

In ipso abscessu meo Leopoli supervenit Rn.dmus P. Trombetti, a quo collata inter nos patebunt Ill.mae Celsitudini Vestrae.

Leopoli, die 26 Januarii 1714.

⁵⁷ Polycarpo Fylypovyč. Cfr. notam praecedentem. Hic erat antea Procurator in Urbe (1690-1700). Vir doctus et rerum tum historicarum tum liturgicarum peritus.

⁵⁸ Districtus hic vocatur temporibus modernis: Szilagy.

⁵⁹ Tunc temporis Rex Poloniae erat e familia Saxoniae, Augustus II, Saxo. Exinde plu- rimi saxones varia obibant officia in Regno Poloniae; imo temporibus belli s. d. septentrionalis inter Carolum XII, Regem Suecorum, et Petrum I, Caesarem Moscoviae, exercitus saxonicus, qui ex parte Augusti II pugnabant numero maiori regiones Poloniae aliarumque provinciarum vasta- bant variasque contributiones populo imponebant.

Karpyliv, 31 . 1 . 1714.

De conaminibus quorundam monachorum subruendi advitalitatem Consultorum Ordinis Basiliani.

APF, *Scrit. nif. n. Congregazioni Generali*, vol. 596, f. 230rv.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, S. R. E. Cardinales,
Domini, Domini, et Meconates Clementissimi.

Altissimo hactenus involuimus silentio, ob dissitas inter nos, idque longissimis distinctas spatii mansiones, ea, quae in Generali Capitulo Vilensi, anno proxime elapso, diebus Iulii celebrato,⁶⁰ in eversionem ordinis in Ordine Basiliano, a nonnullis nocivae novitatis motoribus, cum plena protervia sunt patrata; nunc aggregati in unum, ob tuitionem Uniti status, quae siluimus, ea profundo cum cultu, ad ima plantarum Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum deprompta reponimus. Instante sub tempus dicti Capituli, ad normam pristinae, electione Consultorum Ordinis, placuit iunioribus, ex solo odio et malevolentia erga unam Personam Consultoris in Officio positam, ob id unicum, quod in religioso sibi subiectos manuteneret rigore, nec sineret regularem dilabi disciplinam, advitalitatem, integro practicatam saeculo, Constitutionibus Ordinis stabilitam, Decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide roboratam, Consultorum invertere,⁶¹ nocivum vero eorundem quadriennium invehere, ac, nisi eorum acquiesceret Generale Capitulum votis, Vilna recedere, contra Capitulum protestari, irrita universa reddere. Ad sedandos hosce iuvenum motus aderat praesto consilium, quatenus duntaxat eligantur in locum Defunctorum Consultores; de advitalitate vero, sive quadriennio, ad Eminentissimas Celsitudines Vestras decidenda exorta eiusmodi quaestio remitteretur; caeterum nec hoc praesentissimum remedium praeconceptam infregit pertinaciam apud eos, quorum animo firmiter inhaesit alterutrum, sive (f. 230v) a loco Capituli recedere, sive advitalitatem annullare, perpetrare. Deventum denique ad ea, ut ob timorem scandali in Urbe Vilnensi, sat populosa, idque ex maxima parte schismatica, plena sub tempus Tribunalis Senatorio, et Equestri Ordine, daretur furori locus, et permitteretur nocivum Consultorum quadriennium, spe annullandi huiusce per Eminentissimas Celsitudines Vestras, extorta in Capitulo, Decreta, quod ut Eminentissimae Celsitudines Vestrae cassare dignentur, anteriori inhaerendo Decreto, enixe petimus, et sacram uniuscuiusque exosculantes purpuram manemus

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum et Meconatum Clementissimorum

infimi servorum, et clientum, ac Exoratores perpetui

LEO KISZKA, Protothronius, et Administrator Metropoliiae, Episcopus Vladimiriensis (mpr).

⁶⁰ Capitulum Generale Basilianorum Vilnense, sub praesidentia Georgii Vynnycky, Metropolitani, ad eligendum novum Protoarchimandritam.

⁶¹ Cfr. hac de re opus M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958; pag. 181 sq.

JOS. WYHOWSKI, Episcopus Luceoriensis, Ostrog., Exarcha Metropolitae totius Russiae (mpr).

PETRUS PORPHYRIUS KULCZYCKI, Episcopus Pinscensis, ac Turovien., Archimandrita Leszczynensis (mpria).

JOSEPHUS LEWICKI, Episcopus Chelmensis ac Belzensis, etc...
Karpiloviae, die 31 Januarij, Anno Domini 1714.

27.

Varsavia, 16 . V . 1714.

De confectione processus consistorialis de sua persona promovenda ad Metropoliam Kioviensem.

APF, *Serit. nif. n. Congregazioni Gen rali*, vol. 593, f. 248.

Eminentissime, ac Celsissime Princeps, S. R. Ecclesiae Cardinalis,
Domine, et Mecoenas Amplissime.

Praeter ea, quae in seorsivis ad sacram de Propaganda Fide Congregationem datis exaravi literis, sunt reliqua, quae Reverendo Procuratori in Urbe, eidem sacerrimo Caetui ab eo exponenda commisi, quibus ut Eminentissima Celsitudo Vestra clementi sua auxiliari velit protectione, anxie peto. Pro vacanti Metropolia, qui sit institutus, et iam perfectus in meam Processus Personam, deferet Eminentissimae Celsitudini Vestrae Excellentimus Dominus Nuntius Apostolicus, ego vero mandata omni cum alacritate SS.mi Domini Nostri Domini Clementissimi, ac sacerrimae proestolans Congregationis, fimbriam purpurae sacrae Eminentissimae Celsitudinis Vestrae dulci delibans basio, maneo

Eminentissimae ac Excellentissimae Celsitudinis Vestrae
infimum perpetuumque mancipium, ac continuus Exorator

LEO KISZKA, Administrator Metropolitae Russiae,
Episcopus Vladimiriensis (mpr).

Varsaviae, die 16 Maii, Anno 1714.

28.

Varsavia, 16 . V . 1714.

De electione sua in Metropoliam Kioviensem, et de conaminibus Hodermarskyj pro consecratione in Episcopum Munkacsiensem.

APF, *Serit. nif. n. Congregazioni Generali*, vol. 593, f. 249rv.

Eminentissimi ac Celsissimi Principes, S. R. Ecclesiae Cardinales,
Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi.

Administrationem vacantis Metropolitae, mihi collatam ab Emin.mo Domino Cardinali Odescalcho,⁶² quod cum non mediocri voluptate animi receperit Sacra de

⁶² Benedictus Odescalchi, Nuntius Varsaviensis (1712-1713).

Propaganda Fide Congregatio, ea est benevolentiae tessera Eminentissimarum Celsitudinum, quae in tenuibus etiam Personis, de sola plenitudine clementiae et rimatur, quod inveniat, et cum nil boni reperiat, quasi repertum collaudet, quodsi alicubi, in mea certe Persona apprime experior, cui abortivo in Ecclesia Roxolana, et Vicaria Romae potestas per Poloniam tradidit, et ipsa sacerrima Congregatio vacantis Administrationem non reprobavit Metropoliae, in ea vero, si quid strenui, debilis, si quid solliciti, socors, exerceat, benedictioni certe Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, non meae debebitur tenuitati. De Reverendo Hodermarski, quid ex inito cum Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico sit sancitum consilio, deferet idem, meum est innuisse de eo intra Monasterii Laurowiensis Claustra continendo, universum fere negotium, ad dandam ex Viennensi Aula esse reiectum informationem, praecipue cum dictus Pater extra Poloniam, per Hungariam soleat divagari. Consecrationem ille certe conformiter ad mandatum Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum neququam obtinebit, ut vel ea protelatione diutior ob ea ad Vicariatum in Munkaczze Apostolicum R. Patri Polycarpo⁶³ (:cui opportuna de Episcopatu Premysliensere extreme desolato sustentatio data:) submoveretur. Quod vero meipsum, Causamque Metropolitanam spoliis, in Apostolico per (f. 249v) Poloniam Tribunali vindicandam, Excellentissimo Domino Nuntio Eminentissimae Celsitudines Vestrae commendarint, profundo poplite demissoque ad ima plantarum vertice, enixas persolvo grates. Exponet caetera Unitae in Russia Ecclesiae desideria Reverendus Procurator in Urbe, cui ut benignissimam Emin. mae Celsitudines Vestrae non dedignentur exhibere aurem, supplicem fero libellum et penes sacrarum osculum uniuscuiusque purpurae fimbriarum maneo

Eminentissimarum, ac Excellentissimarum Celsit. Vestrarum

infimus perpetuumque Mancipium et indefessus Exorator

LEO KISZKA, Administrator Metropoliae,

Episcopus Vladimiriensis et Brestensis (mpr).

Varsaviae, die 16 Maii, Anno 1714.

29.

Varsavia, 16 . V . 1714.

Petit protectionem pro Metropolia sibi concessa.

APF, *Scrit. rif n. Congregazioni Generali*, vol. 593, f. 250.

Illustrissime, Reverendissime ac Celsissime Domine, Domine et Macoenas Amplissime.

Pro Metropolia vacante iam institutus, expletusque est Dominationem Vestram enixe exoro, ut si quid est quod ad hanc dignitatem promovendam attineat, iuvare benigne dignetur; potens quippe est Ill.ma ac Celsissima Dominatio Vestra verbo, opere, autoritate apud istam Sacram Congregationem, nec non et apud Sanctitatem Suam; faveat insuper audire super hac re R.dum Dom. Procuratorem, qui meo no-

⁶³ Polycarpus Fylypovyč, nominatus Episcopus tit. Mukačoviensis an. 1710, sed ab Aula Viennensi impeditus, ut possessionem Sedis obtineret.

mine eidem Illustrissimae ac Celsissimae Dominationi Vestrae exponet, quod expedire videbitur. Quidquid gratiae, humanitatis atque beneficii in me fuerit collatum, memoria retinebo, et persuasum velim habeat, me semper fore paratum ad exequendum Ill.mae ac Celsissimae Dominationis Vestrae mandata, cui me interim commendo, humillime deosculans manus

Ill.mae, ac Ru.dmae Celsitudinis Vestrae

Servorum infimus, et Exorator continuus

LEO KISZKA, Administrator Metropoliae,

Episcopus Vladimiriensis (mpr).

Varsaviae, die 16 Maii, Anno 1714.

30.

Spas, 23 . IX . 1714.

De Alumnis romanis, nec non de conaminibus J. Hodermarskyj obtinendi consecrationem episcopalem.

APF, *Srit. rif. n. Congregazioni generali*, vol. 595, f. 332rv.

Eminentissime, ac Celsissime Princeps, Romanae Ecclesiae Cardinalis,
Domine et Mecoenas Clementissime.

Quod de plenitudine clementiae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cooperante Em.ma Celsitudine Vestra, bini de Ordine nostro Adolescentes ad Collegium de Propaganda Fide, pro studiis theologicis, sint admissi,⁶⁴ demisso poplite, summas Eminentissimae Celsitudini Vestrae exsolvo gratias; expediuntur illi a Patre Proto Archimandrita Ordinis,⁶⁵ nec prius ad Limina pertingent Apostolorum, donec de suis, ne Sacrae Congregationi de Propaganda Fide facessant negotium, ab Excellentissimo et Ill.mo Domino Nuntio Apostolico examinentur talentis.

A Reverendo Hodermarski⁶⁶ iam binas magnatum Hungariae stipatas interpositionibus, ut consecrari possit in Episcopum, obtinui literas, ad quas eiusmodi responsum dedi, ut omnem omnino promotionis suae spem rescindat, nec in totius Orbis Magnatum instantiis spem reponat, donec constiterit Sedem Sanctam Apostolicam sibi hac in parte sufragari; conclusi proinde, ne me suis ultra fatiget literis, veluti inscia Sacra Congregazione impotentem suis acquiescere votis. Audivi recursum fecisse ad Metropolitanum Serviae, Vincentium Popowicz, pro consecratione, et installatione sui, verum etiam ab illo, quamvis schismatico, contrarium pruritu suo obtinuisse responsum, pro quo eidem, per Archimandritam Serbiae, in Provinciis Poloniae eleemosinas conquirentem, qui et Relator est facti recursus, verbaliter gratias dedi, et ne se decipi permittat, obsecravi. Episcopatus Premyslensis Administratio, praesertim instante hyeme, ac cum ea Militaribus stativis non postremam cordi meo infligit cica-

⁶⁴ Ignatius Kulezyckyj et Basilius Polatylo, die 28. XII. 1714. Primus erat dein Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1736-1743), alter Procurator Ordinis in Urbe (1729-1736).

⁶⁵ Basilius Procevyč (1713-1717).

⁶⁶ Joannes Josephus Hodermarskyj, ab anno 1707 Candidatus Aulae Viennensis ad Sedem Mukačoviensem, a Sede Apostolica non admissus. Eparchiam nunquam obtinuit, sed Archimandria Mukačoviensi contentus esse debuit.

tricem, difficile enim est Lythuanam simul (f. 332v) et Polonam a Bonis Ecclesiae avertere militiam, et praeterea Saxonicas ab iisdem amovere contributiones, in tanta locorum interapedine, praecipue cum a successoribus Domini defuncti Metropolitan⁶⁷, cum quibus tum in Sacro Tribunali Apostolico, tum in Areopago Saeculari Lublinensi litigo, radicitus Bona Episcopatus Premyslensis extiterint subversa, ita ut aliunde conquisita vivere sit necessum annona; humili proinde acclinis poplite, ex-peto Celsitudinem Vestram Emin.mam, quatenus providendo indemnitati Dioecesis, electionem futuri Pastoris, ac installationem eius, qui sua templa curet, fieri, ne residuum secutura hyeme Bonorum Ecclesiae militaris absorbeat licentia, gratiose permittat. Sacram denique dulci exosculans basio purpurae laciniam, ac singulari tutamini Roxolanam insinuans Ecclesiam maneo

Emin.mae Celsitudinis Vestrae, Domini mei, et Mecoenatis Clementissimi
infimum perpetuumque Mancipium
LEO KISZKA, Episcopus Vladimirien., Metropolitae
Russiae Administrator.

In Monasterio Sancti Salvatoris, die 23tia Septembris 1714.

31.

Leopolis, 29 . X . 1714.

De Seminario Peremysliensi et Leopoliensi.

APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 596, f. 154.

Illustrissime et Excellentissime Domine, Domine, et Mecoenas Amplissime.

Ea, quae in rem, et maius commodum Roxolanae Ecclesiae cum Sancta Romana Ecclesia unitae, cum Rev.mo Patre Trombetti Leopoli conclusi, Celsitudini Vestrae Excellentissimae deferre congruum aestimavi. Ponderatis his, quae mihi Celsitudo Vestra Varsaviae de erigendo in sortem Praemysliensis Dioecesis insinuaverat,⁶⁸ quod duntaxat nimis exigua quadraginta millium florenorum Polonicalium etiam pro ipsis Seminarii Rectoribus, nedum pro Alumnis portio esset, constitui, ad mentem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Seminario Praemysliensi legatam Leopoliensi iam erecto applicare summam, praesagiens hoc pacto magis magisque commodo et emolumento Praemysliensis Dioecesis provisum iri. Loquetur Reverendissimus P. Trombetti⁶⁹ fusiora, ego vero opitulante benedictrice dextera Celsitudinis Vestrae Excellentissimae, si qui esse possint hac in parte obices (: praecipua porro est Ordinis Basiliani interventio:) omni tollere conatu satagam, ac pro tenuitate mearum allaborabo virium, veluti is, qui semper mandatorum Sanctae Sedis Apostolicae observan-

⁶⁷ Georgius Vynnyckyj (1708-1713).

⁶⁸ Agitur de Seminario, quod Episcopus Peremysliensis et Metropolita Kioviensis Vynnyckyj primum Jaroslaviae et dein Peremysliae erigere intendebat eiusque curam et directionem PP. Basilianis committere. In hunc sensum suum etiam testamentum condidit, sed, a Nuntio Apostolico persuasus, numerum Alumnorum in Collegio Armenorum Leopoli augmentavit.

⁶⁹ Stephanus Trombetti, Theatinus, Rector Pontificii Collegii Leopoliensis (1706-1723). De Ecclesia Unita bene meritus.

tissimus extiteram in hucusque Cultor. Maneo interea penes dulce fimbriarum osculum
Ill.mae et Excell.mae Celsitudinis Vestrae

Servorum infimus, et indefessus Exorator
LEO KISZKA, Metrop.

Leopoli, 29 Octobris 1714.

32.

Polock, 14 . II . 1715.

De provisione Archieparchiae Polocensis, de Bullis provisionis in Metropoliam Kioviensem, nec non de coadunanda Provinciali Synodo.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 599, f. 375rv.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,
Domini, Domini, et Mecoenates Clementissimi.

Vacanti, post decessum Domini Sylvestri Pieszkiewicz,⁷⁰ Archiepiscopatu Polocensi provisurus, descendi Polociam, Moschorum conterminam ditionibus, cum magno animi maerore, quod ob abstrusam in qua dego ad praesens Regionem, publicis Tabellionibus omnimode destitutam, imo, quod maximum est, brevi ob resolutionis fluviorum imperviam, non ea praecocitate, quam anhelō, providis Patribus, Eminentissimis duntaxat Celsitudinibus Vestris vota et desideria Unionis laeta et tristia Ecclesiae Roxolanae deferre quam ac denuntiare attentare possim, omni nihilominus possibili modo, et adinvenibili satagam via illud reponere in effectu, ut et Em.mae Celsitudines Vestrae perfectam de rebus Russiae accipiant notitiam, et ego toties iterandam, totiesque instaurandam capessam, ut de imbecilli validior pro incremento reddar Ecclesiae benedictionem.

Hunc cum scribo recipio pro Metropolia Russiae, expeditam ab oraculis Vaticanis, Bullam,⁷¹ cum tremore quidem, cum a tanto onere magni in Ecclesia primitiva Doctores inter andita sese inaccessorum contulerint nemorum, sed quia meliorem esse didici obedientiam, quam victimam, obsequentissimus Patrum filius, veluti animam et corpus in victimam fero; ita ut sim proficuus in studio, quod currere iussistis, Eminentissimi Domini Mecoenates Amplissimi, Athleta, paternam uniuscuiusque imploro benedictionem, ac si non tam cito Juramentum in Bulla praescriptum transmittatur, ob impervia, quae supra, itinera dissitosque coram quibus emitti debet Dominos Episcopos, tum ob addendas a Patre Procuratore nostro Generali rationes, plenariam tribui expeto indulgentiam.

Ut vero in primordiis commissi per Russiam regiminis aliqualem Celsitudinibus Vestris Emin.mis salutis animarum avidis adferam consolationem, denuntio, duas super quadraginta, cum adhuc in Volinia essem, praeter quatuor Monasteria, odibile Domino Schisma eiu-rasse, ad Petram Petri accessisse, et Districtus binos sat late patentes, Ovru-

⁷⁰ Archiepiscopus Polocensis ab anno 1710. Eius Successor erat Florianus Hrebnyckyj, sed omnes fere historiographi eius nominationem in Archiepiscopum Polocensem in annum ponunt 1720. Ex hac epistola tamen videtur, eum saltem anno 1716 hanc archieparchiam obtinuisse, prout et ispe postea in aliis fatetur documentis.

⁷¹ Bulla exarata fuit sub data 13. IX. 1714. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, Romae 1954, pag. 31 in nostra editione.

censem scilicet et Zytomirenses, sanctae Matri animas suas aggregasse,⁷² nec iam quidquam manere in Regno, excepto Mohiloviensi in Alba Russia ducatu, quod non Christo militet, quod non Petro obediat, quod non Vicario Christi, Successori Petri, sit subiectum; (f. 357v) erigit nihilominus impias perversus Daemon cristas, sed facili negotio rescindendas, cum loco Schismatis, de Moscovia pulsos in Dioecesum Polocensis, Luceoriensis, et Leopoliensis malesanos intulerit homines, confinia, originem, et dogmata eorum seorsiva explano pagella, supplicem ad plantas Celsitudinum Vestrarum Eminentissimarum prosternens una mecum libellum, ut a SS.mo Domino Nostro, Domino Clementissimo, Pontifice Romano, detur facultas Provinciale Synodum congregandi,⁷³ in qua et nova haeresis, veluti in radice atteratur, et contentiones non sine scandalo, circa fines, et principia uniuscuiusque Dioecesis inter Dominos Episcopos exortae, sopiantur, et de praecedentia eorundem nociva semper disterminetur quaestio, et uniformitas in Ritu concludatur, et diversi demum, singulariter in conversis noviter Diocesibus, aboleantur abusus. Prolixitatem denique meam cupiens esse excusatam, sacram uniuscuiusque purpurae exosculans laciniam, et maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum, et Mecoenatum Clementissimorum.

infimus perpetuumque Mancipium et continuus Exorator

LEO KISZKA, Metropolitanus Archiepiscopus totius Russiae (mpria).

Polociae, die 14 Februarii, Anno 1715.

33.

Polock, 14 . II . 1715.

De origine, dogmatibus et fide sectae Philippianorum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 599, f. 376rv.

Initia, et Dogmata perversa Sectae Philippeae fides.⁷⁴

Ortum habuit haec haeresis in Moschovia, anno salutis humani generi restauratae 1650, sub Alexio, Magno Duce, et Nicone, Patriarcha Moschoviae. Authores eius quatuor extitere Decani: Philippus, a quo et secta Philippeae dicta, Capiton, Lazarus et Nycaetas,⁷⁵ hi longe lateque errores suos per rudem Moschoviae populum disseminarunt, et praeter errores Graecorum, alios in Moschoviam invexerunt. Paulo post ab Alexio, Caro Moschoviae,⁷⁶ e ditionibus illis pulsi sunt, et nonnulli contulerunt se

⁷² In Ucraina, in provinciis Volhinae et Podoliae, quae tunc temporis pertinebant ad Eparchiam metropolitanam Kioviensem.

⁷³ Synodus congregata fuit anno tantummodo 1720, mense Augusto-Septembri, Zamostiae, maximumque habet momentum in Ecclesia Unita usque ad nostra tempora. Fuit confirmata anno 1724 modo speciali a Sede Apostolica. Cfr. de hac Synodo posteriores epistolas anni 1720.

⁷⁴ Secta haec ortum habuit in Moscovia, sed mox etiam in partes Ucrainae transmigrare cepit.

⁷⁵ Capita sectae Philippianae: Capiton, anachoreta, qui fidem christianam modo individuali intelligebat et praedicabat; (Cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, pag. 227, 340); alii erant capita sectae tum ante Philippum, tum postea.

⁷⁶ Alexius, Car Moscoviae (1645-1676).

ad Urbem, et emporium Asoph dictum,⁷⁷ alii vero in Ucrainam, ad Cosacos, illi qui in Asoph substiterant, et sub tempus obsidionis Caro Moschoviae maiori impetu, prae Turcis, restiterant, capta Urbe Asoph, ad internecionem sunt deleti, hi vero qui se Ucrainam contulerunt, de Civitate in Civitatem, de Vicis ad Vicos a Symeone Samuelide, Colonello Stadoduboviensi,⁷⁸ propulsati, in haec usque tempora per Ucrainam vagabuntur; cum vero nunc Ucraina, plane eam quam antehac habuit, ob seditionem a Mazepa⁷⁹ contra Serenissimum Petrum, modernum Moschoviae Carum, concitatam amiserit libertatem, et iam Arces gubernentur a Moschis, haeretici dicti, metuentes sibi excidium ab infenso Principe, in Ditiones Russiae nostrae secesserunt, et in Archiepiscopatu Polocensi novas Villas, tum in Episcopatibus Luceoriensi et Leopoliensi erexerunt, ad quos, vivunt enim sancte ad apparentiam, veluti hypocritae, vicinior plebs confluere incipit, ac eorum sectam, dicitur, amplexari. Porro, Dogmata eorum, quae ad praesens indagare potui, sunt enim plurima, quae perfecte nondum sciri possunt, eiusmodi sunt.

1mum: Sacramenta Confirmationis, Eucharistiae, Paenitentiae, Ordinis et Extremae Unctionis respuunt; Sacramentum vero Eucharistiae extremo odio prosequuntur, adeo ut dicant Corpus Christi Domini esse Antichristum, admittent Deo soli debitum conventum, nos vero vocent sectatores Antichristi.

2dum: De Matrimonio, quod non sit Sacramentum tenent, proinde, ex mutuo consensu illud conflari, et ad libitum posse fieri commutationes uxorum, asserunt impudenter.

3tium: Ecclesias earumque extructiones rident, ipsi vero ad simplex aliquod aedificium pro devotione confluent, idque tempore vespertino, a quo inchoando, continent devotiones, sed ignoratur quales, usque ad primum gallorum cantum, quo audito, Domos se suas recipiunt.

4tum: Corpora humana sepultura omni carere debere mordicus tenent; suos proinde defunctos, indilate, tempore tamen nocturno de Domo abreptos, in lutron profundum abiiciunt, adeoque et loca talibus vicina pro mansione eligunt fangis.

5tum: Quod non liceat hominibus signare se tota manu, sed tribus tantum digitis, docent, per tres vero digitos intelligunt tres debere dari in Deo essentias, et naturas. Et hoc Dogma pro primo suae sectae dogmate ponunt, unde cum iussu Alexii, Cari Moschoviae, comburentur nonnulli, ultro se praeparato devoventes igni inclamabant,

⁷⁷ Azov, Oziv, ad ostium fluminis Don, in s. d. Mare de Azov, vel Palus Maeotis, vel Mare delle Zabacche. Oppidum hodie insigne. Incolae maiori ex parte tamen sunt moscovitae, etiamsi territorium hoc naturaliter quasi ad terras pertinet Ucrainae.

⁷⁸ Fortasse agitur de Joanne Samojlovjč, duce cosacorum ucrainorum (1672-1687). vel de quodam ex eius familia.

⁷⁹ Joannes Mazepa, dux cosacorum ucrainorum (1687-1709). Hic anno 1708 auxiliante Carolo XII, Rege suecorum, Ucrainam e iugo moscovitarum liberare contendebat; sed mense Julio 1709 apud oppidum Poltava in Ucraina, victus simul cum Carolo XII, in exilium abiit, ubi mox eodem adhuc anno obiit in Bendery, in dominio turcarum. Motus, qui independentiam politicam Ucrainae a Moscovia pro meta habet exinde denominatur « mazepynstvo », ipsiusque Mazepa nomen ab Ecclesia moscovita schismatica anathemate ecclesiastico duo fore per saecula simul cum haresiarchis Ecclesiae anathematizabatur. Victo Mazepa, Petrus I autonomiam Ucrainae coarctavit et plurima sustulit privilegia.

tribus se signantes digitis: Pro tali ego Cruce, significante tres in Deo naturas, eum in ignem.

6tum: Christum Dominum eius staturae fuisse in utero B.mae Virgtnis Mariae, cuius erat in Cruce, asserunt.

7mum: Eos, qui sunt baptisati non per immersionem, sed infusionem aquae, Paganos appellant, universum, et totum omnino hominem debere aqua circumfundi asserentes.

8vum: Cruces argenteas, aut ex alio quovis metallo confectas, Cruces Antichristi vocant, necesse adorandas asserunt, talem enim debere adorari Crucem, in quali pro salute nostra pependit Christus, acerrime contendunt.

9num: Aquam benedictam adeo horrent, ut si minima gutta in vestes eorum decidat, loca, in quae deciderit, abradunt, imo de vestibus suis, eadem de causa, excindunt, quod cum probarent insolentes Milites, et copiose in nonnullos effusa simplici aqua, asserendo eam esse benedictam, vestes madefacerent, in praemium huius aspersionis abiectas ab Haereticis vestes, nec eas retinere amplius volentes, acceperunt.

10mum: Libros typis impressos, libros Antichristi nuncupant; suis manuscriptis, veluti divinis, contenti, quid autem in iis scripserint, sive scribant, nemini hactenus notum.

11mum: Nec in esu, nec in usu vestium, nec in alia quavis ad societatem hominum pertinenti re cum Catholicis participant, vasa, de quibus Catholicum in eorum Domo contigerit manducare, confringunt, in quibus sederint sedilia, vel pelles abradunt, vestes, si quis per iocum se contexerit, abluunt; Maleficiis tantis intenti, ut vulgo asserant nonnulli eorum sectae gnari, etiam per comestam benedictam, seu satius maledictam, ab iis buccellam panis ad sectam eorum non leviter attrahi, nec segniter inclinari.

Plura alia, quae docent illi, partim ignota, partim nondum bene examinata, subticentur, in aliquibus vero Maiestati Sanctae Sedis Apostolicae, auctoritati Celsitudinum Vestrarum Eminentissimarum, et pudori catholico consulitur, etc.

34.

Polock, 14. 11, 1715.

Certiorat de receptione Bullarum Metropoliae et gratias agit petitque benedictionem et protectionem.

ASV, *Nunz, di Polonia*, vol. 391, fol. n. n.

Beatissime ac Sanctissime Pater, Domine, Domine, Clementissime.

Ad confinia Moschoviae subsistens,⁸⁰ ac inibi tuitioni Unionis, Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae exaltationi invigilans, recepi Bullam expeditionis pro Metropolia universae Russiae⁸¹ a Sanctitate Vestra, Domino Nostro Clementissimo, super nimis

⁸⁰ Polock considerari revera potest ad confinia Moscoviae posita, ob viciniam politicam huius regionis, et etiam ob praetensiones moscovitarum tunc temporis ad hanc regionem.

⁸¹ Bulla data fuit die 18 Septembris 1714. Cfr. supra, nota 71.

imbecilles lacertos meos tenuesque humeros Oraculo reposita Vaticano, cui intellectum voluntatemque meam omni possibilitate prosternens in obsequium, ut quod mea non possit in commodum Ecclesiae perficere possibilitas, Vestra, Beatissime Pater, efficax semper, debilem erigere, cadentem sublevare, vacillantem titubantemque confortare, apprime gnara, quam penes osculum, quod cum gestiente corde indigno quidem, sed filiali ore, pedibus vestris figo, suppleat benedictio, imploro. Deferet caetera Sanctitati Vestrae, provido universi Orbis Pastori, provida rerum Russiae Sacra de Propaganda Fide Congregatio, ego iterum iterumque Sanctitatis Vestrae caelestem implorans benedictionem, obrutus beneficiis eius, sacris adrepo plantis, eosdemque dulci deosculans basio, maneo

Sanctitatis Vestrae Domini Clementissimi infimum perpetuumque Mancipium ac indefessus Exorator

LEO KISZKA, gratia Sanctitatis Vestrae

Archiepiscopus totius Russiae Metropolitanus (m.p.)

Polociae, die quarta decima mensis Februarii, Anno Domini 1715.

35.

Polock, 10 . IV . 1715.

Respondit ad obiectiones de simoniaco regimine Episcoporum ruthenorum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 600, f. 61.

Eminentissime, ac Celsissime Princeps, S. Romanae Ecclesiae Cardinalis,
Domine, et Mecoenas Clem.me.

Ad confinia Moschoviae subsistens, didici delatas esse coram sacerrima Congregatione de Propaganda Fide a Novatoribus rerum⁸² quaerelas, quod Domini Episcopi unitae Roxolanae Ecclesiae Synodos Dioecesanarum, quae nos Congregationes vulgo, et idiomate slavonico: sobor, nuncupamus, celebrent, ac in eis Cathedrae sive Synodaticum exigant, ademptis Missalibus haereticis, unita distribuere velint per neoconversas Premyslensem, Luceoriensem, et Leopoliensem Dioeceses, ac denique quod ab Ordinationibus sacrilege ac simoniace pecunias emungant, ac extorqueant, quibus omnibus Punctis, quamvis dilucide Ill.mo et Celsissimo Domino Nuntio Apostolico in Regno Poloniae, primum duntaxat deberi Canonibus, ac saeculorum praescriptioni, secundum extorqueri a zelo haereses extirpante, tertium denique esse purum idque malevolum adversariorum figmentum, imposturam, et caluniam, seorsivo re-fuderim scripto, nihilominus quoniam obiecta eiusmodi notam et noxam universo in Russia Unita Collegio inurunt Episcopali; hoc vero non ita facile ob resolutionem hyemis, ac elongationem mei convocari potest, idcirco Emin.mam Celsitudinem Vestram, eiusque benignissimam exoro clementiam, quatenus et sacerrima Congregatio de Propaganda Fide, donec quoad omnia haec a Collegio informetur Episcopali, suum suspendat oraculum, et Excellentissimus Dominus Nuntius, devolutum hocce negotium ad Sacram Congregationem, eiusdem suum sistendo progressum

⁸² De quibusnam praecise personis agitur, non nobis constat.

subiiciat decisioni. Fusiora loquetur R. P. Procurator Generalis Ordinis nostri, quod iusta petam, evidentibus deducens motivis; ego vero sacram purpurae exosculans laciniam, et patrocinio efficaci unum insinuans gregem, maneo

Eminent. mae ac Excellent. mae Celsitudinis Vestrae, Domini, et Meoenatis Clementissimi

infimum perpetuumque Mancipium

LEO KISZKA, Metropolitanus Russiae (mpria.)

Polociae, die 10 Aprilis, Anno 1715.

36.

Polock, 10. IV. 1715.

Explicat et probat necessitatem et legitimitatem Synodorum eparchialium, in quibus colliguntur taxae, praesertim Cathedralitici. Elenchus materiarum ad Chrisma conficiendum, nec non elenchus proventuum Eparchiarum unitarum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f. 357-358v.

Rationes ob quas Episcopi Ritus Uniti Graeci in Russia debeant convocare quotannis Synodos Dioecesanarum, ac in iis recipere Cathedraliticum, sive Synodaticum, idiomate Ruthenico: Soborove, Stolove, sive Kuniczne, iuxta diversitatem Provinciarum, dictum.

Ratio Ima est haec, quia a rudimentis plantatae in Russia Fidei Christianae, a Graecia tunc Sanctae Romanae Ecclesiae Unita, consuetudo similis in Russiam est invecta, et per annos octingentos circiter, ininterrupto nunquam usu practicata, nec ullis temporibus, ab immemorabili aevo, a quovis reclamata, practicata, nec tum, cum sub SS. mo Clemente VIII, Pontifice Fel. Rec. Romano, ad Unionem Russia accederet, condemnata, imo, eo ipso, quo tunc penes omnia iura, caerimonias, et Ritus sumus manutenti, roborata, eo oraculo Vaticano gratiosissime comprobata, denique tot annorum praescriptionibus, nemine in contrarium nitente, ratificata.

Ratio secunda est haec, quia Synodos Dioecesanarum, quas nos vocamus: soborum, quotannis celebrere mandat Sacrum Concilium Tridentinum, sess. 24, C. 2: de Reformatione, et (: quoniam, 18 dist., sub poena suspensionis, si secus Episcopus fecerit, per duos menses, ultimo, dist. 18., ita ut nec appellatio interposita Synodorum eiuscemodi celebrationem valeat impedire :). Quod vero in Synodis Dioecesanis debeatur a Parochis Synodaticum, sive Cathedraliticum, quod nos in Metropolia appellamus soborove, in Archiepiscopatu Polocensi, et aliis Episcopatibus stolove, scilicet Proventus Mensae, in Episcopatu vero Premysliensi: Kuniczne, id est solidarium, probatur aperte ex Canonibus d., cap. conquerente, de Offic. Ordin., cap. Pastoralis, de Donat. Abbat. N. 7, idque in honorem et in signum subiectionis Cathedralitici, ne Parochi acephali, et sine Capite esse videantur, juxta. et C. nulla ratione, 93. dist. quod totum etiam S. Congregatio in una Albiganensi, die 3tia Decembris anno 1644, ad Cap. 3. Sess. 24: de Reform. verum esse agnovit, inhaerendo Can. placuit, Can. inter caetera, 10, Q. 3, et solos Monachos, ac Parochias ad Religionem Hierosolymitanam pertinentes, a persolvendo exemit Cathedralitico, Parochos vero in tantum obligavit,

ut Episcopis, qui nunquam adhuc exegerunt Cathedra-
ticum, exigendi illud pro praeterito et in futurum plenam indulserit potestatem, quod totum S. Congregatio Episcoporum in Asculana, die 11 Iulii Anno 1581, confirmavit, Authores vero communiter asserunt, neque praescriptionem immemorabilem contra Cathedra-
ticum sive Synodaticum currere posse. Nec illud praetereundum est, quod Barbosa in Episcopali formulario, folio 518, in continuatione sessionis secundi diei Synodi Dioecesis, etiam formulam acclamandam per Archipresbyterum hisce indigitaverit verbis: *Sacrorum Canonum iure* sancitum est, ut in Dioecesana Synodo a singulis Parochis Cathedra-
tici nomine duo solidi exigantur, idque argumento honoris, qui Cathedrali Ecclesiae, tanquam Matrivi, a caeteris Parochialibus Ecclesiis tribui debet. Quae sum-
mula, licet fortasse per longissimum temporis spatium a Parochis huius Civitatis, et Dioecesis persoluta non fuerit, ea tamen debita est Cathedrali, nec praescribi potest. Edicimus igitur et iniungimus Parochis *Cathedra-
tici solutionem*. Porro, duorum solidorum, quoniam valor conformis non est (f. 357v), attendendam esse diversarum Cathedralium consuetudinem bonam, et rationabilem, docent in universum Authores. In Regno Poloniae solidus Imperialis, vulgo Talar bitij vocatur, qui in vim Cathedrali per Dioecesis a Praesulibus Russiae exigitur, in qua parte etiam id, quod Canonibus debetur, Clero ab Episcopis condonatur, cum hi unum exigant solidum Imperialem, novem Julios Romanos valentem, isti binos solidos imperent capiendos.

Tertia ratio est, quod Episcopi Rutheni, praeter Cathedra-
ticum, nullum aliud recipiant a Parochis subsidium charitativum, debitum Episcopis, Cap. ad cavendum, 10, Q. 3, ex Clem. 1, de Excessibus Praelat. §§. Nonnulli, Num. 4, et Decis. 425 Rotae, alias 23, incipiente: *Item extra Rotam petebatur consilium*, Cap. conquerente, in fine, de Offic. Ordinarii, Cap. cum Apostolus, §. prohibemus, de Censibus, quod subsidium charitativum Episcopi Ritus Latini in Polonia a Parochis quotannis capiunt, Rutheni vero nec pro Consecratione sua, nec pro debitorum solutione, nec pro negotiis totius Dioecesis communibus, nec pro Fabrica Ecclesiarum, nec pro itineribus ad Serenissimam Maiestatem Regiam, nec pro visitatione Liminum Apostolicorum, nec pro itinere ad Concilium Provinciale, nec pro Visitationibus Ecclesiarum Parochialium, hi enim sunt tituli pro exigendo licite charitativo subsidio, exigere solent, solo, idque sat exiguo, contenti Cathedra-
tico.

Quarta ratio est, quia in solidum illum Imperialem intrat iam etiam exsolutio pro materiis Chrismatis, quae difficulter, et cum magno sumptu, per extraneas Apostolicas ab Episcopis conquaeruntur; in Ritu enim Graeco, praeter Oleum olivarum et Balsamum, ad materias Olei duodecim sequentes requiruntur, quas in Goaro⁸³ videre liceat ingredientiae; praeter Vinum:

Hyperici librae duae	Foliorum Indicorum librae tres
Albae Spinae librae duae	Cyperici librae quinque
Myrrhae librae quatuor	Saliunca libra una
Piperis communis librae duae	Caryophyllorum librae tres

⁸³ Goar Jacobus, Ordin. Praedicatorum (1601-1653), orientalista et rerum byzantarum studiosus. Vixit in Oriente, Romae et Lutetiae Parisiorum. Opus vitae suae est editio libri: *Euchologion seu Rituale Graecorum*, Lutetiae Parisiorum 1647, et 2-a ed. ibidem an. 1676.

Cynamonimi librae sex	Fructuum Balsami librae duae
Maceris libra una	Granorum visci lib. tres
Patiti librae sex	Cassiae nigrae librae duae
Maiorani libra una	Seminis Roris Marini lib. duae
Fluris librae quinque	Asari librae duae
Zingiberi librae quatuor	Terebinthi librae sex
Calami aromatici librae duae	Glandium Unguentariarum lib. duae
Aristolochiae libra una	Ladani librae quinque
Odelli libra una	Stochyos libra una
Opobalsami libra una	Zedoariae librae duae
(358) Alabastris librae duae	Inuli librae duae
Rasdi media libra una	Iridis libra una
Amoni libra una	Agallochi libra una
Canfami libra una	Moschi, pro sex Imperialibus solidis
Ligni Balsami tres	Olei Rosarum ollae duae
Piperis longi librae quinque	Asphalati libra una
Styracis libra una	Mytobalani libra una
Cassiae ligneae librae tres	Marmoris nigri librae quatuor.

Haec omnia, si computentur, sat misera erit portio Cathedralitici sive Synodatici quae restabit, cum ea comparentur ex Cathedralitico, nec exigatur pro materia Chrimatis (: veluti per Poloniam faciunt Decani Ritus Latini:) medius Imperialis solidus exemptis expensis vialibus.

Quinta ratio est, quia Rutheni Episcopatus sunt exigui in proventibus suis, Metropolia vero Russiae est minor, praeter honorem, omnibus Episcopatibus, cum eius Bona sint in Ditionibus Moschorum, una cum Sede Metropolitana Kijoviensi, proinde Cathedraliticum tollere idem est, ac tollere Episcopatus in Russia, qui absque eo, quamvis sat exiquo, subsistere non possunt. Porro, ut innotescat tenuitas Bonorum Episcopalium in Russia, appono proventuum genuinam, et sinceram tabellam.

Metropolia Russiae haec habet Bona:

Rutam, quae facit annui Proventus 1200 florenos, dico mille ducentos.

Prilepios, qui faciunt annui Proventus 600 Florenos, dico sexcentos.

Sesole, qui faciunt annui Proventus 400 florenos, dico quadringentos.

Vaca, nullum facit Proventum cum subditi usque ad unum sint peste extincti.

Totus Proventus Metropolitae facit Florenos Polonicos bis mille et ducentos, id est scuta Romana ducenta decem bis, seu viginti.

Episcopatus Vladimiriensis haec habet Bona:

Praedium extra fluviale, nullum Episcopo facit Proventum, cum ex hoc alantur scholarum Magistri.

Polesia, quae facit annui Proventus 1100 florenos, dico mille centum.

Kupecova, nullum facit Proventum, praeter Episcopi alimoniam, vix pro tribus septimanis sufficientem, Arendae vero ad eam pertinentes faciunt Proventum florenos Polonicos 1000, dico mille.

Praedia circa Vladimiriā faciunt 3100, dico triamillia centum.

Totus Proventus Episcopatus Vladimiriensis facit florenos Polonicos quinquies mille, et ducentos florenos, id est scuta Romana quingenta et viginti, ex quibus quotannis Hybernae ad Fiscum Reipublicae tria millia, praeter expensas, exsolvuntur.

Episcopatus Luceoriensis:

Omnia Bona, maiora paulo Bonis Episcopatus Vladimiriensis, habet desolatisima a licentia militari, debet autem Fisco antiquae Hybernae ad millia decem, nec novi modum, quomodo ab hac calamitate enatare possit, proinde Episcopus loci in Bonis haereditariis manet, ac ex iisdem sustentatur, in Bonis vero Episcopatus vix crediderim triginta subditos reperiri.

(f. 358v) *Archiepiscopatus Polocensis haec habet Bona:*

Ciotca, et Dolce, haec nullum faciunt Proventum, praeter Archiepiscopi tenuem valde subsistentiam.

Woronecum facit annui Proventus florenos 600, dico sexcentos.

Aruna, a Moschis desolata, potest facere florenos 600, dico sexcentos.

Iuridica Vitebscensis facit florenos 800, dico octingentos.

Totus Proventus facit bis mille florenos, id est scuta Romana ducenta.

Episcopatus Pinscensis:

Ex omnibus Bonis inter Paludes, Sylvas inaccessibiles situatis, non potest facere praeter mille ducentos florenos, scilicet scuta Romana centumviginti.

Episcopatus Chelmensis:

Habet duas exiguas Villas, dictas *Busenecum, et Albus Campus*, tum Praediolum *Pokrova* dictum, ex quibus praeter victum, nullum alium habet Proventum, imo ad Fiscum Reipublicae exsolvere tenetur Hybernae florenos octingentos, id est octuaginta scuta Romana.

Episcopatus Premyslensis haec habet Bona:

Busovischa, et Velonice, ex quibus per quadrantem anni potest Episcopus vivere, et Religiosos ad monasterium S. Salvatoris sustentare.

Valava, facit annui Proventus millia 3, dico millia tria.

Strasavice faciunt annui Proventus 3000, dico millia tria.

Praediola sub Premislia faciunt florenos 1000, dico mille.

Universi Proventus faciunt septem millia florenorum Polonorum, id est scuta Romana septingenta, exsolvit ad Fiscum ducenta scuta.

Episcopatus Leopoliensis:

Habet Villam dictam *Perehinscum* facientem quinque millia Proventuum, id est scuta Romana quingenta, caeterum haec villa est controversa, pertinet enim ad Metropoliā, et est indebite adempta tempore schismatis, imo ipse Episcopatus Leopoliensis antea retro temporibus non dabatur, sed ad Metropoliā pertinebat.

37.

Polock, 10 . IV . 1715.

*De necessitate correctionis Missalium in Eparchiis neounitis.*APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Generali.* vol. 602. f. 359.

Rationes, cur Missalia in Premysliensi, Luceoriensi, et Leopoliensi Dioecesibus aboleri debeant, et nova unita substitui.⁸⁴

Ratio est, quia sunt haeretica, et schismatica, et quidem: *1mo* ex eo, quia in illis invocantur pro Sanctis formales Schismatici; *2do*: fit commemoratio, cum recognitione potestatis super Russiam Orientalium Patriarcharum; *3tio*: In Symbolo Apostolico, sub tempus Missae recitando, negatur Spiritus Sanctus procedere a Filio; *4to*: Forma Consecrationis Corporis Christi Domini nulla est, loco enim verborum: *Hoc est Corpus meum*, habetur in Missalibus illis: *Se jest-ecce est Corpus meum*; *5to*: Infundi iubetur quarta pars aquae in Calicem, et praeterea iam post Consecrationem aqua tepida, quod quamvis sit in usu etiam Romae in Ecclesia S. Athanasii, Collegii Graecorum, in Polonia nihilominus infusio aquae tepidae non potest sine scandalo praticari; *6to*: Docetur in Missalibus illis Corpus Christi Domini non consecrari per haec verba: *Hoc est Corpus meum*, sed per alia post haec prolata: *Fac hunc Panem Corpus Domini Nostri Jesu Christi*, habentur enim haec Verba in Praefatione, seu Informatorio ad Missam Praesantificatorum, id est talem, qualis absolvitur in die Parasceves apud Latinos; *Cum autem translatus in Magno egressu de Altari*, id est in Missa illa, in qua praeparatur et consecratur Hostia Sacra pro Missa Praesantificatorum, *debet consecrare panes, ait: Fac Panem hunc, in numero singulari.* Itaque docent haec Missalia per haec verba: *Fac Panem*, consecrari Corpus Christi, non vero per praecedentia: *Hoc est Corpus Meum*, qui error antiquissime schismaticam invasit Graeciam, et nunc actu in Moschovia reperitur, de quo mordicus cum suis Ecclesiasticis disputavit Serenissimus Serenissimi Cari Moschoviae Filius, cum Professoribus mei Collegii Vladimiriensis,⁸⁵ data illis plena libertate ad disputandum absque timore, convictus est nihilominus hoc argumento: quod haec Verba: *Fac hunc Panem*, primo apposita sint in Sancti Basilii Magni Lyurgia, adeoque si consecraretur Corpus Christi per haec verba: *Fac hunc Panem*, usque ad tempora Beati Basilii Magni incruentum non daretur Sacrificium, et a temporibus huius Doctoris primum inchoaret Corporis et Sanguinis Dominici Consecratio. Praeterea *7mo*: simplex Panis, cum transfertur de sacrificatorio ad navius Altare, adoratur Cultu Latriae. *8vo*: Ad Hostiam maiorem, docent praedicta Missalia, apponi debere in Patella particellas B.mae Virginis Mariae, et Sanctorum, ac de iisdem vetant Fideles Christi communicare, putando eas converti in Corpus B.mae Virginis Mariae, et SS., in quorum apponuntur honorem.

⁸⁴ Nobis videtur, agi hic de quodam scripto Metropolitae Kiška, etiamsi expositio haec sine subscriptione conservatur in Archivo S. Congreg. de Prop. Fide.

⁸⁵ Agitur de Alexio, filio Cari Petri I, qui obiit an. 1718, ut videtur, a suo patre ob suspicionem traditionis morti traditus. De quam disputatio agitur et quam occasione non nobis constat. Ex expressione « mei Collegii Vladimiriensis » patet agi de Metropolita Kiška, qui simul erat etiam Episcopus Volodimiriensis in Volhinia.

De Pontificalibus taceo; tanta enim diversitate, et distantia consecrantur Presbyteri in Dioecesibus Luceoriensi, et Premisliensi, ac Leopoliensi, quanta distare dignoscitur Coelum a Terra.

38.

Polock, 10 . IV . 1715.

Iustificaciones Espiscoporum unitorum de obiecta sibi simonia.

APF, *Serif. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f.360rv.

Iustificaciones Episcoporum Ruthenorum, cum S. Romana Ecclesia Unitorum, contra Calumniatores, asserentes ab Ordinatis omnibus exigi ab Episcopis certam summae quantitatem.⁸⁶

Crimen Simoniae, quam Episcopis Calumniatores inurunt, esse detestandum, et excedere omnia quaeque crimina; melius prae Calumniatoribus norunt Episcopi Rutheni, edocti c. per duas, 32, de Simon., quod in comparatione eius omnia crimina pro nihilo reputentur, proinde quasi ab Ordinationibus accypiant meram idque perversam esse calumniam asseverant. Verumquidem est, quod penes Collationes Ordinum contribuunt Episcopis Ordinati, sed non pro Ordinibus; longe autem est alia formalitas accipere pro Ordinibus, et accipere penes Ordines, accipere pro Ordinibus est rem sacram vendere, et Simoniacum effici; accipere penes Ordinationes est pro re alia, praeter Sacram, accipere, quod est omnino licitum, cum et Episcopis a sigillis in Collatione Beneficiorum indeterminata sit licita pensio, ex Glos. in cap. cum olim, de maior., et obed. et Cancellariis Episcoporum pro testimonio Consecrationis Iulicus unus, pro Collatione vero Iulii decem, ex Taxa Innocentiana, sub die 8va Octobris, Anno 1678, in pretium mercedis pro scriptura, absque labe simoniae, licite permittantur. Jura itaque sive Cancellariae, sive Datariae, etiam in Urbe Romana praticari solita, excepta Metropolia Russiae, per gratiam SS.mi Domini Clementis VIII, sub data: Romae, apud S. Petrum, Anno 1595, 7mo Kalendas Martii, in haec, quae sequuntur Bullae verba: *Volumus et similiter* perpetuo statuimus, ut Literae confirmationis (:Metropolitae Russiae:) seu Institutionis et Provisionis huiusmodi, et licentiae praedictae in eadem Curia Officiales ad quos spectat, per viam *secretam gratis expedianur*, nullam Ruthenis Episcopis abominandae Simoniae adferunt ignominiam, si penes Ordinationes, non pro Ordinibus, veluti est in usu apud Praesules Russiae, Unitae ab ordinatis Parochis exigantur. Suffragatur praeterea illud, quod Annus Gratiae omnium omnino Proventuum post defunctos Parochos latinis in Polonia Episcopis, Annata in Hyspaniis debeantur, Rutheni, quia nequeunt extinctis Parochis fruges, pecora, aliaque eiusmodi mobilia, eo quod defuncti Uxores et Proles relinquunt superstites, iustos rerum mobilium Heredes, et quod maximum est, pauperes, intercipere, de certa pro Anno Gratiae summa cum succedaneis ineunt Ordinatis, quod Caelo terraque distat a simoniae labe, imo eximiae erga Orphanos charitatis opus est, cum decuplo plus, et quandoque centuplo de fructibus solis terrae caperent

⁸⁶ Etiam haec scriptura vestigia praesefert manus metropolitanae, et proinde, etiamsi anonyma conservatur ad nostra tempora, eam tamen hic publici facere iuris necessum putamus.

Episcopi, si post extinctos Parochos Annum haberent Gratiae, et non subveniendo calamitatibus Pupillorum, sancta et devota de certa quantitate pro Anno Gratiae danda cum Ordinatis faedera stabiliunt. De derelictis quoque vulgo spoliis Parochorum nequidem unum teruncium Rutheni participant Episcopi quamvis (f. 360v) Polonos Episcopos noverim ducenta millia participasse post decessus

Canonicorum, et penes opima Beneficia non prius instituisse ad Parochias ditiores succedaneos Parochos, donec sive combinationem de Anno instituerint Gratiae, sive in propria Persona vacans administraverint Beneficium. Addendum est etiam illud, quod Episcopis, ex Concilio Aurelianensi primo, C. 16. relato in cap. Antiquos, 10, Q. 1, c. Unio, c. dudum, de Decimis, et c. de quarta, de praescriptione, quarta pars Decimarum a Parochialibus debeatur Ecclesiis; praeterea quarta pars funeralium et mortuararum, d. cap. conquerente, c. requisisti, c. relatum de his, c. antiquos, 10, Q. 1, et c. certificari, cum Canonica portio oblationum et Legatorum, c. de his, c. vobiscum, a Parochialibus similiter Ecclesiis, sub titulo: *Luctiosa*, in Hispania, sub aliis vero titulis in aliis Regionibus exsolvantur; Russia Unita nihil horum accipit, octo ad summum scutis Romanis pro iuribus Cancellariae, pro Dataria, pro Annata, sive Anno Gratiae, pro spoliis Parochorum, pro decimarum quarta parte, sive pro decimis, quas accipiunt Poloni Episcopi, praedialibus, pro canonica portione, pro quarta denique mortuariorum parte, ex combinatione cum Ordinatis contenta.

39.

Spas, 13 . VIII . 1 . 15.

De iisdem obiectionibus de simonia, in Ordinibus Sacris conferendis.

APF *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602 f. 356rv

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, S. Romanae Ecclesiae Cardinales, Domini, Domini, et Meconates Clementissimi.

Innotuit iam sacerrimae Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum Congregationi, quomodo Rnd.mus Dominus Illustrissimi ac Excellentissimi Domini Nuntii in Regno Poloniae Auditor, ex delatione, et ad instantiam nonnullorum de Clero Premyslensi Novatorum, vetantem extradiderit Inhibitionem, ne Synodi Dioecesanæ celebrentur, ac in iis Canonibus debitum, immemorabili praescriptione firmatum, quod Novatores rerum aggravationem emunctionemque indebite nuncupant, recipiatur Cathedralicum, quibus sibi taliter suffragantibus Remediis Juris, nobis non auditis, non citatis nos compellat, is adeo insolentis Cleri effervuit licentia, ut nec Olea Sacra secundo iam Anno recipiat, nec ullam omnino praestet subiectionem, quin ad tantam nonnulli devenere audaciam, ut pro libitu suo Decanos amoveant, sibi bene placitos alios instituant, bigamos penes Beneficia confirmant, et omnia sibi obvia licere praesumant, quodsi, ut coerceantur, aditentur, mox ad Tribunal Sacrae Nuntiatu-
rae in Regno Poloniae recurrunt, ac se aditari in odium recursus ad eandem facti calumniose asserunt, denique hocce pallio iniquae imposturae contegunt scelera, univ-
ersa invertunt Judicia, iustitiam sitientibus sistunt, impune delinquant, ut paucis con-
cludam: Acephalos se esse, sine capite membra, clerum sine lege, gregem sine Rege,

subditos sine subiectione agnoscunt. Exportaveram quidem ad reponendam eiusmodi inhibitionem ab eodem sacro Tribunali citationum literas, quin et ab Eminentissimis Celsitudinibus Vestris mandatum de ea annullanda literarium obtentum, caeterum causa quidem ad Urbem remissa, seditiosi vero penes Inhibitionem manurenti, penes salvum conductum conservati, nec interposita ad SS.mum Dominum Nostrum, Pontificem Romanum, Dominum Clementissimum suscepta appellatio. His stantibus, nomine universi in Unita Russia Collegii Episcopalis, cuius integritas concutitur famae, pro evocatione primo praesentis Causae Romam, Sacrae Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum Congregationi profundissimas exsolvo gratias, ac ut deinceps, annullata Inhibitione (f. 356v) praememorata, penes ea, cum quibus Antecedanei nostri ad Sanctam Matrem Ecclesiam Romanam accesserunt, Apostolico conservemur Oraculo Jura, Canonibus firmata, praescriptionibus roborata, Gentium praxi munita, uniuscuiusque adgeniculatus plantis enixe peto. Dabunt lumen, quamvis nota scientibus loquar, ea, quae accludo motiva, quod nec iniusta Domi exigamus, nec iniqua Romae expetamus, quia Canonibus innixa, octingentorumque circiter annorum ininterrupta in Russia praxi stabilita, ex quibus illa quoque de extorta ab Ordinibus mercede, ex infernali ferme incude procussa impostura, quam sit enormiter calumniatrix patere poterit vel exinde, quod simile oblatum, a saeculis usu receptum, penes Ordinationes, sed non pro Ordinibus fieri solitum, florentissimi sanctitate in Catholica quondam Graecia Praesules non respuerint, imo usu receperint, communemque per ininterrupta saecula usum ad usque nostra tempora, absque ullius simoniae labe, deportaverint. Abolitionem haereticorum Missalium ac unitorum substitutionem, solus est qui velit in cordibus Episcoporum relucens zelus, quibus ex divenditione eorum, nec enim Episcopi Bibliopolae sunt, nec Missalia habent venalia, nulla fructuum subsequitur temporalium participatio.

Haec ea, qua possum, et potui, succincta Eminentissimis Celsitudinibus Vestris explanans brevitate, universa quaeque supremo Sedis in Orbe primae Arbitrio, ac decisioni subiicio, et penes dulce osculum sacerrimae uniuscuiusque purporae maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum meorum, ac Mecoenatum Clementissimorum

infimum perpetuumque Mancipium, ac Exorator indefessus

LEO KISZKA, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae (m. p.)

In Monasterio Sancti Salvatoris ad montes, die 13 Mensis Augusti, Anno 1715.

40.

Spas, 15 . VIII . 1715.

Iustificaciones ad easdem obiectiones.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f. 365.

Emin.me Rd.ssme Sacrae Romanae Ecclesiae Princeps,

Domine et Mecoenas Clementissime

Innotuit⁸⁷ iam sacerrimae Eminent.rum Celsitudinum Vestrarum Congregationi

⁸⁷ Cfr. epistolam praecedentem.

de Propaganda Fide, modo etiam denique innotescat Eminentissimae Celsitudini Vestrae, uti Capiti eiusdem Sac. Congregationis et nostro particulari Benefactori, quomodo R. d. Dominus Ill. mi Domini Nuncii in Regno Poloniae Auditor ex delatione et ad instantiam nonnullorum de Clero Praemyslien. Novatorum, vetantem extradiderit Inhibitionem, ne Synodi Dioecesanæ celebrentur in Russia, ac in iis Canonibus debitum immemorabili praescriptione firmatum recipiatur Cathedraticum. Quibus sibi taliter suffragantibus remediis Juris, nobis non auditis, adeo insolentis Cleri effervuit licentia, ut nec Olea Sacra secundo iam anno recipiant, nec ullam omnino prestant subiectionem, quin ad tantam nonnulli devenere audaciam, ut pro libito suo Decanos amoveant, sibi beneplacitos alios instituant, bigamos penes Beneficia confirmant, et omnia sibi obvia praesumant, quodsi ut coerceantur additentur, mox ad Tribunal Sacrae Nunciaturae recurrunt, ac se aditari in odium recursus ad eandem facti calumniose asserunt, denique hocce pallio iniquae imposturae contegunt scelera universa, invertunt iudicia, iustitiam sicientibus sistunt, impune delinquant. Ut paucis concludam: Acephalos se esse, sine Capite Membra, Clerum sine Lege, Gregem sine Rege, subditos sine subiectione agnoscunt. His stantibus, nomine universi in Unita Russia Collegii Episcopalis, cuius integritas concutitur famae enixe peto Eminentissimae Celsitudini Vestrae, uti Clementissimi Benefactoris nostri, benignum decisionis in eadem Sac. Congregatione de Propaganda Fide iustitiae votum favorabile, ut deinceps annullata Inhibitione praememorata, penes ea, cum quibus Antecedanei nostri ad Sanctam Matrem Ecclesiam Romanam accesserunt, Apostolico conservetur Iura Oraculo, Canonibus firmata, praescriptionibus roborata, et communi praxi munita. Dabunt lumen, quamvis nota scienti loquar, ea, quae accludo motiva, quod neque iniusta Domi exigimus, nec iniqua Romae expetamus. Haec ea qua possum et potui succincta Eminentissimae Celsitudini Vestrae explanans brevitate, favorabili iustitiae subiicio voto, et penes dulce osculum sacerimae purpurae maneo

Eminentissimae Celsitudinis Vestrae, Domini et Meoenatis mei Clementissimi
 Servorum infimus, et Exorator perpetuus
 LEO KISZKA, Russiae Metropolitanus (mpr).

In Monasterio San. Salvatoris ad montes, datt. 15 Augusti 1715.

41.

Leopolis, 13 . IX . 1715.

Iuramentum fidelitatis novi Metropolitanæ Kioviensis.

APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f. 339-340.

Ego, Leo Kiszka, Kijoviensis, Haliciensis, totiusque Russiae Archiepiscopus, Ecclesiarum Ritus Graeco uniti, ab hac hora in antea fidelis, et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac Domino Nostro Domino Clementi PP. XI. eiusque Successoribus, canonice intransibus, non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos manus quomodolibet violenter ingerantur, seu iniuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore, consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se aut Nuncios seu

litas ad eorum damnum, me sciente nemini panadam, Papatum Romanum, et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero, ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, Honores, et Privilegia, et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae et Successorum praefatorum conservare, defendere, augere, et promovere curabo; non ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia Personae, Honoris, Juris, Status et Potestatis eorum machinentur et si talia a quibuscunque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius potero commode significabo eidem Domino nostro vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, Sententias, Dispositiones, Reservationes, Provisiones et Mandata Apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari; Haereticos, Schismaticos et Rebelles Domino Nostro et Successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo, vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione, Apostolorum Limina singulis sexenniis personaliter et per me ipsum visitabo, et Domino Nostro et Successoribus praefatis rationem reddam de toto meo Pastoralis Officio deque rebus omnibus ad mearum Ecclesiarum Statum, ad Cleri et Populi disciplinam, animarum denique quae meae fidei creditae sunt, salutem (f. 339v) quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar; quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum Nuncium, ad hoc speciale mandatum habentem, de Gremio Capituli mei vel alium in Dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias Personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per Dioecesanum Sacerdotem, et Clero deficiente, omnino per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum, de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii Tridentini, per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensem meam pertinentes non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquomodo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiarum mearum, inconsulto Romano Pontefice, et Constitutionem super prohibitione Investiturarum Bonorum iurisdictionalium, de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, paenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Anno Domini Millesimo septingentesimo decimo quinto, die Sabbati decima tertia Sept., Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Leo Kiska, Archiepiscopus Kijoviensis, Haliciensis ac totius Russiae Ritus Graeci Latino Uniti, coram Excellentissimo, Illustrissimo et Reverendissimo D. Joanne Skarbek,⁸⁸ Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi, Ritus Latini, iuramentum superius descriptum, actis genibus, ad S. Dei Evangelia emisit, ac nomen et (f. 340) cognomen suum in initio eiusdem iuramenti manu propria scripsit. Acta sunt haec Leopoli in Russia, in Palatio Archiepiscopali, praesente R.vmo et

⁸⁸ An. 1711-1733.

Religiosissimo Athanasio Szeptycki,⁸⁹ Archimandrita Uniovien, Ritus Graeci Latino Uniti⁷ Perill.mo Revm.o Michaelae Czolhanski, Scholastico Leopoliensi, Admodum R.ndo P. Stephano Trombetti, Clericorum Regularium Theatinorum Collegii Pontificii Leopoliem. Armenorum et Rutenorum atque Missionum Apostolicarum Praefecto, Magistro Nicolao Dyakowski, Pocillatore Latyczovien. aliisque plurimis Testibus ad id rogatis et adhibilis et me Notario infrascripto. In quorum fidem me subscripsi et sigillum Notariatus mei apposui.

PETRUS MAKOWSKI, Publicus Sac. Auth. Apostolica
et Consistorii Leopoliem. Notarius (mpr).

Et quia iuxta mandatum Sanctae Sedis Apostolicae ego infrascriptus hoc supra expressum iuramentum excepi, in praesentia suprascripti Publici Autoritate Apostolica et Consistorii mei Leopoliem. Notarii Testiumque supraspecificatorum ad hoc specialiter adhibitorum, ideo in fidem praemissorum subscribo.

JOANNES SKARBEK, Archiepiscopus Leopoliensis (mpr).

42.

Leopolis, 21 . IX . 1715.

Professio fidei catholicae novi Metropolitanatae Kioviensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f. 342 43v.

Ego, Leo Kiszka, Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis et Haliciensis, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in Unum Deum, Patrem, Omnipotentem, Factorem Caeli et Terrae, Visibilem omnium, et invisibilem, et in Unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Coelum, sedet ad Dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos. Cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimum consensum

⁸⁹ Dein hoc eodem adhuc anno Episcopus Leopoliensis, et demum Metropolitanus Kioviensis (1729-1746).

Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnii administratione recipio, et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem (f. 342v) totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse animasque ibi detentas Fidelium Suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco. Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam Fidem extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (:Deo adiuvente) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem Leo Archiepiscopus spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego idem Leo, Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis, totiusque Russiae, pro maiori robore subscribo.

Ego Joannes Skarbek, Archiepiscopus Leopoliensis Metropolitanus, fidei professionem iuxta suprascriptam formam ab Ill.mo et Rev.mo Domino Leone Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Kijoviensi, Haliciensi etc. etc, Ritus Graeco Rutheni, Latino uniti, in manibus meis de verbo ad verbum emissam recepi, Leopoli, die Sabbathi vigesima prima mensis Septembris, Anno Domini 1715, et ita testor manu propria. Idem qui supra Joannes Archiepiscopus Leopoliensis.

43.

Leopolis, 21 . IX . 1715.

Sollemnis attestatio de emissa professione fidei nec non iuramento a novo Metropolita Kioviensi.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f. 343-43v.

In Nomine Domini. Amen. Praesenti Publico Istrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum.⁹⁰ Quomodo anno a nativitate eiusdem Domini nostri Iesu Christi millesimo septingentesimo decimo quinto, Indictione Romana Octava, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri, Domini Clementis Papae IX, eius Nominis, feliciter moderni, anno decimo quinto, die vero Sabbathi, qui fuit vigesimus primus mensis Septembris, coram Excellentissimo, Illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Joanne Skarbek, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi, Delegato Apostolico, meque Notario Apostolico ac Testibus ad hoc specialiter vocatis, rogatisque infrascriptis, personaliter comparens Illustrissimus et Reverendissimus D. Leo Kiszka, Archiepiscopus Kioviensis, Haliciensis totiusque Russiae, Ritus Graeci Latino uniti, genuflexus, tactis SS. DEI Evangeliiis, in manibus dicti Excellentissimi et Illustrissimi Domini Archiepiscopi Leopoliensis, clara et distincta voce, Professionem Fidei, iuxta praesertam formam, de verbo ad verbum sollemniter emisit, eandemque in duobus locis propria sua manu, nempe in principio et in fine scripsit et subscripsit, ac sigillum desuper impressit. Quam quidem Professionem Fidei tanquam rite et legitime coram se emissam et factam praelibatus Illustrissimus Rev. mus D. Archiepiscopus Leopoliensis, uti Delegatus Apostolicus, recepit et admisit, super quibus omnibus petitum fuit a me Notario Publico infrascripto, ut unum seu plura publicum seu publica exinde conficerem atque extraderem Instrumentum seu Instrumenta. Acta sunt haec Leopoli in Russia, Palatio Archiepiscopali, Anno, Indictione, Pontificatu, die, mense quibus supra. Praesen. Perillustribus, Reverendissimis et Admodum RR. Andrea Kuropatnicki, Praeposito, Michaelae Czohanski, Scholastico, Joanne Thoma Josephovic, Jacobo Szczuplinski, Stanislae Hoiowicz, S. V. D., Canonico Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis, Testibus ad premissa habitis et specialiter rogatis.

Et quia Ego Petrus Makowski, Publicus Sac. autoritate Apostolica Notarius, dictae emissioni Professionis fidei una cum praenominatis Testibus praesens interfui eamque emitti et recipi audivi et vidi. Ideo hoc praesens (f. 343v) publicum Instrumentum confeci et, licet aliena, mihi tamen fide digna manu scriptum subscripsi, signoque nomine et cognomine meis solitis, quibus in talibus utor, communivi rogatus et requisitus.

Stephanus a Rupniew Rupniewski, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Leopoliensis, Suffraganeus, Decanus, Vicarius in Spiritualibus et Officialis Generalis Leopoliensis, Canonici Cathedralis Cracoviensis.

Universis et singulis quorum interest significamus et attestamus suprascriptum

⁹⁰ Attestatio haec pertinet ad professionem fidei et iuramentum supra emissum, sed propter eius nimiam sollemnitatem eam hic separatim adduximus, exempli gratia.

Nobilem Petrum Makowski esse Publicum Sacra Autoritate Apostolica Notarium eiusque scripturis et Instrumentis Publicis per eum confectis et in diem conficiendum tam in Iudicio quam extra, adhiberi-fidem, prout et praesen. adhibetur. In quorum fide, etc. Datum Leopoli in Russia, die Martis vigesima quarta Mensis Septembirs Anno Domini millesimo septingentissimo decimo quinto.

JOANNES THOMAS JOSEPHOVIC, Canon. Judex Surrog. Leop. S. R. Maies.
Secretarius (manu propria).

44.

Volodymyr, 1. X. 1715.

Transmittit professionem fidei, et certiorat de provisione Eparchiae Leopoliensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 602, f. 338.

Eminentissimi, ac Celsissimi Principes, S. Romanae Ecclesiae Cardinales,
Domini, Domini, et Meconates Clementissimi.

Emissam in manibus Illustrissimi Domini Archiepiscopi Leopoliensis Professionem fidei catholicae, tum praestitum SS.mo Domino Nostro, Pontifici Romano, Domino Clementissimo, fidelitatis iuramentum, conformiter ad Mandatum Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, transmitto; unicum superesse arbitror, ut quem, indignum quamvis, Eminentissimae Celsitudines Vestrae, ad supremum in Uaita Russia evexerunt apicem, eundem efficaci suo fovere patrocinio, et fulcire Apostolica Benedictione non dedignentur. Leopoliensis Episcopatus iam est provisu⁹¹ per consecrationem et installationem Personae ad omnia munia Episcopalia habilis, ac omni exceptione maioris, Domini duntaxat Athanasii Szeptycki, respondebit is votis et desiderii Sanctae Sedis Apostolicae, ut vero et reliqui Episcopatus ⁹² similem adipiscantur solitorum sortem Pastorum, omnes omnino satagam exantlare vires, semper mihi adstipulante Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum Benedictione, quam enixe petens, et sacerrimam uniuscuiusque exosculans purpurae fimbriam, maneo

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum meorum, et Meconatum Clementissimorum

infimum, perpetuumque Mancipium et Exorator indefessus

LEO KISZKA, Metropolita Russiae (mpr).

Vladimiriae, die Ima Octobris, Anno 1715.

45.

Varsavia, 11. XI. 1716.

Programma Synodi Provincialis Zamostiana, ut videtur, a Metropolita Kioviensi elaboratum, vel saltem revisum et probatum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 611, f. 153-154v.

⁹¹ In persona Athanasii Szeptycky, Archimandritae Unioviensis, et dein etiam Metropolitanae Kioviensis (1729-1746).

⁹² Agebatur praesertim de Eparchia Peremyshliensi et Mukačoviensi, nec non Luceoriensi.

MEMORIALE.

Proponendorum in futura Sancta Synodo Ill. morum et Rev. morum Episcoporum Ritus Graeci Uniti ab Ill. mo et Rev. mo Domino Hieronymo Grimaldi Archiepiscopo Edesseno, et Nuntio Apostolico ad Regnum Poloniae etc. eidem transmissum die 11. 9bris 1716.⁹³

BAPTISMUS.

1. Dum Graeci baptizant, dicunt: Baptizetur servus Christi N. N. in Nomine Patris Amen: in Nomine Filii Amen: et in Nomine Spiritus Sancti Amen. Parochi autem Rutheni putant, istud verbum: Amen, esse omnino essenziale in ordine ad formam.

2. Immediate post Baptismum dant infantibus Eucharistiam, sub utraque specie, ex quo fit, quod infans multoties aut reicit, aut expuit species consecratas.

3. Patrini aliquando sunt 8. Unde difficile videre, qui contrahant cognitionem spiritualem.

4. Obstetrices nihil sciunt, nec formam Baptismi. Unde si deberent baptizare in casu extremo, quid?

5. Parochi, ut plurimum, non habent librum Baptizatorum; unde qui consecrandi veniunt, quales sibi volunt annos concribunt; nec librum habent Mortuorum.

CRISMA.

Est frequens defectus Episcoporum Graeci Ritus retardare distributionem Chri-smatis; castigando hac retardatione Parochos, aut propter Cathedraicum non solum, aut propter aliqua alia delicta ipsorum personalia. Et tamen, cum istud Sacramentum conferatur a Graecis immediate post Baptismum, non videtur retardandum in distributione.

PAENITENTIAE.

1. Parochi frequenter multorum puerorum, et adolescentium insimul Confessiones audiunt, legunt aliquas orationes super illos, et postea admittunt eosdem ad Communionem.

2. Adulti, ut plurimum, non admittuntur ad Confessionem, nisi prius ieiunant per tres dies. Reputant peccatum, et Confessionem fore invalidam, nisi praemittantur isti tres dies ieiunii.

3. Transit annus multoties, sicut non admittuntur Rutheni ad Confessionem, quia cum habeant aliqua statuta tempora, (praecisis istis) si aliquis ex devotione ad Confessionem comparet, non admittitur.

4. Deberet renovari antiquus usus Ecclesiae Graecae, quo sub mortali tenebantur fideles Communionem sumere in Nativitate Christi Domini, in Paschate, et festis Pentecostes; sed quia indiscreta assignabatur poenitentia, ideo fideles remoti sunt

5. Parochi non requirant a Poenitentibus solutionem pro Confessione, quia multi non confitentur propterea.

6. Fiat reformatio Ritualis, quia dum administratur Sacramentum poenitentiae, numquam finis legendarum orationum, ex quo tedio affecti poenitentes, non frequenter solent accedere.

⁹³ Quia programma hoc sine scitu et approbatione Metropolitanæ Kioviensis, qui promotor fuit huius Synodi, vix exarari potuisset, etiam hanc scripturam eidem Metropolitanæ adscribere nobis placet.

7. Nulla instructio populi. Doctrina Christiana nulla, quia Parochi nihil sciunt et hoc non obstante consecrantur ab Episcopis.

EUCCHARISTIA.

1. Renovatur rarissime SS. Sacramentum Eucharistiae, ex quo datur Communio cum speciebus corruptis sub utraque specie.

2. Parochi, praecipue in aestate, consecrant frequenter in aceto, nec abhorrent consecrare in pane hordaceo, aut siligineo.

3. Si ipsis contingit vinum non habere in die festo, fuerunt qui consecrarunt cervisia, dicentes: melius est cervisiam consecrare, quam omittere Sacrum in die festo.

4. Pixides lignae, in quibus asservatur venerabile Sacramentum sub una specie, cum charta adintus, tollantur, et prohibeantur.

(f. 153v) 5. Fiat aliquis ordo pro communione Paschali, quia in maiori parte populus non communicat.

6. Parochi assistant infirmis moribundis; quia solent ipsis dare Sacramentum Poenitentiae, Eucharistiae, et animae reccomendationem, et postea in ultima lucta solent non esse praesentes; allegantes iam Moribundum suas habuisse expeditiones.

7. Sit maior mundities in Ecclesia, et Altari. Nam lardum, frumenta, butyrum, et id genus dedecet inibi servare. Quia Christus Dominus vult suam sponsam pulchram, et mundam; et sacerdotes debent diligere decorem Domus Dei.

8. In multis locis Ecclesiae aut ruunt, aut sunt semitectae. Providendum.

EXTREMA UNCTIO.

1. Infirmis raro datur Extrema Unctio. Putant enim Parochi Rutheni, quod hoc Sacramentum debeat administrari a septem Sacerdotibus, quibus omnibus contentatio, seu verius solutio danda. Pauperes nihil habent ad dandum, et sic privantur hoc Sacramento.

2. Olea Sacra non conserventur in vasis vitreis, et renoventur suo tempore. Nec a Parochis distribuantur in alium usum saecularibus pro comestibilibus, sicut contingere solet.

CONSECRATIO SACERDOTUM.

Tollantur abusus interrogationis, quam faciunt Episcopi Confessario sacerdotis mox ordinandi: Utrum sciat illum esse dignum, aut non. Nam hoc petere debeat ab Examinatoribus, non vero a Confessario, qui iudicat de peccatis confessis.

1. Dicunt Graeci, debemus scire: Utrum non habeat Ordinandus aliquod occultum impedimentum. - Bene est; sed non per Confessarium. Ne Sacramentum poenitentiae reddatur exosum.

2. Sit unus Ritus, seu Ceremoniale paenes quaecumque Episcoporum. Nam unus ab alio diversimode confert Ordines quoad ceremonias. Aliqui enim solum Lectoratum, et Accolytatum conferunt, non vero Exorcistatum, et Ostiariatum. - Nam dicunt quod duo isti Ordines includuntur un primis, et deinde reputant istos duos esse officia simplicia. - Aliqui vero conferunt omnes quatuor Ordines Minores.

3. Non consecrentur, nisi producant prius Metricam aetatis, seu fidem Baptismatis; cum apud Graecos sancitum sit, iuxta Canones, quod Subdiaconus 20, Diaconus 25, Sacerdos 30, Episcopus 35 annos habeat. Unde si nolunt observare Ca-

nones Graecorum, saltem observent Latinorum, quoad aetatem, aut petant dispensationem a Sancta Sede Apostolica. - Nam aliqui fuerunt ordinati anno 20 suae aetatis ad sacerdotium, ut Ill. mus Metropolitae modernus Leo Kiszka, et anno 22 ad Episcopatum, ut Ill. mus Josephus Szumlanski, pie def. Episcopus Leopoliensis.

4. Dum consecrantur sacerdotes, ad 20 et amplius insimul solet Episcopus imponere manum supra caput aliquorum, dum Formam profert, et interea Archidiaconus extendit supra caput reliquorum Palium Episcopi. - Deinde, amoto Palio, Episcopus ponit manum supra sacerdotes, qui erant (f. 154) tecti Palio, et nihil dicit. Cum tamen deberet Formam etiam supra illos, dum manum imponit, dicendo: - Divina gratia, quae sanat infirmos, et supplet defectuosa constituit Diaconum in Praesbyterum; Oremus itaque ut veniat gratia Spiritus Sancti super eundem (et postea signat ter caput ipsius et manum ponit supra Ordinatam), proferre.

5. Tollatur usus conferendi una die tam Minores quam Miores Ordines. Episcopi, nescitur in quo? - Metropolitae autem fundant se in minus iusta interpretatione Privilegiorum Sanctae Sedis Apostolicae, quae (ut ipsi asserunt) concedit eisdem posse ordinare non servatis interstitiis. Quapropter producant et typo dent Privilegia iuxta mandatum quod habent ab Emin. mo et Rev. mo Domino Cardinali Sacripante, Praefecto S. Congreg. de Propag. Fide. Nam Ecclesia Graeca servavit saltem semper hoc, quod non consuevit conferre una die insimul Diaconatum, et Praesbyteratum, licet contulerit aliquando Subdiaconatum, et Diaconatum.

6. Relinquantur praetia pro Consecrationibus. Quia propterea Episcopi habent Villas, unde vivere; et ulterius accipiunt Cathedraticum aliquot vicibus per annum; scilicet a quocumque sacerdote per unum Imperialem, seu talerum, unde est simonia vera, et purissima.

ANTYMIS, SEU PORTATILE GRAECORUM.

Duo sunt Antymis ex tela benedicta, ad latitudinem unius strophii, in quibus solet esse impressa Imago demortui Salvatoris, et stant apud, Graecos, sicut Portatile apud Latinos; In uno ipsorum debent esse omnino consutae Reliquiae Sanctorum. Quia Ecclesiae Parochiales Graecorum sunt solummodo benedictae, non vero consecratae, videndum an in dictis Antimyssis reperiantur Reliquiae, nec ne. Quia in multis non sunt, et tamen supra illos celebrant, et consecrant.

ECCLESIAE.

1. Non admittantur multi Parochi ad unam Ecclesiam curatum; sufficit unus, cum vix illi unico sufficiant alimenta.

2. Examinentur foundationes omnium Ecclesiarum Graeci Ritus: et quia fere omnes indotatae invenientur, ideo provideatur apud fundatores Ecclesiarum, ne fame pereant sacerdotes; neve Alumni, qui cum tanto sumptu Sanctae Sedis Apostolicae educantur, nutriuntur et instruuntur in Seminario Leopoliens., ad aratrum, sed ad Ministerium Altaris applicentur, serio agatur.

3. Ecclesiae saeculares Parochiales saecularibus Parochis, non vero Monachis, iuxta Concilium Tridentinum, conferantur.

4. Sunt Ecclesiae multiplicatae sine necessitate, sine dote, aut fundatione, male conservatae. Inde reducantur in unam aliam Parochiam.

5. Quando Parochus deficit propter ipsius delicta personalia, solet ex mandato

Episcopi multoties obsigillari Ecclesia Parochialis ipsius et ita oclusa manet ad tres, aut quattuor septimanas aliquando, non sine summo animarum periculo, et detrimento, quando quidem populus innocens privatur Sacro, et Sacramentis. - Provideatur.

LIBRI.

(f. 154v) 1. In Psalterio Parvo, typo dato Leopoli, in Officio Spiritus Sancti expresse ponitur quod: Procedit a solo Patre; corrigatur. - Et alii libri, in quibus multi errores, revideantur.

GREGORIUS PALAMAS.

Habetur pro Sancto iste Schismaticus, qui taliter mortuus est. Et Graeci celebrant illius festum Dominica 2da Quadragesimae. Fiat revisio Calendarii, ei Martyrologii.

SACRIFICIUM MISSAE.

Sacerdos celebraturus Sacrum, dum actu celebratur, non infundit aquam in Calicem, quia haec infusio prius facta est a Sacristiano, sive saeculari, sive ecclesiastico, qui solet praeparare pro Sacro. Ex quo sequitur, quod aliquando Sacrista obliviscitur infundere, aliquando oblitus, quod infuderit, iterum infundit; aliquando, cum vinum sat debile sit, potest aquae quantitas superare quantitatem vini.

MULIERES RUTHENAE.

Sunt ferme infinitae Ruthenae puellae et aliae mulieres, quae inserviunt Haebreis, cum quibus nefande prolificant, sabathizant, et ipsorum mores haebraicos induunt. - Provideatur. - Serio Parochis demandetur vigilantia, quia hinc maxima, et irreparabilis perditio animarum.

46.

Berestj, 27 . IV . 1717.

Petit ne sibi prohibeatur locatio in favorem Nobilium bonorum recuperatorum in partibus Ucrainae, nec non ut renovetur prohibitio transitus ad Ritum Latinum.

APF, *Sert. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 609, f. 167-168.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Sacrae Romanae
Ecclesiae Principes, Domini et Patroni Colend.mi.

Fidem Catholicam in Partibus schismaticis circa ipsam Chyoviam et confinia Moschoviae promovendi, animasque Christo lucrandi optima nunc visa est commoditas. Bonorum seu Praediorum in illis Regionibus situatorum et pridem ad Metropoliam, vel Abbatiam Pieczariensem fundatorum, et temporis iniuria vel per saeculares avulsorum, vel per Schismaticos possessorum, rehabitio, et in possessionem meam assertio, uti de facto, opitulante Deo, iustis mediis rehabui, et indicavi, maximo eo lucro, quod ibidem per ministros meos submissos occasione eorundem Praediorum plurimae Ecclesiae Ruthenae Potestati Romanae Indies aggregantur et residuae, non solum hic in Regno spem optimam faciunt, sed etiam ipsi Chiovienses per suavem conversationem non ita abhorrent a nomine Unionis. De-

nique non alius melior porrigitur modus cooptandi animas eorundem Schismaticorum, quam eorundem Praediorum possessio, et Ministrorum meorum ad id idoneorum ibidem permanentia. Haec tamen fundamenta solidissime iacta (: nam ad ducentas Ecclesias aditus Fidei Catholicae patet:) vacillare debent, dum aliqui Nobiles Poloni, instantiis Magnatum stipati, his precibus, quibus resisti non potest, hoc a me extorquere nituntur, et re vera extorquunt, ut illas villas et praedia in Palatinatu Chioviensi existentia, per contractum triennem illis locem. Unde cum neque ego, neque etiam Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus Nuntius denegare poterimus, nisi mille odiis apud Magnates contractis, Eminentissimas Principesque Celsitudines Vestras, praemisso eoque submisso debitoque venerationis cultu, precibus meis molestandas duxi, quatenus mandatum mihi nomine Sanctissimi inhibitorium transmittere non dedignentur, ne supradictas Villas et Praedia in Palatinatu Chioviensi existentia audeam et praesumam cuiquam Saecularium quovis contractu locare (f.167v) et in possessionem transmittere; addito, quod non solum per hoc occasio lucrandi animas omitteretur, verum etiam avulsionis periculum committeretur. Quod dolendo exemplo experimur in multis Ecclesiasticis Bonis, per Saeculares deoccupatis, signanter in villis dictis Grodek et Obarow, de quibus per plurimos annos litigia trahuntur nec finiuntur. De iisdem Praediis Chioviae adiacentibus advenientes Rustici Nundinarum causa Chioviae, vexantur, et pecora iisdem intercipiuntur a Cyrillo Szumlanski, Apostata,⁹⁴ a nobis ex Episcopatu Luceoriensi pulso. Unde ad Serenissimum Regem Augustum necessariissimam interpositionem Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum imploro, quatenus hanc Causam recommendet Serenissimo Caro, ne idem permittat subditos Poloniae impune vexari, et pecora Rusticis percipi, praesertim per suprafatum Apostatam Szumlanscium.

In secundo puncto veniam submississime peto, quod totius iam praesentatas supplicationes Eminentissimis Celsitudinibus Vestris, toties decisam causam, et benigna in favorem nostri Sacrae Congregationis Responsa ac Decreta, iterumingere, et renovare praesumo, scilicet prohibitionem transitus de Ritu Graeco ad Ritus Latinum; dum enim ab Illustrissimis Dominis Episcopis latinis eorundem Decretorum nulla exequutio, Illustrissimorum ac Reverendissimorum Dominorum Nuntiorum in Regno Poloniae efficacissima Rescripta et compellationes in vilipensionem acceptae, non aliud medium mihi et Confratribus meis, Dominis Episcopis Graecocunitis reperibile indicatur, nisi vel Jure cum iisdem Dominis Episcopis latinis experiri (quod non sine gravi scandalo perfici iudico, maxime si in apricum exiret, et Schismaticis ob oculos poneretur), vel auxilium et opem Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum pro aliqua opitulante gratia implorare, et ut aliquo reperibili, eoque efficaci medio huic nostrae patentissimae iniuriae succurratur submississime supplicare. Non solum enim quod fictos Pastores, dum nihil iuri in Oves nostras habere possimus, gerere nos cogimur, sed etiam alios ad Sanctam Unionem (f.168) inducere nequimus innata illa praesuntione et persuasione, quod a Ritu Graeco eos blande semovemus per medium Unionis. Sudores itaque Antecessorum nostrorum, et nostros, imo sanguine profuso in plantanda Fide Catholica ne sterilecere per-

⁹⁴ Cyrillus Szumlanskyj, qui anno 1711 apostatavit et Kioviae sese contulit, ubi conservationem in Episcopum Perejaslaviensem, trans Borysthenem, e manibus non Unitorum accepit.

mittant, imo ardentiozem ad aestus Apostolicos ferendos zelum provocent, in indignis suis Operariis, hoc suo benignissimo favore nobis semper assistente, et in hucusque Russiam protegente; Iterum atque iterum exorandas praesumo Eminentissimas Celsitudines Vestras, quas ut Deus Optimus Maximus incolumitate sospitat largissimisque suis benedictionibus remuneretur hoc votum meum est et erit, qui et modo in venerationis debitam tesseram sacram earundem exosculor purpuram et maneo

Emin.marum, Excell.marum ac Rev.rum Celsit. Vestrarum, Dominorum et Meoenatum Amplissimorum

infimus Servorum, et Exorator continuus

LEO KISZKA, Metr. Russiae

Ex Cathedra mea Brestensi, die 27 Aprilis, Anno 1717.

47.

Volodymyr, 25 . IV . 1720.

De causa P. Wietrzyński, ut confirmetur sententia depositionis et restituantur ablata Ordini Basiliano.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Pol., Mosc., e Ruteni*, vol. 4, f. 47.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S.R.E. Cardinales,
Domini, Domini, et Meoenates Amplissimi, Clementissimi.

Requisitam Inquisitionem authenticam contra Romipetas de Ordine Basiliano⁹⁵, conformiter ad mandatum Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum transmittito, quae certo certius edocebit, in nulla re Capitulum Generale Novogrodense errasse circa destitutionem Reverendi Patris Wetryński ab Ordinis Proto Archimandria, imo mitius, quam necesse erat, tanta in scelera animadvertisse, proinde quatenus sublimi Oraculo Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum eiusmodi roboretur Decretorum, nomine et pro parte Ordinis Basiliani, cuius haec et non mea Causa est, humillima supplico prece. Et quia relationem capio, in Urbe quasi inculpatus, ponat agendi obicem Reverendo Patri Procuratori Generali in Urbe,⁹⁶ ac si meus sit affinis, testor sub vinculo conscientiae, eum mihi neutiquam esse affinem, nisi ad communem omnium Patrem Adamum, sive post diluvium ad Noemum recursum facere velimus. Ultimum, est, quod enixe ab Eminentissimis Celsitudinibus Vestris peto quatenus pauper Religio, tot tantisque concussa malis, et a Reverendo Patre ex-Proto Archimandrita ad triginta millia florenorum damnificata, non adigatur ad alendos praefatos Romipetas praecipue cum ille ad restituenda sit omnino incapax damna; Bona enim, quamvis sat exigua, Decreto Tribunalitio Regni sunt eidem adempta, ob occisionem Nobilis

⁹⁵ Agitur de famosa Causa PP. Maximiliani Wietrzyński et Firmiani Wolk, Protoarchimandritae et Consultoris Basilianorum, qui anno 1719 a Metropolitae capitulariter officiis privati, Romam appellarunt, imo ipsi in persona comparuerunt. De his plurima prostant Romae documenta, in variis nostris voluminibus edita.

⁹⁶ Benedictus Trulevyč (1712-1726).

Sosnowski, ab eo patram, imo ipse quoque paena colli affectus, et certo mulctandus, nisi religiosa praepediret cuculla. Respondeat sive agat de mea, Ordinis quae nulla est, oppressione, positus extra sequestrum, propriis impensis, ego similiter propriis respondebo, convicturus, opitulante Domino, Tutorem me esse non oppressorem Ordinis Basiliani nec ullam unquam, nequidem per somnum, ambire Proto Archimandriam, imo, ut sim liber ab adeundis Capitulis Generalibus, quae non sine magno meo confiuntur, nullo meo commodo, quadriennali sumptu, anhelare. Sacras denique vestium fimbrias uniuscuiusque acclinis plantis dulci deosculans basio, maneo

Eminentissimarum, Excellentissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimus Servorum, et Exorator perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Processum contra R.P. Wietrynski transmittio ad manus Rnd.mi Patris Trombetti, iuxta mentem Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum.

Ad cathedram Vladimiriensem, die 25 Aprilis, Anno 1720.

48.

Volodymyr, 25 . IV . 1720.

De eadem causa P. Wietrzyński, et de restitutione documentorum ablatorum.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 48.

Ill.me, Excell.me ac Rnd.me Domine, Domine Patrone, ac Mecoenas Amplissime.

Proprium est cavillatorum dissentientem a caeteris habitum malis moribus praetendere, et obvolvare vitium verbis decoris. Fecerat affinem meum R. P. D. Procuratorem Generalem, qui nullatenus est, Rndus Pr. Maximilianus Wietrynski, ut obumbraret suum crimen, sub imagine erroris Sancti Basilii Magni (: uti audivi :), sed iste vere consilium vultu regit, ac spem fronte serenat, nec palliari tamen Sacrae Congregationis, modo enixe peto Ill.mam Excell.mam ac Reverd.mam Dominationem Vestram, efficaciter exponere Sacrae Congregationi, ut istum Romipetam cogat ad restitutionem originalium Scripturarum, et Munimentorum Conventuum, quorum numerum et denominationem specificabit R. D. D. Procurator Generalis, ne pauper Religio, tot tantisque concussa per ipsum malis, ulterius et hoc tam magni momenti patratum damnum, et cogatur extra caveam cum ventis inquirere frustra praedam, quam Divina Providentia ultro ad manus fecit advolare Romanas. Significatum est enim mihi, et quasi quotidie deferunt RR. PP. Consultores, quod illi conventus in suis bonis et adjacentis valde molestantur, et iniuriam actu patiuntur a vicinis. Hoc ideo vehementer postulo, ubi video maximam opportunitatem, quia Protector, non Oppressor sum Ordinis Basiliani. Caetera cum in literis ad Sacram Congregationem expresseram, ne altiora Excellentiae Vestrae negotia inquietem, devotissime deosculans manus, maneo

Ill.mae, Excellentissimae, ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae

Servus humillimus, et Exorator perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpropria).

Ad Cathedram Vladimiriensem, die 25 Aprilis, Anno 1720.

49.

*Volodymyr, 1. V. 1720.**Respondit ad obiectiones de ignorantia cleri, nec non de abusibus, qui tolli non possunt sine visitatione canonica Metropolitanani.*APF, *Scrit. rif. n. Congressi : Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 56.Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S. R. E. Cardinales,
Domini, Domini, et Meceonates Clement.mi.

Processum Causae Reverendi Patris Wietrynski cum Religione Basiliana, cuius penes eum Regimen manebat, consignavi ad manus Reverendissimi Patris Trombetti, Emin. mis Celsitudinibus Vestris transmittendum, una cum seorsiva in hisce acclusa literis informatione. Delatio, acsi in Universa qua late patet Russia, Parochi temporalibus cum neglectu animarum invigilent, et extrema laborent inscitia, iniuriosa est antiquitus conversis ad Unionem Dioecibus, quales sunt Metropolitana, Vladimiriensis, Brestensis, Chelmensis et Polocensis; his enim similes in toto Orbe cytarem; de neoconversis Leopoliensi, Luceoriensi, et Premyslensi non eo inficias, quin correctione non indigeant, qua de causa ad obloquentiam sacrorum Canonum, a quatuor circiter in antecessum annis facultatem ab Oraculis Vaticanis pro visitandis hisce Dioecibus expetivi, sed non obtinui, ac proinde quod non possim limites transcendere Canonum, non mea id evenire arbitror culpa. Summa legata Seminario Premyslensi, ut applicetur Collegio Leopoliensi, omnimode insudabo, ac singulariter in Synodo nostra Provinciali sub Praesidentia Celsissimi Domini Nuntii Apostolici brevi celebranda eiusmodi Sanctum Opus ad desideratum reducam effectum; mea vero Dioecesis Vladimiriensis proprium ad Cathedram Vladimiriensem habet Seminarium, pro quo praeter alias summas ego quoque inscripsi in Bonis meis Haereditariis, Maeczyce dictis, nonaginta millia florenorum, alia vero nonaginta millia in Bonis Zimno pro Novitiatu Basiliano, ad effectum creandorum ex eo Professorum, nec in posterum, si supervixero, desistam, adstipulante mihi benedictione Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, ab iis, quae spectant, ad exaltationem Sanctae Matris Ecclesiae, et animarum pretioso Iytro Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi redemptarum lucrum. Sacras denique purpurae sacratissimae uniuscuiusque dulci atfectans libamine, maneo

Eminet.marum, Excellnt.marum, ac Rnd.marum Celsitudinum Vestrarum
infimus Servorum, et Exorator perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram Vladimiriensem die, Ima Maij, Anno 1720.

Erravit, qui detulit, in unaquaque Dioecesi aliquot Ecclesiarum milliare reperiri; ego enim in Metropolia et Episcopalibus Vladimiriensi et Brestensi septingentas tantum possideo Ecclesias, Archiepiscopatus Polocensis trecentas, Episcopatus Chelmensis non plene trecentas, Episcopatus Pincensis centum viginti habet Parochias. Neoconversi Episcopatus Premysliensis, Luceoriensis, et Leopoliensis copiosiores sunt; Premisliensis enim mille ducentas, Luceoriensis mille, Leopoliensis quatuor millia Ecclesiarum numerant, omnino Pastoralis Metropolitanae gentes visitatione.

50.

Volodymyr, 19. VI. 1720.

*De Seminario, de decimis et aliis negotiis Ecclesiae Unitae.*APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. Ruteni*, vol. 4, f. 87.Ill.me, Celsissime, ac Reverendissime Domine, Domine, et Patrone Amplissime.⁹⁷

Refundat Altissimus, universarum Arbiter rerum, Ill.mae et Excell.mae Vestrae Celsitudini pro eo fervore, quo insigniter fertur circa elevationem Cleri Russici depressi, ad cuius mandatum ea, quae nosse potui, transmittio; reliqua edisserent Ill.mi Locorum Ordinarii; quoniam eiusmodi gravamina nostras antiquitus unitas non premunt Ecclesias, excepto eo, quod pro praesentationibus pecuniae exigantur, qui mos practicatus, et horrende radicans, cum petat etiam altiora, qua via sit evertendus, non est postrema difficultas. Religio cedere iuri suo ad Seminarium Premyslense, in sortem Patrum Theatinorum, iam est inclinata, sequetur effectus in proxime celebranda Synodo Provinciali. Quod attinet Decimas, hae exiguntur per Parochos latinos a Fidelibus Ritus Graeci, singulariter in Dioecesi Chelmensi, in qua etiam Monasterium Lublinense ad eiusmodi angarisatur onera exsolvenda; an vero hoc idem practicetur per Dioeceses Luceoriensem, Leopoliensem et Premyslensem prorsus ignoro; in nostris vero Lythuanis Dioecesibus, veluti Latini, ita Graeci Parochi nil quidquam participant de Decimis, ac proinde circa nihil non contendunt, quodsi aliquae reperiantur Decimae Praediales, his gaudent eae Ecclesiae, quibus datae sunt ad similia foundationum literae. Lis de Decimis Chelmensibus erat intentata Clero Latino Chelmensi a Domino Jacobo Susza, Episcopo Chelmensi,⁹⁸ qui tribus annis commoratus Romae, eiusmodi obtinuit Decretum, ut Decimae Latinorum Latinis, Decimae Graecorum Graecis cedant Parochis;⁹⁹ in regressu vero dicti Episcopi pudori sibi aestimans Clerus latinus tale publicari Decretum, in eundem tenorem hoc idem via combinationis terminavit, et in perpetuum sancivit, cur nunc recedant Parochi latini, dabit rationes mihi ignotas Dominus Episcopus Chelmensis;¹⁰⁰ ego vero benevolentiae solitae meipsum apprime recommendas, maneo

Ill.mae, Excellentissimae ac Rnd.mae Dominationis et Celsitudinis Vestrae
 Servus humillimus et Exorator indefessus
 LEO, Metropolitae (mpropria).

Vladimirae, die 19 Iunii 1720.

Quoniam in futura Synodo Provinciali instituetur sermo de Calendario veteri in Russia abolendo, et Patres Theatini Varsavienses habent gratiam in oculis Principis Dolhoruki,¹⁰¹ enixe peto, ut Rd.mus Pater Bellavisti, sive alius quivis, data quasi occasione, insinuet dicto Principi, quod cogitemus eiusmodi negotium perficere, ad eum

⁹⁷ Epistola ad Nuntium Varsaviensem Hieronymum Grimaldi (1713-1720).⁹⁸ An. 1652-1685.⁹⁹ Annis 1664-1666. Cfr. *Acta et Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, editionis romanae 1953.¹⁰⁰ Josephus Levykyj (1711-1730).¹⁰¹ Legatus, ut videtur, Moscoviae in Varsavia; familia haec sat numerosa fuit; exinde difficile dictu, de quonam praecise agitur eius membro.

efectum, ut sciri possit, qua fronte acceptaturus sit eiusmodi loquelam, et capere mensuram de ipso Principali Serenissimo Moschoviae Caro.¹⁰²

51.

Volodymyr, 19 . VI . 1720.

Informatio Metropolitanae de gravaminibus Cleri rutheni ex parte Dominorum saecularium.

APP, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Rutheni*, vol. 4, f.88-89v.

Si desiderano le seguenti informazioni:

Quali siano le gravezze che soffrono i Parrochi del Rito Greco Unito, e quali le contribuzioni, che pagano a i Padroni de luoghi, ove si trovano le loro Chiese.

Si danno le seguenti risposte:¹⁰³

Nelle Diocesi di Lituania, e in quelle di Vladimira e Chelma non si paga veruna contribuzione; ma alle volte il Governator Generale di Lituania da certe assegnazioni, in virtù delle quali si esige qualche danaro dalli Preti; questo però non è accaduto nel mio Vescovado,¹⁰⁴ che una sola volta in 12 anni. Nell'altre Diocesi, di Premislia, Leopoli, e Luceoria i Parrochi soffrono molte gravezze, pagando diverse contribuzioni a i Padroni de Luoghi, ove sono situate le loro Chiese.

* * *

Se per il fondo che è assegnato per dote della Chiesa dovevano pagare qualche cosa, o pur solamente per gl'alveari, le pecore, e gl'altri frutti, che ricavano fuori di esso fondo.

Nelle nostre Diocesi anticamente unite¹⁰⁵ si gode in questo punto una piena libertà; nelle Diocesi però di Luceoria, Leopoli e Premislia pagano i Parrochi il censo di 20 Fiorini per gl'alveari, e le pecore, e danno la Decima, ancor che gl'alveari sieno in molti luoghi vicini alle loro Chiese. Ciò si pratica tanto da i Padroni secolari, che dagl'Ecclesiastici, anzi dagli stessi PP. della Compagnia di Gesù, e singolarmente nel Villaggio detto Hrulsztow, il quale appartiene al Collegio di Premislia. I Signori Vescovi di Premislia, di Luceoria, e di Leopoli potranno dare più distinta informazione sopra questo punto.

* * *

(f. 88v) Se queste contribuzioni siano da per tutto uguali; et a qual somma ascen-

¹⁰² Petrus I (1682-1725). Hic his sanè annis de plurimis cogitabat innovationibus introducendis. Anno praesertim 1721 s. d. *Regulamentum Spirituale* introduxit, quo totam structuram Ecclesiae Moscoviticae in novas introduxit vias, Patriarchatum praesertim abolendo et s. d. Sacram Synodum plurimis constantem membris introducendo.

¹⁰³ Ex contextu, videtur, agi de responsione Metropolitanum. Cfr. notam sequentem.

¹⁰⁴ Verosimiliter agitur de Eparchia Volodimiriensi, quam retinebat Metropolita.

¹⁰⁵ I. e. Polocensi, Pinscensi, Chelmensi, Volodimiriensi, Metropolitana. In parte etiam Luceoriensi. Hae eparchiae iam anno 1595-6 Unionem cum S. Romana Ecclesia acceperunt.

dano; e quando non sieno uguali, si desidera sapere in che consista la differenza, e dove si esiga più, dove meno e dove niente.

Non si sà, se le contribuzioni suddette sieno dappertutto uguali; ma i Signori Vescovi potranno rispettivamente informare di ciò, che si pratica nelle loro Diocesi.

* * *

Se i Parrochi Greci vengano alle volte obbligati da i Padroni dè Beni à prestare qualche servizio, come fanno gl'altri sudditi in Polonia, quale questo sia, e dove ciò si prattichi.

Nelle nostre Diocesi anticamente unite non soffrono i Parrochi simile gravezza; nelle Diocesi però di Premisla, Luceoria, e Leopoli i Preti sono obbligati da loro Padroni à nutrire cani da caccia, à portar le lettere da un luogo all'altro, à condurre assieme cò Villani i carri di vetovaglie, e a custodire i granari, e le chiavi di essi, crescendo ogni giorno le pretensioni dei medesimi Padroni sopra de' Parrochi. Le altre gravezze, à me poco note, le potranno esporre i Signori Vescovi.

* * *

Se i Figli de' Parrochi siano tenuti à qualche servitù verso il Padrone, ovvero godano l'esenzione.

Nelle Diocesi anticamente unite i figli dè Parrochi sono liberi, ma nelle Diocesi di Luceoria, Premisla, e Leopoli sono obbligati à prestare la medesima servitù, che i Contadini; anzi con Decreto del Tribunale del Regno è stato dichiarato non dover godere i figliuoli dè Preti alcuna esenzione, ma essere della stessa condizione dè Contadini.

* * *

Se questa servitù, o esenzione sia universale, e quando nò, in che sussista la differenza e quali siano i luoghi, ove (f. 89v) è introdotta una pratica diversa.

Già si è risposto che ciò solamente si pratica nelle Diocesi di Luceoria, Premisla, e Leopoli, non essendovi quest'abuso nelle anticamente unite alla S. Chiesa Romana.

* * *

Sù qual fondamento, e con che dritto siano state introdotte le decime, o sia contribuzioni che i Padroni dè Beni ricevono dà Parrochi e la servitù, che esigono dà loro figliuoli.

Non mi è noto sù qual fondamento, e con che diritto sieno state introdotte le Decime, ma ciò potrà sapersi dalli SS.ri Vescovi delle Diocesi, ove tal abuso è introdotto.

* * *

Se sia emanata qualche Costituzione della Republica, o Diploma de i Re pro tempore per l'esenzione del Clero Ruteno, e caso che ve ne sia uno, o più, si desidera di havere la copia autentica del Diploma, o di sapere rispettivamente in qual tempo sia stata fatta la costituzione per poterla ritrovare e farne uso in beneficio del medesimo Clero.

Vi sono molte Costituzioni per la libertà del Clero Greco Unito, ma non le ho presentemente appresso di me. In Varsavia potrà facilmente ritrovarsi un libretto intitolato Lahodowski, in cui si contengono tutte le sudette Costituzioni.

* * *

Se si possa trovar modo di far accrescere da i Padroni dè Beni le doti delle Chiese, e quale strada converrebbe tenere per conseguire l'intento.

Non sò qual mezzo possa trovarsi per conseguire quest'intento. Quello di non consagrare i Parrochi fino a tanto che non sia assegnata alla loro Chiesa la Dote competente, pare, che potrebbe giovare al nostro fine.

* * *

Se in qualche Diocesi le Chiese, o i Sacerdoti Greci siano in maggior numero di quello che richiede il bisogno del Popolo, e quali siano distintamente i luoghi, ove le Chiese et i Sacerdoti soprabbondano, mentre in tal caso si considera, che potrebbe (f. 89v) sopprimersi qualche Chiesa, e incorporar la sua dote alle altre vicine, che forse saran povere, e ciò affine che i Parrochi habbiano un assegnamento sufficiente, e possano vivere con qualche decoro, il che concilierà ad essi maggiore stima.

Solamente nelle Diocesi di Premislia, e Leopoli possono le Chiese e i Sacerdoti essere in maggior numero di quello, che richiede il bisogno del Popolo.

* * *

Se da per tutto i Padroni de' Beni esigano danaro per le Presentazioni alle Parrocchie, e quale strada converrebbe tenere per impedir questo abuso.

In tutte le Diocesi, anco nelle unite anticamente, si pratica quest'abuso, e non vedo altro modo per ovviare a tanto male, se non che Nostro Signore si degni d'inibirlo sotto gravi pene, e singolarmente sotto pena di scomunica.

52.

Volodymyr, 21 . VI . 1720.

Documenta spectantia convocationem Synodi Zamostianae.

APF, *Scrit. rij. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, f. 280-281v.

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis,
Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

Praesenti publico Instrumento cunctis pateat evidenter, et sit notum, quod cum Ill.mus et Rev.mus Dominus Leo Kiszka, Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Archimandrita Kiiovo Peczaren. et Suprasliensis. supplicasset Sanctissimo Domino Nostro, ut sibi ad ecclesiasticam disciplinam, veramque pietatem restaurandam liceret Synodum Provinciale celebrare, sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit, ut sequitur:

Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide,
habitae die vigesima septima Maii 1715.

Relata per R. P. D. Silvium de Cavaleriis, Archiepiscopum Athenarum, Secretarium,¹⁰⁶ instantia R. P. D. Leonis Kiszka, totius Russiae Metropolitae, suppliciter potentis impertiri sibi facultatem convocandi Synodum Provinciale, ad effectum occurrendi spiritualibus indigentis Ruthenarum Dioecesium, Sacra Congregatio decrevit, ut infra, videlicet: Domino Nuncio, qui autoritate etiam Sacrae Congregationis impertiatur licentiam Domino Metropolitae convocandi Synodum, cum facultate puniendi Archiepiscopos, et Episcopos Ruthenos, qui ad Synodum sine legitima causa accedere recusarent, vel sine eius licentia, ante absolutam Synodum inde discederent. Suspensa tamen exequutione, donec a Sacra Congregatione Resolutiones, sive Decreta Synodalia confirmentur. Quae omnia per eundem R. P. D. Secretarium Sanctissimo Domino Nostro in solita audientia, habita eadem die, relata, Sanctitas Sua benignissime approbavit. Datum Romae. die 13 Iulij 1720. Joseph Cardinalis Sacripantes, Praefectus. (: loco ✚ Sigilli:) P. A. Archiepiscopopus Larissae, Secretarius.

Huius autem Decreti vigore idem Ill. mus Dominus Metropolitanus facta sibi Sacrae Congregationis nomine potestate ab Ill. mo ac Rev. mo Domino Hieronymo Grimaldo, Archiepiscopo Edesseno, et Nuncio Apostolico in Regno Poloniae,¹⁰⁷ cui iniunctum quoque a Sancta Sede fuerat, ut in eadem Synodo praesideret, quemadmodum ex tenore Brevis infra adscribendi patebit, Leopoli primum, deinde, ob grassantem in illa Civitate pestilentiam, Zamoscii Synodum habendam indixit, ut sequitur:

Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kiioviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, Brestensis, Kiiovo Peczarensis, Suprasliensis Archimandrita.

Perillustri Rev. mo, ac Religiosissimo in Christo Patri Joanni Chrisostomo Radzimirski Franckiewicz,¹⁰⁸ Ordinis Divi Basilii Magni (f. 280v) Archimandritae Czereiensis, salutem in Domino. Quamvis ex praescripto Sacri Oecumenici Concilii Tridentini, iure nobis Archiepiscopali Metropolitanato Primatiali in Russia suffragante, nedum potuerimus, verum etiam debuerimus Provinciale Concilium ad restaurandam collapsam disciplinam, reintegrandosque ad pristinam orbitam mores, vocatis de iure vocandis, indicere, nihilominus quoniam de plenitudine supremae potestatis et clementiae suae Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Clemens XI, Papa Romanus, pro maiori tum emolumento, tum gloria gentis nostrae Roxolanae in Praesidem celebrandi Provincialis Concilii Ill. mum, Celsissimum, ac Rev. mum Dominum, D. Hieronymum Grimaldum, Archiepiscopum Edessenum, Nuncium in Regno Poloniae Apostolicum destinavit, idcirco eo magis piissimum eiusmodi negotium ad pridem exoptatum iam reducere cupientes effectum, ex speciali mandato praetacti Celsissimi Ill. mi ac Rev. mi Domini, Domini Nuncii Apostolici, pro celebranda Provinciali Synodo Civitatem Leopoliensem, diem vero inchoationis eius vigesimam sextam mensis Augusti, novo stylo, designamus;¹⁰⁹ et quatenus Perillustris Reverendissima Paternitas Vestra pro termino praefixo de rebus Unionis consultura supervenire Leopolim non dedignetur, refugiendo poenas Canonibus praescriptas contra non acceden-

¹⁰⁶ An. 1707-1717.

¹⁰⁷ An. 1712-1720.

¹⁰⁸ Archimandrita Czereiensis ab an. 1703.

¹⁰⁹ Servata die, Synodus tamen postea ob pestem Leopoli grassantem translata fuit Zamostiam, ubi et celebrata fuit.

tes Synodum Provinciale, non immemor insuper sui corporalis ad accedendas Synodos Provinciales, quoties vocatus fuerit, iuramenti, intimamus praesentesque Intimatorias Literas nostras, pro maiori robore veritatis, manus propriae subscriptione, penes Officii nostri Archiepiscopalis Metropolitanus sigillum, ratificamus, idque in nomine Sacrosanctae, vivificae, et Individuae Trinitatis, Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Dabantur ad Cathedram nostram Vladimiriensem, die vigesima prima Mensis Maii, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo. - Leo Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpp) - (:loco † Sigilli:) Josaphat Jachimowicz, Ordinis Divi Basilii M. Archimandrita Toloczynensis, Curiae Ill.mi, Exc.mi ac Rev.mi Domini Metropolitanus totius Russiae etc. Auditor (mp) - Nicolaus Laszczewski, suae Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Celsitudinis Notarius (mpp).

Item: Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kiioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Episcopus vero Vladimiriensis et Brestensis, Kiiovo Peczarensis, et Suprasliensis Abbas.

Ill.mis, Perillustribus, Rev.mis, Venerabilibus, admodum R.ndis, R.ndis, Archiepiscopis, Episcopis, Archimandritis, Protoarchimandrita, Hegumenis, Monasteriorum Superioribus, Decanis, Parochis, et caeteris ad Synodum Provinciale Leopolim per nostras litteras, (f. 281) anteriores evocatis, salutem in Domino. Quoniam saeviens pestis, nedum in vicinioribus locis, verum etiam in ipsa civitate Leopoliensi, maximum periculum nobis ingerat, ne Civitas illa adiri possit, idcirco Synodum Provinciale, in antecessum Leopolim indictam, et intimatam pro die vigesima sexta mensis Augusti, in anno praesenti, transferendam esse Zamoscium,¹¹⁰ ex mente Excellentissimi, Ill.mi et Rev.mi Domini Nuncii Apostolici, duximus eandemque praesentium tenore litterarum ad Civitatem Zamoscensem termino temporis non immutato, nec variato, actu transferimus, ac ut Ill.mae, Perillustres, Rev.mae Dominationes Vestrae cum vocatis de iure vocandis e sibi creditis Dioecesibus, pro termino praefixo, de rebus Unionis consulturi, supervenire non dedignentur, refugiendo poenas Canonibus praescriptas contra non accedentes Synodum Provinciale, non immemores insuper sui corporalis ad accedendas Synodos Provinciales, quoties vocati fueritis, iuramenti, intimamus, praesentesque Intimatorias Literas nostras, pro maiori robore veritatis, manus propriae subscriptione, penes Officii nostri Archiepiscopalis Metropolitanus Sigillum ratificamus. Dabantur ad Cathedram nostram Vladimiriensem, die vigesima prima Mensis Iunii, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo. Leo, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpp) - (:Loco † Sigilli Metropolitanus:) - Josaphat Jachimowicz, Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandrita Toloczynensis, Auditor Curiae Metropolitanae (mpria) - Nicolaus Laszczewski, suae Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Celsitudinis Notarius (mpp).

53.

Wasova, 15 . VII . 1720.

P. Trombetti, Theatino, de loco et ecclesia celebrandi Synodum Leopoliensem seu Zamostianam.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*; vol. 4, f. 140-141.

¹¹⁰ Revera Synodus nomen obtinuit Zamostianae, ut patet ex editione Aetorum an. 1724: *Synodus Provincialis Ruthenorum habitata in civitate Zamossiae, Romae 1724, 1883.*

Rev.me ac Religiosissime Pater, Pater et Patrone Colendissime.

Litteras Rev.mae ac Religiosissimae P. Vestrae, datas Leopoli die 5^a Mensis Iulii, heri recepi, adeo erat negligens Emissarius meus, ut cum litteris meum Brasoviam praestolaretur adventum, ac proinde universa in negotiis gravissimis tardaret recte facta; quoniam vero ex his litteris nihil colligo quod ad securitatem, sive ad periculum pertineat, et aliunde non vana divulget fama pestem grassari in aliquibus locis Leopoli, veluti informor a Rev.mo P. Commissario Generali Ordinis SS.mae Trinitatis de redemptione Captivorum, idcirco visum est praesentem Emissarium meum Leopolem pro capienda de peste ordinare notitia; quam enixe peto, accedente enim periculo, etiam minima ex parte, Synodum transferri vel Chelmam, vel Zamoscium est necesse, ne uno ictu flos primaevus Ecclesiae Roxolanae excindatur, praecipue cum de diverso supervenientes aëre magis, magisque sint pestiferae sui obnoxii homines, in capite vero Ill.mum et Reverendissimum D. Nuncium Apostolicum ad obnoxium periculo deducere locum, cum alii hac in parte sint praesto ad manus, capitale est. Quodsi contigerit iam Leopoli celebrari Synodum (quod ex animo exoptassem ob commoditatem (f. 140v) victualium, et singulariter diebus ieiuniis, iam Rv.ma ac Rel.sma P. Vestra habeat illud extra omnem controversiam certissimum esse, neminem de nostris posse consentire, ut alibi praeterquam in Ecclesia Confraternitatis Civitatis Synodus nationalis celebrari possit,¹¹¹ ita ut non sit dabile medium vel e Synodo, ne quidem inchoato, abscedere, vel eandem in Ecclesia dicta celebrare, et praeterea etiam mentio Synodi celebrandae in Sacello Collegii Rev.mae ac Rel.smae P. Vestrae dignissimam ejus Personam arguet esse authorem, ac proinde in oculis nostrorum Praelatorum Ritui Graeco Unito representabit minus faventem, cum hoc non tantum postulari, verum ne quidem cogitari unquam poterit ex certis, quas novit, sat bene consumata R.mae ac Rlg.smae P. Vestrae prudentia, respectibus non spernendis. Ecclesia S. Onofrii non erit sufficiens,¹¹² praeterquam quid videremur eiici cum publico actu ad feces suburbanas; malleus enim in Cathedrali Ecclesia eiusmodi actum celebrare, nisi sit exigua, cum non solum Episcopi, verum etiam Archimandritae, Consultores, Superiores, Decani saltem ex parte, idque parcendo sumptibus, sint superventuri, non quidem pro sententia definitiva, sed pro solito (f. 141) antiquissimo more etiam in Conciliis Oecumenicis usitato; in Synodo enim Florentina, ut taceam anteriora Generalia Concilia, solus Dominicanus ex parte latina cum Marco Ephesio contendebat; in Tridentina autem Abbates, Doctores, iurisperitos plurimos lego annotatos. Cum itaque plus quam centum convenient Personae, nec Ecclesia S. Onofrii, ne Sacellum Rev.mae ac Rl.gmae P. Vestrae sufficere, etiam aliis sepositis ad partem rationibus, videbantur. Pro cambio transmissis summas ago gratias, reliquum quod erat ultra triginta aureos nummos Hungaricales superfluum, Rev.mus Pater Proto Archimandrita¹¹³ misit pro cambiali in Per-

¹¹¹ Agitur de ecclesia Confraternitatis Stauropigianae Leopoliensis.

¹¹² Ecclesia S. Onofrii, postea Basilianis concessa, penes quam novissimis temporibus Curia inveniebatur provincialis Provinciae SS. Salvatoris.

¹¹³ Tunc erat Protoarchimandrita Antonius Zavadskyj (1719-1723).

sonam Rev.mae P. Vestrae, more Cambiantibus usitato, veluti ad me in suis ediseruit litteris. Benevolentiae me interea pristinae insinuans, maneo

Reverendissimae ac Religiosissimae P. Vestrae

Servus humillimus

LEO, Metropolita (m. propria)

Wasoviae, die 15 Iulii Anno 1720, circa ipsum abscessum Vladimiriam.

Si quo casu non possemus adire Leopolim, ob pestem, peto humillime denunciari, quo pretio sacchari praeparati emitur pondo, et utrum reperiantur eiusmodi Pissoses.

54.

Volodymyr, 17 . VII . 1720.

De peste Leopoli grassante, et de necessitate transferendi Synodum Provinciale celebrandam Zamostiam.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 151.

Illustrissime, Celsissime, ac Reverendissime Domine,
Domine, et Mecoenas Amplissime.¹¹⁴

Reverendissimus Pater Commissarius Generalis Patrum Ordinis SS.mae Trinitatis de Redemptione Captivorum, vir magnae notae, Castellanides, cum esset in saeculo, Volhyniae, non plenam adesse Leopoli securitatem, a contagione pestifera, literis ad me datis notificat, imo oppidum Janovia dictum, esse a Cive Leopoliensi infectum, Doctorem Leopoli expulsam, aliquot homines cum signis pestiferis obiisse prope Collegium Patrum Theatinorum, circa Arcem muratam, denunciat, veluti eius ex litteris Excellentissima Celsitudo Vestra poterit informari; ordinavi ego Emisarium meum Leopolim pro veritate facti, sed quia non rediit illinc ante egressum hic Postae, idcirco plenius dandum hac in parte notitiam sequenti cogor reservare Postae; interim anticipative eligendum alium locum, Excellentissimae Celsitudini Vestrae insinuo, Chelmam duntaxat, vel magis commodum Zamoscium. In causa, quam exponet Generosus Dominus Skwarczynski, veluti iustissima, quatenus possim literas inhibitionis Apostolicae obtinere, de plenitudine gratiae Excellentissimae Celsitudinis Vestrae enixe peto, et penes dulce osculum fimbriarum maneo

Ill.mae, Excell.mae, ac Rnd.mae Celsitudinis Vestrae

Servus humillimus, et Exorator continuus
LEO, Metropolita (mpr).

Vladimiriae, die 17 Iulii 1720.

55.

Volodymyr, 24 . VII . 1720.

De translatione Synodi Provincialis celebrandae Leopoli Zamostiam.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 162.

¹¹⁴ Videtur epistola haec destinabatur Nuntio Varsaviensi.

Ill.me, Celsissime, ac Reverendissime Domine,¹¹⁵
Domine, et Mecoenas Amplissime.

Tum Reverendissimus Pater Trombetti, tum Rnd.mus Wielhoski, certiorant me de invalescentia pestis Leopoliensis; hac nihilominus non obstante, multos Leopoli manere Magnates asserunt iidem; si itaque singulariter circa novilunium invalescat contagio, sive Zamoscium, sive Chelma pro Synodo Nationali eligenda restant; de Zamoscio nihilominus notum facio, quod Haeres eius in Lythuania resideat,¹¹⁶ et verendum est, ne ob periculum pestis, ab hoc munito fortalio arceamur; alterum est quod nostra inibi Ecclesia exigua sit, proinde Chelma, quamvis lignea Civitas, foret eligenda; expeto itaque, omni possibili praemissa humilitate mea, quatenus me de suo Varsavia egressu certiozem reddat Ill.ma, et Excellentissima Celsitudo Vestra, ad eum effectum, ut Emissarius meus obviet Lublini Vestrae Ill.mae ac Excellentissimae Celsitudini, de loco collaturus, cum Lublinum praeteriri, quocunque demum pergat, non possit, et Lublino dividantur tractus, a quo novem Chelmam, duodecim Zamoscium numerantur milliaria, utinam nihilominus Leopolim conservet a peste immunem Deus ter Optimus Maximus, ubi prae omnibus Civitatibus maior poterit adesse comoditas. Benevolentiae me interea pristinae cum omni insinuans diligentia, et sacras exosculans fimbrias, maneo

Ill.mae, Excell.mae, ac Rnd.mae Celsitudinis Vestrae

Servus humillimus, et Exorator continuus

LEO, Metropolita (mpr).

Vladimiriae, die 24 Iulii, Anno 1720.

56.

Zamostia, 7. IX. 1720.

Conceditur Episcopo Leopoliensi administratio Decanatum Braclaviensium.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 628.

Ego Leo Kiszka, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitaneus Kyovien. etc. notum per praesentes facio, quod *perspectum* habens in Decanatibus Vinnicen., et Niemirovien., caeterisque intra Palatinatum Braclavien. existentibus,¹¹⁷ ad iurisdictionem meam Metropolitanam ex iure antiquissimo spectantibus, ob distantiam loci non tam comode Clero supradictorum Decanatum per me, vel meos Officiales subveniri posse, idcirco Ill.mo Episcopo Leopoliens.¹¹⁸ plenam administrationem, totalemque iurisdictionem, uti in viciniore loco cum suo Episcopatu Camenecen., tribuo et concedo, idque ad vitae meae *tempora* nihil inturbare per me, vel meos Vicarios, aut quoscumque Officiales in illa iurisdictione administratoriali Ill.mae Do-

¹¹⁵ Ad Nuntium Varsaviensem, Hieronymum Grimaldi (1712-1720).

¹¹⁶ Agitur de familia Zamoyski; fortasse de Michaelae Zamoyski, Palatino Lublinensi.

¹¹⁷ Palatinatus Braclaviensis in Ucraina, in partibus Podoliae. De his Decanatibus Causa movebatur postea inter Metropolitanum Kioviensem et Episcopum Leopoliensem, secunda medietate saec. XVIII.

¹¹⁸ Athanasio Szeptyckyj (1715-1746).

minationi appromittens, *praeterquam et Braclavien. existentes*, uti est Janovien. etc. uti ab antiquo ad Decanatum Czudnovien., et Archidioecesim Metropolitanam spectantes, et in posterum sese referre et pertinere debebunt, nulloque ad Ecclesias has suffragante iure; in aliis vero Ecclesiis, Parochiis, et Monasteriis, caeterisque Beneficiis Ecclesiasticis in Palatinatu Braclavien., ut Ill.mus Episcopus plenum ius, et iurisdictionem suam episcopalem vi sibi commissae administrationis exerceat, et exequatur ad vitae meae tempora concedo, atque benedico, idque in nomine SS.mae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Ut autem praesentes robur firmius habeant, sigillo Officii mei munitas manu propria subscribo.

Datum Zamoscij, in Synodo Provinciali 1720, die 7 Septembris.

Seq. legatitas in forma. - Locus-Signi.

57.

Zamostia, 16 . IX . 1720.

Confirmat licentiam datam P. A. Lubienieckyj benedici in Abbatem Minscensem, retento Superioratu Vitebscensi.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 637, f. 506rv.

Leo Lucas Kiszka, Metropolitanus etc.

Notum facimus praesentibus, quod Rev.dissimus Pater Antonius Zawadzki, Ordinis S. Basilii Magni Protoarchimandrita,¹¹⁹ nomine suo, et Venerabilis Consultorii totiusque Religionis sub tempus Synodi Provincialis Zamosciensis in presentia mea multorumque Illustrissimorum Episcoporum, et aliorum fide dignorum Religiosorum, dederit consensum Venerabili ac admodum Rev.mo in Christo Patri Antonio Augustino Lubieniecki, Ordinis eiusdem Superiori, et Officiali Vitebscensi,¹²⁰ ut posset benedici in Archimandritam Minscensem,¹²¹ et penes suum advitalem Superioratum Monasterii Vitebscensis, secundum voluntatem et intentionem Fundatoris conservari. Salvo tamen eiusdem Monasterii Vitebscensis, secundum morem Ordinis, calculo expensarum, et proventus. Quem ego consensum praesentibus autoritate Metropolitana approbo confirmo, et corrobo. In quam fidem maiorem manu mea subscribo. Datum Zamosci, anno millesimo septingentesimo vigesimo, die decima sexta Septembris.

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Locus Sigilli Ill.mi, ac Rev.mi
Domini Metropolitiae.

Est in Actis Meropolitanis.

NICOLAUS LASZCZEWSKI suae Ill.mae, Excell.mae, et Rev.mae Celsitudinis
Notarius (manu propria).

Supra scripta copia ex suo originali manu propria Ill.mi ac Rev.mi Domini D.ni Leonis Kiszka, Archiepiscopi Metropolitanis totius Russiae, mihi quoad characterem

¹¹⁹ An. 1719-1723.

¹²⁰ Basilianus, Alumnus romanus (1706-1709), dein Archimandrita Minscensis (1726-1750)
Cfr. supra, nota 17.

¹²¹ Annis 1726-1750.

bene nota, signato, (f.506v) et sigillo Ill.mae, ac Rev.mae Dominationis Suae pariter mihi noto communito, per me infrascriptum transumpta et collationata, cum eodem suo originali de verbo ad verbum concordat. In cuius rei fidem me subscripsi, et sigillo Ill.mi, ac Revd.mi D.ni D. Vincentii Santini, Archiepiscopi Trapezuntini, et Nuntii Apostolici in Regno Poloniae¹²² etc. communivi. Varsaviae in Cancellaria Nunciaturae Apostolicae hac die vigesima Mensis Iulii, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo secundo.

STEPHANUS SKWARCZYNSKI Publicus Sacra Autoritate Notarius,
ac Nunciaturae Apostolicae in Regno Poloniae
Vice Cancellarius (mpr).

58.

Zamostia, 17 . IX . 1720.

De subsidio caritativo Episcopis exsolvendo in occasione provisionis beneficiorum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, f. 426rv.

N. 5.

Ut Episcoporum necessariae sustentationi, sine gravi Parochorum incommodo consultum sit, inhaerendo Decreto Synodali statuimus, ut Cathedraticum, seu subsidium charitativum quoad pinguiora Beneficia in Dioecesibus Metropolitana, Vladimiriensi, Brestensi, Luceoriensi, Smolenscensi, Leopoliensi, Premisliensi, Chelmensi, et Pinscensi duos Imperiales, in Polocensi vero duos et dimidium non excedat. Quo vero ad Beneficia tenuiora iniungimus Rev.mis DD.Episcopis, onerando eorum conscientiam sub interminatione Divini Iudicii, ut rationem habeant paupertatis Parochorum, neque plus ab iis exigant, quam quod eorum vires ferre possunt; et ut dignoscantur proventus Beneficiorum, unusquisque Episcopus tempore visitationis eos diligenter examinabit, et pro sua iustitia, aequitate, et charitate statuet, quantum Cathedratici, seu subsidii charitativi singuli beneficiati conferre debebunt, ita tamen, ut summam praedictam nunquam excedat. Atque haec omnia praecipimus sub poenis restitutionis dupli et excommunicationis ipso facto incurrendae, a qua nemo absolvi possit, nisi eadem restitutio facta fuerit.

Secundo statuimus, ut pro Cathedratico exigendo Decani amplius non descendant ad ipsorum Parochorum Domos, sed ipsi Parochi illud vel per se ad Decanos conferre, vel per alium mittere teneantur; Decani vero quietationem de recepto iis, qui solverint, omnino dare debeant sub poena quinquaginta florenorum contra eos, qui fecerint.

Tertio statuimus, ut eorum, qui non solverint statis (f. 426v) temporibus, Ecclesiae amplius non interdicanur, et obsigillentur, neve antimissalia, vel sacri libri inde auferantur, et ausportentur; verum qui solvere neglexerit in duplo mulctetur. Datum Zamoscii, die decima septima Mensis 7bris, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo.

Ego HIERONYMUS Archiepiscopus Edessenus, Nuncius Apostolicus,

¹²² Vincentius Santini, Nuntius Varsaviensis (1721-1728).

Synodi Praesidens, approbo praesentem Constitutionem si ea Sanctae Sedi aequa visa fuerit.

LEO KISZKA, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpria).

JOSEPHUS DE W. WYHOWSKI, Comes S. R. I., Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceoriensis, Ostrogiensis.

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis, Mohiloviensis (mpria).

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis. Halicien. et Camenien. Podoliae, Abbas Univ. (mpria).

JOSEPHUS LEWICKI, Episcopus Chelmen. (mpria).

LAURIENTIUS DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolocen. etc. (mpria).

HIERONYMUS VSTRZYCKI, Episcopus P. S. S. (mpria).

THEOPHILUS GODEBSKI, Episcopus Pinscensis et Turoviensis (mpria).

59.

Zamostia, 17 . IX . 1720.

Certiorat de Synodo Provinciali Zamostiae celebrata nec non petit ut confirmetur auctoritate apostolica.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, f. 497rv.

Sanctissime, ac Beatissime Pater, Domine Clementissime.

Post oscula imis plantarum Sanctitatis Vestrae defixa, Ecclesia nostra Roxolana, Matri Romanae aggregata filia, cum annis, sanguine quoque Martyrum indies crescens, de imperio Sanctitatis Vestrae ad Synodum confluens Provinciale, aeternas reponit grates, quod talem de plenitudine Clementiae Suae providerit Praesidem, Celsitudine, inquam, nunquam satis depraedicandum, Apostolicum in Polonia Nuntium; quali Generali quoque Concilio pro abundanti suppeteret praesidere. Octavus quondam Clemens, ut Uniti essemus, gloriose perfecit; supererat, ut per Clementem Undecimum, beneficio Provincialis Concilii gloriosior in Russia fieret consummatio, quam ut Apostolica, Vaticanis Oraculis, firmam velit reddere approbatio, caeteraque ad sacerimam de Propaganda Fide exarata Congregationem seorsivis oclusa Punctis,¹²³ extra omnem deponere ambiguitatem, acclines plantis deposcimus Filii, quos ne intra prodigos ineundus ad aeternum Tribunal Calculus registret natos, paternae erit protectione benedictionis adstipulari, qua nobis auxiliatrice, etiam reliquum Russiae Disunitae de (f. 497v) tenebris schismatis ad radiantis fidei verae iubar valeat evolare. Capita denique nostra supremo reddimus acclinia vertici, paterna Benedictione beanda et manemus

Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi Scabella pedum, et perpetui Exoratores

LEO KISZKA, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis et Mohiloviensis (mpr).

¹²³ Cfr. infra, sub. dat. 27. IX. 1720: *Desideria* ...

JOSEPHUS LEVICKI, Episcopus Chelmensis, Belzensis, Abbas Zydicin, (mpr).

HIERONYMUS USTRZYCKI, Episcopus P. S. S. (mpr).

JOSEPHUS DE W. WYHOWSKI, Comes S. R. I., Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceorien. Ostrog. (mpr).

LAURENTIUS DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolocen., Severien. etc.

ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis Podoliae, Abbas Unioviensis (mpr).

THEOPHYLUS GODEBSKI, Episcopus Pincensis et Turoviensis (mpr).

Zamosci, in Synodo nostra Provinciali, die 17ma mensis Septembris, Anno 1720.

60.

Zamostia, 17 . IX . 1720.

Refert de Synodo Provinciali celebrata, nec non transmittit alia desideria Ecclesiae Unitae a Sede Apostolica probanda et confirmanda.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, vol. 498.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S. R. Ecclesiae Cardinales, Domini, Domini, et Mecoenates Ampl.mi.

Opus plenis saeculis desideratum, Synodum scilicet Provinciale, nunc tandem, sub felici Praesidentia Illustrissimi, Celsissimi, et Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, ulla unquam sive lingua, sive penna depraedicandi Antistitis, cuius indefessos labores sola et unica, eaque felicissima, rependere poterit aeternitas, ad faustissimum allisimus scopum; cui ut addatur Apostolicum Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum robur acclini petimus enixe cervice.

Et quia reliqua Ecclesiae Roxolanae Desideria definitiva¹²⁴ Synodi nostrae Provincialis sententia non ita facile poterant terminari, idcirco eadem seorsiva circumscripta pagella ad Vaticana Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum ablegamus Oracula, desiderato, cum justa petamus, coronanda eventu.

Reliquum est, ut Sacras uniuscuiusque Purpurae Fimbrias dulci basio labij attingamus, beatiore post oscula surrecturi, quam ubi vicaria adoramus penna; Benevolentiam nosmetipsos, nostraque cum Grege Pascuas, animo commendamus, et manemus

Eminentissimarum, Excellentissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum infimi Servorum Exoratores indefessi

LEO KISZKA, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis, Mohiloviensis (mpr).

JOSEPHUS LEWICKI, Episcopus Chelmensis, Belzensis, Abbas Zydicz.

HIERONYMUS USTRZYCKI, Episcopus P. S. S. (mpr).

¹²⁴ Cfr. infra, sub. dat. 27. IX. 1720.

IOSEPHUS de W. WYHOVSKI, Comes S. R. I., Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceorien., Ostr. (mp).

LAURENTIUS DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolenscen., Severien. etc. (mpr).

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis Podoliae, Abbas Unioviensis.

THEOPHYLUS GODEBSKI, Episcopus Pinscensis et Turovensis (mpr).
Zamosci, in Synodo nostra Provinciali, die 17 Septembris 1720.

61.

Strabla, 27 . X . 1720.

De unione monachorum unitorum vi Synodi Zamostianae, nec non de Seminariis clericorum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, f. 496.

Eminentissime, Celsissime, ac Rnd.me Princeps, Sanctae, Romanae
Ecclesiae Cardinalis, Domine, Domine, et Mecoenas Amplissime.

Faustissime celebratam Synodum nostram Provinciale, sub presidentia Celsissimi, Ill.mi, et Rnd.mi Domini Nuntii Apostolici in Regno Poloniae, transmittet idem; Desideria vero, quae in Synodo elapsa definiri et terminari non poterant, praesentibus ad Sacram de Propaganda Fide Congregationem includo Literis,¹²⁵ enixas ad ima plantarum sternendo preces, et quantocyus et specialiter illud de erigenda nova Monachorum in Regno Provincia punctum, per definitivam finem capiant sententiam. Seminarium Premyslense, resignato Iure suo Religio, me ad mandatum Sacrae Congregationis cooperante, applicavit ad Seminarium Leopoliense, nec aliud pro hoc actu sibi refundi petit, nec non ut Leopoli Rnd.mus Pater Trombetti, veluti jam bene tum Ecclesiae nostrae, tum desideriorum eius gnarus, ad vitae suae tempora, absque ulla eiusdem abalienatione, residere possit. Me interea, totamque Ecclesiam cum suo Grege Roxolanam protectrici Emin.mae et Rnd.mae Celsitudinis Vestrae gratiae insinuo, et penes sacrae fimbriarum purpurae osculum maneo

Eminentissimae, Illustrissimae, ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae, Domini, et Mocoenatis mei Ampl.mi

Servorum infimus, et Exorator perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

In Strabla, die 27 Octobris, Anno 1720.

¹²⁵ Documentum sequens.

26.

(Zamostia, 27. IX. 1720).

Quaestiones, dubia et petitiones quaedam a Synodo Zamastiana porrecta S. Congregationi ad resolvendum, delucidationibus et argumentis munita.

APF, Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari, a. 1720-22, vol. 64, f. 430-435v.

DESIDERIA ECCLESIAE ROXOLANAE, PRO OBTINENDA SENTENTIA DEFINITIVA, DE SYNO-
DO PROVINCIALI ZAMOSCENSI AD SACERRIMAM CONGREGATIONEM DE PROPAGANDA
FIDE TRANSMISSA.¹²⁶

1mo: An Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae possit dare Episcopis, petentibus, coadiutores? — Pro affirmativa stat Praxis, et consuetudo; Domino enim Jacobo Susza, Episcopo olim Chelmeni,¹²⁷ per Dominum Cyprianum Zochowski Archiepiscopum Metropolitanum Russiae,¹²⁸ datus fuerat Coadiutor, Dominus Augustinus Lodziata,¹²⁹ nec ratio est a longe quaerenda, cum enim Archiepiscopus Metropolitanus Russiae ex antiquissima consuetudine, Bulla Sanctissimi Domini Nostri Clementis 8vi, sub Annum millesimum quingentesimum nonagesimum quintum ro-, barata, conferat Episcopatus, pari modo ut conferat et instituat Coadiutores Episcopis petentibus, senio confectis, censendum videtur.¹³⁰

2do: An Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae possit Episcopos transferre, ad commodum Ecclesiae Roxolanae, de Ecclesia in Ecclesiam? Pro affirmativa similiter militat Praxis; per Dominum enim Leonem Zalenski, Archiepiscopum Metropolitanum Russiae¹³¹ de Episcopatu Pinscensi translatus est Dominus Martinus Bialozor¹³² ad Archiepiscopatum Polocensem. Antiquius vero per Dominum Antonium Sielava, Archiepiscopum Metropolitanum Russiae¹³³ translatus est de Archiepiscopatu Smolenscensi Dominus Leo Crewza¹³⁴ ad Episcopatum Pinscensem. Praeterea, ea, quae supra allegatur, ratio suffragatur, ut qui possit conferre, idem valeat et transferre; cum qui possit dare maius, minus etiam queat praestare.

3tio: In Livoniam, Lythuaniae Provinciam, confluunt de Moschovia Fideles Ritus Graeci pro quibus manutenendis Nobiles Bonorum Possessores, quatenus extruere possint unitas ecclesias enixe petunt: cum ab Episcopo Livoniae, Ritus Latini, inhi-beatur cum ingenti scandalo, et periculo extruendarum per Potentiam serenissimi Moschoviae Cari ecclesiarum hetherodoxarum; quae non ita facile, progressu temporis, eradicari possent.

4to: An Episcopi Regulares testari possint, absque consensu Sanctae Sedis Apostolicae, et in quorum favorem testari valeant, tum de Bonis acquisitis, tum de Bonis Patrimonialibus? Pro primae partis negativa militant Canones, proinde expetit

¹²⁶ Ut videtur, ab ipso Metropolita exarata, proinde hic publici fient iuris.

¹²⁷ An. 1652-1685.

¹²⁸ An. 1674-1693.

¹²⁹ Alexander Lodziata, Episcopus Chelmenis (1685-1691).

¹³⁰ Quaestio haec dein Romae movebatur Sanctaque Sedes ius hoc sibi spectare affirmavit; Praesertim temporibus Metropolitanus Jasonis Smogorzewskyj (1780-1786) acriter hac de re disputabatur et ipse Metropolitanus scriptum exaravit sibi hanc facultatem spectare probans.

¹³¹ An. 1694-1708.

¹³² Anno 1697.

¹³³ An. 1641-1655.

¹³⁴ Non constat ex historia; nam Leo Crewza obiit anno 1639, ut Archiepiscopus Smolenscensis, et Episcopus Pinscensis tunc temporis erat Pachomius Oranskyj (1637-1653).

Collegium Episcopale, quatenus detur potestas Archiepiscopo Metropolitanum Russiae praebendi facultates testandi Episcopis in Russia Regularibus. Pro secundae... decisione, quod nempe testari debeant Ecclesiae suae, adminiculantur Sacri Canones, penes quos manuteneri postulat Ecclesia Roxolana, et Episcopos serio inhiberi, ne secus et aliter facere praesumant; hoc enim pacto, et Ecclesiae ditabunt et Seminaria de nova erigentur radice.

5to: Qua via, et methodo Dioecesium limites terminari possint? Collegium Episc. Ecclesiae Roxolanae super duas sese reflectit methodos, viam duntaxat apostolatus unam, per Palatinatus, et Districtus alteram; caeterum limites dioecesum non pendere a distinctione Provinciarum, certissimum est, cum Archiepiscopus Polocensis teneat Ecclesias Districtus Braslaviensis, qui ad Vilnensem Palatinatum in saecularibus, ad Metropoliam pertinentem regulatur, imo in Ritu quoque Latino,... Episcopus Gnesnensis extra Regnum in Silesia Ecclesias possidet, et e converso... Episcopus Vratislaviensis in Polonia. Quae cum ita se habeant, tutiorem... Collegium Episcopale, viam scilicet Apostolatus, ita ut qui alterius Dioecesis convertit ecclesias, easdem et possideat, praecipue si plus quam a Centuria annorum fuerint conversae, quales sunt Decanatus Torczynensis, et Sokaliensis, a Luceoriensi, et Chelmensi Dioecesibus per viam Apostolatus avulsi, et Vladimiriā via conversionis ad fidem per Episcopos Vladimiriensis applicati, absque quibus Episcopatus primus in Russia, Vladimiriensis, ne quadraginta quidem ecclesias possideret, et Luceoria absque eiusmodi Decanatibus ad mille Ecclesias, quibus regendis an non sit impar ambigitur obtinet. Contendunt quoque Premisliensis, et Chelmensis (f. 430v) Cathedrae de limitibus suarum Dioecesium; ast quia eas Episcopus schismaticus Praemyliensis, Antonius Winnicki,¹³⁵ sub tempus acerrimi belli Cosatici,¹³⁶ ab Episcopo Chelmensi unito eripuit, videtur standum esse pro Dioecesi Chelmensi, ut ei ereptae cum concussione ipsius Episcopi, Domini Jacobi Susza, et occisione multorum Parochorum restituantur ecclesiae in Palatinatu Belzensi, et Terra Buscensi existentes. Porro pro via Apostolatus quod Episcopus contra Episcopum locum per se conversum ad fidem triennio praescribat militat text. Cap. 1mo. de. Praescript. Glos. 1, in fine; Abb. in D. Cap. 1mo. Glos. 4to, Cap. placuit, caeterique Sacri Canones.

6to: An solus Archiepiscopus Metropolitanus, et alter Episcopus Vladimiriensis, possint uti Sakosio in Sacris celebrandis? A paucis tempore, nullo sibi suffragante iure, Domini Polocensis, et Smolenscensis Archiepiscopi, caeperunt usurpare Sakosium, proinde ut inhibeantur expetit Collegium Episcopale. Porro quoad Episcopum Vladimiriensem, ut solum in propria dioecesi Sakosio utatur,¹³⁷ sententia expeditur definitiva, idque ad evitandas contentiones inter Archiepiscopum Metropolitanum et Episcopum Vladimiriensem; evenerat enim Novogrodeci sub tempora Gabrielis Kolendae, Archiepiscopi Metropolitanus Russiae, ut cum se Benedictus Gliniski,¹³⁸ Episcopus Vladimiriensis, pro consecratione Metrophanis Sokolinski¹³⁹ in Archiepiscopum Smolenscensem Sokosio vestiret, Sokosium, cum summo Populi scandalo,

¹³⁵ Antonius Vynnyekyj (1650-1679). Eius successor Innocentius Vynnyekyj an. 1691-1692 Eparchiam hanc S. Romanae Ecclesiae univit.

¹³⁶ An. 1648-1656, duce Bohdan Chmelynykij.

¹³⁷ Exinde ab anno 1596, quo anno a Clemente PP. VIII privilegium hoc obtinuit, durante sua commoratione Romae, ad ineundam Unionem cum S. Romana Ecclesia. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, Romae 1953, pag. 269, nr. 153.

¹³⁸ An. 1666-1678.

¹³⁹ Metrophanes Druckyj Sokolinskyj, Archiepiscopus Smolenscensis (1670).

eidem detraheretur, Consecratio irritaretur, Episcopus praepropere excommunicaretur, et Tribunal Apostolicum aliquo, idque non modico tempore, contentionibus litigiosis repleretur. Porro Sakosium non deberi ulli, praeter Archiepiscopum Metropolitanum Russiae, et Episcopum Vladimiriensem, sequens Sanctissimi Domini Nostri, Clementis 8vi, edocebit Bulla¹⁴⁰, ac praeter eam antiquissima Euchologia Moschovitica.

Bulla SS.mi Domini Nostri, Clementis 8vi, de Sakosio.

Clemens Episcopus, servus servorum Dei. Venerabili Fratri Hypatio, Protothronio Metropolitae Kioviensis, Episcopo Vladimiriensi et Brestensi¹⁴¹, Nationis Ruthenae seu Russiae, salutem, et Apostolicam Benedictionem. Romanus Pontifex eos specialibus favoribus libenter prosequi consuevit, quorum merita, et virtutes, suis ac Sedis Apostolicae Beneficiis dignas esse animadvertit. Cum igitur tu nec non Venerabilis Frater Cyrillus¹⁴², Exarcha Metropolitae Kioviensis, Episcopus Luceoriensis et Ostrogiensis Nationis Ruthenae, seu Russiae (cfr. textum in: *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 269, nr. 153)... Constitutionibus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1595, Quarto Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

(L.S. Annulus Piscatoris)

L. Cardinalis Prodatarius. M. Vestrius Barbianus.

Registrata apud Martellum Secretarium

Exceptum ex antiquissimis Russiae, seu Moschoviae
Euchologiis et Pontificalibus.

Vide Pontifex nemini licere, sive Archiepiscopo sive Episcopo, uti Sakosio, praeter solum Archiepiscopum Metropolitanum, idque sub poena excommunicationis.

7mo: An Episcopi Ritus Graeci Uniti teneantur in conferendis Ordinibus servare interstitia? Ad partem affirmativam amplectendam obligat Concilium Tridentinum, a Roxolana Ecclesia Unita solum quoad articulos fidei acceptatum, non posse vero ligari Roxolanam Ecclesiam Unitam huiusmodi lege; convincere illud unicum videretur, quod in Russia nemo unquam, praeter Religiosos, nisi titulo Beneficii consecratur, proinde ad servanda interstitia, obligatione data, sequeretur curata Beneficia integro, deficientibus ad commendam Personis, vacare anno, cum ingenti animarum, sanguine Christi redemptarum, nedum incommodo, verum etiam reali damno. Ad haec superaddendum est quoque illud, quod Graeca Ecclesia nec ad praesens habeat, nec unquam quatuor numeraverit Tempora.

8vo: Quinam sit servandus ordo, inter Archiepiscopos et Episcopos, in Actibus Publicis? Post Archiepiscopum Metropolitanum nemo est in Russia, qui neget primum dari (f. 431v) locum Episcopo Vladimiriensi, et quod Vladimiria fundata sit a Serenissimo Vladimiro Monarcha Russiae, primo Fidei Christianae per Russiam Apostolo, et propagatore,¹⁴³ proinde etiamnum Episcopus Vladimiriensis Metropolitae Roxolanae Protothronius, primum duntaxat post Archiepiscopum Metropolitanum capessens Thronum, nuncupatur, reliqui in universum Episcopi, vocatione sive praeeunt, sive subsequuntur, dubium est, ac ex dubio emergens continua, eaque frequens

¹⁴⁰ Similem Bullam accepit etiam Episcopus Luceoriensis, Cyrillus Terleckyj, hoc eodem anno et occasione.

¹⁴¹ Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis (1593-1613), dein Metropolita Kioviensis (1600-1613).

¹⁴² Cyrillus Terleckyj, Episcopus Luceoriensis (1589-1607).

¹⁴³ An. 972-1015. Cfr. opus I. NAZARKO, OSBM, *St. Vladimir the Great*, Romae 1954 (in lingua ucrainica).

contentio, inter Archiepiscopum Polocensem, Archiepiscopum Smolocens. et Episcopum Luceoriensem,¹⁴⁴ quorum postremus ambos, ambo postremum, ac unus alterum praecedere satagunt, et contendunt. Pro parte Archiepiscopi Polocensis militat illud, quod sub tempora Serenissimi Sigismundi, Poloniarum Regis, in anno 1541, die 20 Mensis Iulii, Indictione decima quarta, cum Episcopo Vladimiriensi, de quo, quod praecedere omnes debeat, nulla est omnino controversia, Symeon Archiepiscopus Polocensis¹⁴⁵ contenderet, et Decretum, tum in Concilio Provinciali Vileniensi, anno 1544, die 30 Mensis Augusti, tum sententiam Serenissimi Regis definitivam, eo quod a Concilio in scismate celebrato appellatio ad Regem interponi soleret, ne audeat praere non debeant, veluti eum, qui cum Protothronio Episcopo Vladimiriensi solo, et unico, idque primo post Archiepiscopum Metropolitanum Episcopo, de loco contenderet, alios non tentando, sed cum Primicerio contendendo, ad oculum demonstraverit. Porro pro Episcopo Luceoriensi, eiusque super omnes praecedentia, militat illud Jeremiae¹⁴⁶ Patriarchae Constantinopolitani Privilegium, datum Cyryllo Terlecki, Episcopo Luceoriensi,¹⁴⁷ pro Exarchatu, quod hic apponitur; caeterum illud Privilegium soli et unico servire poterat Cyryllo, neutiquam vero successoribus eius. Exarchatus enim erat Officium Nuntii Patriarchalis, et quidem eum maiori collatum quam necesse fuerat autoritate, eo quod etiam Episcoporum depositio, precio pecunario a Patriarcha accepto, eidem indulgeretur Exarchae, in despectum auctoritatis Metropolitanæ extra cuius erat et est iurisdictionis spheram Episcoporum depositio; qua de causa eiusmodi pro Exarchia Instrumentum, ante Cyryllum Episcopum Luceoriensem nunquam in praxi habitum, ac in praeiudicium Nuntii Apostolici, imo ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pontificis Romani, ad quem solum, et unicum Episcoporum, spectatis eorundem demeritis, pertinet depositio, extraditum, abolendum fore Oraculis Vaticanis autumat indubitato Collegium Episcopale Roxolanum augurio.

Diploma Jeremiae, Patriarchae Constantinopolitani, datum pro Exarchia Cyryllo Terlecki, Episcopo Luceoriensi, et Ostrogiensi.

Jeremias Dei gratia Archiepiscopus Constantinopolitanus, Novae Romae, et Oecumenicus Patriarcha. Significamus praesentibus literis nostris, fuisse apud nos Episcopos Vladimiriensem, Luceoriensem, et Leopoliensem, mox iuxta ordinem in omnibus exauditos, absolutos, et benedictos dimisimus in pace, uno ex illis, Gedeone Leopoliensi,¹⁴⁸ ad latus nostrum manente, qui coram nobis clam de Cyryllo Episcopo Luceoriensi multa enarravit inconvenientia, ex cuius verbis ponderavimus, Gedeonem Episcopum esse invidum, et contrarium Episcopo Luceoriensi, ac eiusdem erga Deum devotionem bonumque in spiritualibus ordinem velle invertere, et calumniis obliterare, quamvis de eo ad coram nihil coram nobis enunciasset. Quae omnia Nos animadvertentes, ac magnum respicientes cum malevolentia odium, a Gedeone erga Cyryllum Luceoriensem exercitum, experientia quoque per nosmet ipsos comprobantes, Gedeonem praesente Episcopo Luceoriensi in praesentia eius nihil contra eundem edixisse, imo cum eo in charitate, veluti proprium fratrem, coram nobis convixisse

¹⁴⁴ Tres dignitates primariae in provincia ecclesiastica Kioviensi, quae inter se de praecedentia contendeant.

¹⁴⁵ Symeon, Archiepiscopus Polocensis, ab anno 1538, die 14 Septembris, usque ad annum 1552-3. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, Bd. II, pag. 62.

¹⁴⁶ Hieremias II, Patriarcha Constantinopolitanus, tertia vice (1586-1595).

¹⁴⁷ Cfr. infra, sub dat. 14 Augusti 1589.

¹⁴⁸ Gedeon Balaban, Episcopus Leopoliensis (1568-1607). Hic primum Unioni Berestensi nomen dedit, sed sub influxu Ducis Ostrožskyj consensum suum retractavit simul cum Episcopo Peremysliensi.

post abscessum vero eius (f. 432) etiam literas, ad eas subscribendas, summovisse contra Episcopum Luceoriensem, mala ei meditando, ac proinde ea omnia animadversa, inhibuimus. Proinde si circa ignorantiam Nostram, aliqua industria Gedeonis perverse et fraudulentem, ex ignorantia idiomatis rutheni, et sclavonici, aliquid demonstratum fuerit contra Episcopum Luceoriensem, id pro fictione contra nostram voluntatem volumus reputari, quoniam nos Patrem Cyrillum dimisimus absolutum a latere nostro, et installatum pro Episcopatu Luceoriensi, ad vitae eius tempora. Quodsi alicubi aliquae incontrarium reperiantur literae, sub titulo et nomine nostro, Personam ipsius Episcopi Luceoriensis, tum contra iura eiusdem spiritualia, sive Archimandriam Zydyczynen sive alia iura spiritualia, de potestate, et iurisdictione eius eximentes, et si quaecunque res eidem contrarias et iuribus eius spiritualibus contravenientes, Episcopus Gedeon, vel quicumque alius ubivis locorum praesentare, nunc et imposterum, ausus fuerit, praesumpserit, sub quacunque data, sive anteriori, sive citeriori, a data praesentium literarum Nostrarum, eiusmodi cum iuribus literas nostras, veluti indebitas, nos Patriarcha Praesentibus literis nostris aeviterne cassamus, et annullamus et ut nullum locum in spiritualibus et saecularibus Officiis habere possint, ac in nulla re Gedeoni Episcopo Leopoliensi sint adiutorio, iniungimus; imo, in signum gratiae, et benedictionis nostrae Patriarchalis, eidem praefatto Cyrillo Episcopo Luceoriensi, et Ostrogiensi, re prospecta quod sit vir expertus, ac in omnibus actionibus, iuxta statuta Sanctorum Patrum, perspicax et doctus, contulimus ei superioratum super omnes Episcopos, id est Exarchatum, officium supremum in iure spirituali, quod ille duntaxat Episcopos regere, in ordinem illorum introspicere, monere, ac indignos ab Episcopatibus amovere, et detrudere facultatem habebit, veluti noster Vicarius, quoniam cum nos extitisset Brestae, ipsi per nos sacrosante celebravimus Lyurgiam, et consecravimus Episcopum Luceoriensem Cyrillum, benedicientes eum benedictione Domini et manu nostra Patriarchali, ad vitae eius tempora, dedimusque super haec omnia Literas Nostras, manu nostra propria Patriarchali subscriptas, eidem cum nostro contulimus sigillo. Scriptum Zamoyscii, anno 1589, Mensis Augusti die 14ta. (locus sigilli)

Jeremias Patriarcha.

9no: Episcopi Ritus Graeci Uniti, cum sint per omnia Episcopis Ritus Latini, eo solo quod in Senatu non assideant excepto, pares, et iuribus Regni iisdem aequiparentur, ac in omnibus Judiciis titulo Illustrissimorum intitulentur, eandemque in literis Magnatum obtineant nomenclaturam, ut similes Roma obtineant titulos enixe petunt; veluti enim Graecorum Imperatoribus aequalis cum Romanis titulus competebat, ita intervenisse nihil dignoscitur, quominus ob Ritus Graecum Rutheni Antistites deprimantur, et infra deteriorem deponantur sortem, nisi quia Imperii Graecorum obierit Maiestas.

10: An Ecclesia Unita Roxolana possit accedere ad Calendarium novum? Pro parte affirmativa antiquissime ipsa zelabat Graecia. Longe ante Concilium Florentinum, sub Imperatore Andronico seniore,¹⁴⁹ correctionem anhelans Paschatis, teste Nycaephoro Gregora, Historiographo Graecorum, Capite de Paschatis correctione, cum tamen in Graecia nullus praeter Graecum daretur Ritus, in Polonia vero utroque Ritu referta, quanto ferantur ardore ad uniendum Calendarium populi, res est incapax omnino explicationis, uno verbo: experrectis auribus eventum praestolabantur universi Provincialis Synodi, nihil aliud praeter unionem Calendarii meditates, de cuius illud maximum... nat disparitate incommodum, ut neutra festa absque servili

¹⁴⁹ Non patet, an agitur de Andronico Comneno (1183-1185), an vero de quodam Palaio-logorum: Andronico II (1282-1328), Andronico III (1328-1341), vel Andronico IV (1376-1379).

celebrentur labore.¹⁵⁰ Expetit proinde Ecclesia Roxolana permitti sibi Calendarii quoties libuerit, habito super Serenissimum Moschoviae Carum,¹⁵¹ ne eiusmodi irriteretur novitate, respectu, adunationem.

11mo: An Abbates Infulatos debet praecedere Ordinis Basiliani Protoarchimandrita? Pro affirmativa stare videtur punctum nexus¹⁵² conclusi, inter Cyprianum Zochowski, Archiepiscopum Metropolitanum Russiae¹⁵³ et Religionem Basilianam, quo cavetur, ut Archimandritae discoli deponantur a Metropolitano, et Protoarchimandrita; caeterum hic nexus (f. 432v) initus est inter solum Cyprianum, nulla in successores derivata obligatione, cum plura de punctis nexus, in hucusque, non sernet Religio. Pro negativa militant et Canones, et rationes; Abbates enim Infulati votum etiam in Concilio Generali decisivum habent, secus Provinciales; Abbates Infulati, et advitales sunt, secus Protoarchimandrita post quadriennium a futuro Proto Archimandrita de facili ad minima quaeque alienandus ad arbitrium; ex Abbatibus Protoarchimandrita, imo etiam Consultor Ordinis eligi non potest, cur itaque ut Protoarchimandritae subiaceat obligari queat, infra sortem minimi Religiosi, passivam ad Protoarchimandriam habentis vocem, contra maiestatem Abbatialis depressus dignitatis, praecipue cum circa benedictionem novum Archiepiscopo Metropolitano exhibens obedientiae Juramentum, a voto primo obedientiae Protoarchimandritae iurato, per consensum ut ascendat dimissus, et absolutus. Denique Protoarchimandrita, ut visitet monasteria Archimandritis subiecta, eo quod in iis monachi simplices ad nutum Protoarchimandritae amovendi reperiantur, ab Archiepiscopo Metropolitano Russiae accipit potestatem, proinde et ad depositionem Archimandritae non pro decisiva supervenire solet sententia, verum pro danda circa mores, sibi ex actu Visitationis notos, informatione.

12mo: An incorrigibiles Religiosi, adhibitis omnibus corrigendi mediis, de Religione eiectione, sumptibus debeant ali Religionis? — Pro affirmativa in Synodo praesenti plenissimo decertabat zelo Illustrissimus, Celsissimus et Rend. mus Dominus Nuntius Apostolicus; Caeterum, si religiosa privatus cuculla intra septa detineretur Monasterij alimentis provisus, ac in maiori ad insolescendum positus libertate, quaenam eiusmodi discoli esset correctura? imo quivis extra capacitatem correctionis positus, non aliud certe ferventi anhelaret desiderio, praeter quam ut aleretur et insolesceret. Videretur adeoque antiquae standum esse in Ordine Basiliano consuetudini, ut incorrigibilis, post universa adhibita corrigendi media, religioso detracto vestitu, indutus vero saeculari, cum obligatione ad servanda tria vota essentialia plene dimittatur.

13tio: An circa collationem beneficiorum Episcopi uniti participare quidquam possint? Pro affirmativa stat antiquissima consuetudo Ecclesiae Graecae. Pro negativa labes pugnat Symoniae, quae tamen cur non inuratur Praesulibus Ritus Latini in Polonia, precio conferentibus beneficia, vellet Ecclesia Roxolana Unita circa disparitatem edoceri, praesertim cum irretortis Canones contemplitur oculis, iisdemque erudiatum posse exigere Episcopum subsidium a Parochis suis charitativum, etiam pro expeditione Bullarum, et soli Archiepiscopo Metropolitano Russiae gratis Bullam Confirmationis expediri desuper constituerit SS. mus Dominus noster Clemens 8vus, in Bulla circa accesum Ruthenorum ad Unionem, sub annum 1595, emanata. Si ita-

¹⁵⁰ Incommodum hoc illis temporibus, ubi labor agrorum praevalebat et fabrorum maius erat quam hodie. Populi modo fere patriarchali vivebant sine hodierna populorum, religionum etc. promiscuitate.

¹⁵¹ Petrus I (1682-1725).

¹⁵² S. d. Nexus Zochovskianus an. 1686.

¹⁵³ An. 1674-1693.

que ii, qui opima possident Bona, percipiunt Decimas funeralium et legatorum Quartas, subsidia praeter Cathedraticum exigunt charitativa post obitum Praelatorum, ascendentem quandoque ad centum florenorum millia summam, suo applicant fisco; liceat precio certo Ecclesiastica conferre Beneficia, quid de pauperibus Ritus Graeci Uniti Episcopis, nec Bona nec Decimas, neque funeralium legatorumque Quartas nec subsidia habentibus charitativa sentiendum sit Oracula expectantur Vaticana. Stetit quidem ea, quae infra in praesenti nationali Synodo Constitutio, ut Cathedraticum ad binos ascenderet Imperiales, caeterum statutum eiusmodi in solo manebit codice, executio vero haerebit extra in efficaciam, ob extremam Curatorum paupertatem. Quodsi subsisteret etiam per impossibile Cathedratici auctio, de ea possent utique Leopoliensis, Luceoriensis et Premysliensis Episcopi, veluti unusquisque plures praeter mille possidens Ecclesias, esse contenti, non item tamen nec idem de aliis confitendum Episcopis, quorum Dioeceses exiguis nimis, et pauperrimis nimis interpolantur ecclesiis. Episcopus certe Pincensis praeter (f.433) octuaginta plures non numerat ecclesias, de quibus centum sexaginta exacti (:qui tamen nullatenus exigi, etiam per medium, possunt:) Imperiales, quae, et quanta portio sunt? pro Episcopo Polono tot tantasque circa innumerum angustiarum numerum in Comitibus Regni Generalibus, Tribunalibus, Terrestribus, Fiscalibus, et Militaribus Comitibus, Terrestribus Iudiciis et Castrensibus, Consistoriis domi denique forisque expensas erogante. Idem de alijs esto iudicium Bona propria non habentibus. Formaverat hac in parte, et suggesterat consilium Illustrissimus, Celsissimus ac Rnd.mus Dominus Nuntius Apostolicus, quatenus ad beneficium institutus, circa exsolutionem Cathedratici quadraginta quovis anno polonicales Florenos, quinque conficientes Imperiales, Episcopo penderet ad triennium, verum etiam ab eiusmodi consilio, re ponderata, ob incurrendam timorem symoniae, placuit resiliere, universumque praesens negotium ad sacerrimam de Propaganda Fide Congregationem pro Resolutione ablegare. His stantibus, Episcopi Uniti Roxolani coram caelo profitentur, terraque protestantur, se nunquam habuisse studiosam voluntatem Rem Sacram sive emendi sive venendi, in qua sola consistit essentia, et natura symoniae, sed processisse circa collationes Beneficiorum more omnium aliorum, a supremo ad minimum procedentium, a qua praxi si imposterum arceantur, metuendum, ne sive emendicato, sive de opere manuum proveniente, contra episcopalis decentiam dignitatis, bonaeque uniuscuiusque originis vitare cogantur pane, expetunt, subsistendi.

Constitutio Synodi Provincialis de Cathedratico ad exequendum impossibilis.¹⁵⁴

Ut Episcoporum necessariae sustentationi sine gravi Parochorum incommodo consultum sit, inhaerendo Decreto Synodali, statuimus, ut Cathedraticum, seu subsidium charitativum, quoad pinguiora Beneficia, in Dioecibus Metropolitana, Vladimiriensi, Brestensi, Luceoriensi, Smolenscensi, Leopoliensi, Premysliensi, Chelmensi, et Pincensi, duos Imperiales, in Polocensi vero duos et dimidium non excedat. Quo vero ad Beneficia tenuiora, iniungimus Reverendissimis Dominis Episcopis, onerando eorum conscientiam sub interminatione Divini Iudici, ut rationem habeant paupertatis Parochorum, neque plus ab iis exigant, quam quod eorum vires ferre possunt, et ut dignoscantur Proventus Beneficiorum, unusquisque Episcopus tempore Visitationis eos diligenter examinabit, et pro sua iustitia, aequitate, et charitate statuet, quantum Cathedratici, seu subsidij charitativi singuli Beneficiati conferre debe-

¹⁵⁴ Agitur de Costituzione Synodi Zamostianae an: 1720: constitutio haec: ut videtur: facta fuit sub influxu Nuntii, et praemature, si iam paucos post dies Episcopi expetunt modificationem eius.

bunt; ita tamen, ut Summam praedictam unquam excedat. Atque haec omnia praecipimus sub paenis restitutionis dupli, et excommunicationis, ipso facto incurrendae, a qua nemo absolvi possit, nisi eadem restitutio facta fuerit.

Secundo statuimus, ut pro Cathedrali exigendo Decani amplius non descendant ad ipsorum Parochorum Domos, sed ipsi Parochi illud, vel per se ad Decanos conferre, vel per alium mittere teneantur. Decani vero quietationem de recepto iis, qui solverint, omnino dare debeant, sub paena quinquaginta florenorum, contra eos, qui secus fecerint.

3tio statuimus, ut eorum, qui non solverint statis temporibus, ecclesiae amplius non interdican- tur, et obsigillentur, neve Antimissalia, vel sacri libri inde auferatur, et asportentur, verum qui solvere neglexerit, in duplo mulctetur. Datum Zamoscien. Praesentem Constitutionem, si ea Sanctae Sedi aequa visa fuerit.

LEO KISKA, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae mp.

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscensis, Mscisla- viensis, Orszanensis, et Mohiloviensis (mp).

LAURENTIUS DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolenscensis, et Severiensis (mpr). JOSEPHUS LEWICKI, Episcopus Chelmensis, et Belzensis, Archimandrita Ladyczynen- sis (mpr).

JOSEPHUS DE WYHOW WYHOWSKI, Comes S. R. Im. Exarcha totius Russiae, Epis- copus Luceoriensis, et Ostrog. (mp).

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis Po- doliae, Archimandrita Unioviensis (mpr).

HIERONYMUS USTRZYCKI, Episcopus Premysliensis, Sanocensis, et Samboriensis (mpr).

THEOPHILUS GODEBSKI, Episcopus Pinscensis, et Turoviensis (mpr).

(f. 443v) 14to. Quibus mediis, et viis Monasteria Basilianorum, existentia in Re- gno, Diocesibus vero Vladimiriensi, Luceoriensi, Chelmensi, Premysliensi, et Leo- poliensi existentia, nullum prorsus habentia ordinem, expetunt in unum adunari cor- pus, ac ab eligendo dirigi Provinciali, quatenus hac methodo ad restaurationem col- lapsae religiosae disciplinae devenire possint.¹⁵⁵ Duo sunt, quae salutare retardant negotium; primum est, quod cum Lythuana, habente Protoarchimandritam, Provin- cia religiosam desideret habere philadelphiam, cum ea conditione, ut uno quadriennio e Lythuania, secundo quadriennio e Regno Poloniae eligatur Protoarchimandrita, eo annexo, ut electo Protoarchimandrita in Regno, Provincialis eligatur (: cum solus Protoarchimandrita tot tantisque regendis sit impar monasteriis:) in Lythania, et e converso; caeterum Lythuani contendunt, ut semper Lythuanus in Protoarchimandri- tam eligatur, in Regno vero electus Provincialis subiaceat Pratoarchimandritae Ly- thuanus, in aevum duratisque imperpetuum temporibus, quam Lythuanorum Religio- sorum illationem esse nimis arrogantem, et proximos contemnentem reputantes Cae- nobiorum in Regno Poloniae existentium Superiores, ut directo eligendus Provin- cialis pertineat ad Iurisdictionem Archiepiscopi Metropolitanus Russiae, veluti et Lythuanus pertinet Proto Archimandrita, medio Protoarchimandritae omisso, prae- ligunt, et devota desideria confirmari petunt. Alterum est, quod a sacerrima de Pro- paganda Fide postulant Congregatione, ut scilicet Monasteria in Regno existentia,

¹⁵⁵ Revera unio haec monasteriorum locum habuit anno tantummodo 1739, praemissis variis infructuosis tentaminibus an. 1727 etc.; anno vero 1743 Provincia haec nova Protectionis B. mae Virginis Mariae unitur in unum Ordinem Basilianorum Ruthenorum simul cum antiqua Provincia Lithuana, s. d. SS. Trinitatis.

Lythvano subiecta Protoarchimandritae, ad Provinciam redigantur Polonam,¹⁵⁶ idque ex duplici, utroque necessario respectu, cum nisi haec succedat redactio, Provincia nova Polona destituetur tum Personis, per quas Monasteria rudissima reformari non queant, tum Locis pro noviciatu, pro Residentia Provincialis, ac pro Studiis designandis, cum Monasteria praedictarum Dioecesium pauperrima sint. Porro applicanda Provinciae novae Polonae Monasteria haec sunt: in Dioecesi Vladimiriensi: Collegium Vladimiriense, sumptibus Episcoporum Vladimiriensium et erectum, et dotatum, una cum Scholis, et Seminario; in Dioecesi Luceoriensi Archimandria Zydzynensis, quam possidet Episcopus Chelmensis, Archimandria Dubnensis, Archimandria Dermanensis, et Archimandria Dorohobusensis, in quibus personae tantum religiosae subiacent regimini Protoarchimandritae Lythvani, ipsi vero Archimandritrae Archiepiscopo Metropolitano Russiae. Reperitur quoque in eadem Dioecesi novum Monasterium Werchoviense, subiacens immediatae Iurisdictioni Protoarchimandritae Lythvani; in Dioecesi Leopoliensi monasterium Buczacense,¹⁵⁷ quod ob nimiam loci distantiam ullus unquam visitavit Protoarchimandrita; in Dioecesi Chelmensi monasterium Chelmense ad Cathedram, et Monasteriolum Lublinense, de solis victitans elemosinis; reliqua vero monasteria, electionem Provincialis, cui subsint, anhelantia, subduntur immediate Episcoporum directioni, cui Iuri ad maiora obligati maioribusque distenti negotiis, ultro cedunt Episcopi, imo ipse Archiepiscopus Metropolitanus Russiae expetit liberari se a Recursibus odiosis Religiosorum, salvis Iuribus Sacrosancti Concilii Tridentini, quibus in praeiudicium Orbis Universi Episcopus resignare non potest.

15to: An Moniales possint extra Clastrum progredi, cum facultate, et dispensatione Episcoporum. Pro negativa pugnant Canones, pro affirmativa militat Polona praxis, quam aboleri postulant Episcopi Roxolani; in gravissima nihilominus necessitate expetunt sibi dari concedam dispensationem, cum obligatione stricta super disquisitione necessitatis.

16to: Festum Beati Iosaphat,¹⁵⁸ ut celebrari possit in oppidis minoribus, et pagis die Dominica semper post diem vigesimam sextam mensis Septembris proxima,¹⁵⁹ eo quod aliis diebus servilibus fideles Christi distraherentur peribus, enixe Roxolani Episcopi expetunt indulgeri.

17mo: An Parochi obligentur sub peccato mortali absolvere Preces Canonicas? Pro affirmativa militat Sacrosanctum Concilium Tridentinum, quod tamen in Russia Unita, in his quae fidei non attingunt articulos, nec promulgatum, nec acceptatum est; proinde Roxolani postulant Praesules, ne Parochi, servilibus pro sustenta-

¹⁵⁶ Questio haec cessionis monasteriorum per plura decennia protrahabatur, et nunquam cum satisfactione ambarum partium soluta fuit. Cfr. alia documenta tum in *Litteris* tum in *Actis S. Congreg. de Prop. Fide*, nec non in *Congregationibus Particularibus*, vol. II, editionis romanae.

¹⁵⁷ Monasterium hoc ab anno 1712 fundatum a Domino Potocky, immediate Provinciae Lithuanae subiectum fuit, etiamsi nimis distabat ab aliis monasteriis eiusdem Provinciae. Dependencia haec permansit fere usque ad decadentiam Ordinis Basiliani, et tantummodo post suppressionem Provinciae Lithuanae pertinebat ad Provinciam SS. Salvatoris.

¹⁵⁸ Beatorum Cathalogo adscriptus an. 1644, et festum eius celebrabatur die 12 Novembris; sed ob nimia frigora hisce in regionibus concursus populi impediabatur; proinde, laboribus messis aestive absolutis, mense Septembri populus liber manebat festum hoc celebrare; revera usus hic post Synodum Zamostianam invaluit.

¹⁵⁹ Usus celebrandi festa nova diebus Dominicis invalere cepit hisce sane temporibus, etiam ob difficultates ex parte dominorum terrae ritus latini, qui rationibus mere oeconomicis ducebantur.

tione sui de necessitate intenti laboribus, ad persolvendas Canonicas Preces sub peccato obligentur mortali, ob periculum animarum, cum enim Preces Canonicae in Ritu Graeco longissimae sint, fere impossibilis erit similis obligatio a distractis, comparando sibi victu, propriis manibus Parochis exequenda. Eos tamen, cum tremenda celebrant Missae Sacrificia, diebusque Dominicis et festis, absolutioni universarum Precum Canonicarum incumbere certissimum sit.

18vo: An Parochi Ritus Graeci Uniti participare quidquam possint tum, cum matrimoniis assistunt fidelium? Pro negativa ob stare videtur Symoniae labes, pro affirmativa militat Praxis Polona, in utroque Ritu, cum Parochus non sit matrimonii minister; dempto vero Parochis eiusmodi honorario, ecclesias etiam demi, cum nullus alius queat assignari proventus, est necesse.

19no: Quamvis Episcopi Roxolani in praesenti Synodo Provinciali certam constituerint quantitatem pro Seminariis erigendis, caeterum, cum pauca haec collata quantitas ad instaurandas non sufficiat Dioeceses, quatenus in Collegio Graeco, ac in Collegio Pragensi pro saecularibus edocendis de plenitudine clementiae Sanctae Sedis Apostolicae aliquot assignentur Loca, enixe deposcit Collegium Ecclesiae Unitae Roxolanae Episcopale.

(f. 434v) 20mo: An sive Parochi sive Regulares Presbyteri possint excipere Confessiones fidelium Ritus Latini? Posse excipere docuit iam pridem Sacra de Propaganda Fide Congregatio, Decreto, sub die 1ma Iunii in anno 1622, emanato; caeterum an praeter huiusmodi facultatem expeti debeat facultas ab Illustrissimis locorum Ordinariis Ritus Latini, Apostolica expetitur Decisio.

21mo: An circa collationem Sacramenti Extremae Unctionis unusquisque Parochus infirmum ungere debeat, cum prolatione formae? Ratio dubitandi est, formae septuplex repetitio; cum enim septem sacerdotes, de consuetudine Ecclesiae Graecae, manutinentis morem Ecclesiae Primitivae, ad administrandum adhibeantur Extremae Unctionis Sacramentum, quivis eorum, post orationes, Epistolas et Evangelia ungens infirmum, formam proferre assolet; qua de Causa in una Extrema Unctione septies integrum videtur conferri Sacramentum. Sed cum haec ceremonia antiquissima sit, et a SS. Patribus Primitivae Ecclesiae adhibita, non videtur ita facile, praecipue, ne ob eam rem avertantur Schismatici ad verae fidei agnitionem, abolenda; repetitae enim cum materia formae videntur unam in pluribus sacerdotibus arguere actionem, modo, et methodo plurium unam Hostiam consecrantium,¹⁶⁰ vel unius sacerdotis post communionem, imo quandoque post ablutionem Particellas Calici adhaerentes consumentis, nec tamen exinde bis, ter, sive quater Eucharistiae percipientis Sacramentum.

22do: An Presbyteri Ritus Latini, celebrantes in ecclesiis Graecis unitis, possint uti loco Portatilis Altaris, Antimensibus Graecis? — Ecclesia Romana lapidem sepulchralem Christi Altari repraesentat Portatili, Graeca propius accedens per Antimense, ex lino contextum, sindonem, qua Christi erat rivolutum in sepulchro Corpus, denotat. Roxolani in Altari celebrant Portatili absque ulla prorsus controversia, cur Latino-Poloni, quamvis non omnes (: Reverendi enim Societatis Iesu Patres, veluti insignes Theologi caeterique de Ordinibus Romani Ritus insigniores, nullam hac in parte moverunt unquam litem, nec usquam Antimensia refugiebant Roxolana:), devitent apposita in Altaribus Antimensia? et quaerunt, et decidi petunt Episcopi Roxo-

¹⁶⁰ Agitur de concelebratione Missarum, vigente in Ritu Byzantino usque ad nostra tempora, praesertim in communitatibus plurium sacerdotum, ut e. g. monasteriis Regularium.

lani, praecipue cumque in Antimensibus, ac in Altaribus Portatilibus quaesitae Romae Sanctorum deponantur Reliquiae.

23tio: An transitus de Ritu Graeco Unito ad Riturum Latinum sit licitus, ac, si sit licitus, an inferat extremum contemptum exinde Ritus Graeci abominationemque eiusdem et abolitionem?— Non esse transitum licitum de Ritu Graeco Unito ad Riturum Latinum probat Decretum Sanctissimi Domini Nostri Urbani 8vi, apponendum infra, sola huius Decreti per inhibitionem postulatur executio; videtur enim similis transitus arguere Fidei Catholicae impuritatem adesse in Unione, in qua tamen existentes Magni Doctores: Athanasius, Basilius, Joannes Chrisostomus, Gregorius Nazianzenus, Cyrilli, aliique innumeri Martyres et Confessores, celestes deoccuparunt sedes. His stantibus, Russiae Unitae expetunt Praesules, quatenus Antistites latino poloni inhiabant, ne eorum subditi Parochi similia attentent, imo ut saltem a decennio eos qui transierunt, ad Unitam cogant redire Ecclesiam, ac satius de Lutheri Calvinique sectis, non vero vera, et pura fide catholica unita oves Ecclesiae suae aggregari curent; nec enim quisquam sese, super eiusmodi reflectens transitum, augurari aliud potest, quam, vel quod Fides Graeca unita mala sit, vel ut hoc transitus medio antiquissimus Graecus, veluti contemptibilis, aboleatur Ritus. Quodsi contigerit transisse quenquam, quatenus eam de transitu causam et reliquas, de aggravatione Cleri Graeci per Clerum Latinum, Illustrissimus, Celsissimus et Reverendissimus Dominus Nuntius Apostolicus pro prima iudicet Instantia, cum ab Illustrissimis Ritus Romani Episcopis nulla administretur iustitia, imo fideles Ritus Graeci, si pro suis excommunicentur excessibus, ut fulminis vitent ictum ecclesiastici, ad Riturum transeunt et de facili acceptantur, Roxolani emendant Antistites. Quod vero per Illustrissimos Latinos Polonos Episcopos quoties cum Parochis eiusdem Ritus libesse consuevit, nulla administretur iustitia, adest praesto exemplum; cum concussore enim Parochi Graeci, Decano Ritus Romani, septem annis, contra praescriptum Sacrosancti Concilii Tridentini, agitur Causa, nec accipit finem, et quamvis ex Decreto Sacrae Nunciaturae Apostolicae intra triginta dies absoluta fuerit Inquisitio, nec tamen ea, iam a tribus expedita annis, in Consistoriali legitur Iudicio. Hinc sit, ut propter nullitatem iustitiae, maiores, cum inaccessibilis dishonore Dei, qualis est illa de publica ereptione Calicis ex manibus celebrantis Parochi Doksicensis, Ritus Graeci Uniti, per Parochum Doksicensem Ritus Latini, et effusione Sanguinis Christi in terram, praetereantur Causae, in Aeterno vindicandae Tribunali.

((.434v) Decretum SS.mi Domini Nostri Urbani 8vi, de vetito transitu de Ritu ad Riturum.¹⁶¹

Die 7ma Februarii anno 1624. Ad relationem eiusdem Cardinalis Bandini, circa transitus Ruthenorum ad Latinum Riturum, SS.mus decrevit, ut infra: Ad conservandam pacem et concordiam inter Ruthenos Unitos, et ob alias gravissimas causas etc. (cfr. *Acta S. Congr. de Prop. Fide.* vol. I, p. 16, nr. 9; ed. Romae 1953) transgressoribus infligendis. Non obstantibus, etc.

24º. Qua via occurrendum sit, ne Parochi Ritus Graeci Uniti innumera diversi generis patiantur gravamina? — Gravamina Cleri minoris Ecclesiae Roxolanae ut

¹⁶¹ Decretum hoc nunquam plenam habuit executionem ob oppositionem Regis Poloniae Sigismundi III, qui haec in re rationibus potius politicis quam ecclesiasticis ducebatur. Quaestio haec fere saecularis considerari potest et maximum damnum conaminibus unionis ecclesiasticae procuravit.

tollantur, solius est supremi in Orbe Capitit, qui adaequata tollendorum media gravaminum adinvenire potest. Porro Parochorum Ritus Uniti Graeci specialiter in novellis Dioecesibus Luceoriensi, Leopoliensi et Praemysliensi intollerabilia sunt, cum inibi a Collatoribus Patronisque locorum, in quibus existunt ecclesiae, pro Literis Praesentationis quingenti polonicales exigantur floreni, quamvis universus ecclesiae cum agro fundus ducentis non constet, si divenderetur, florenis, nec obstante circa Literas Praesentationis quantitate summae, ab oneribus liberi sunt; ad conficienda enim cum leguminibus adigeantur itinera, triginta quovis anno censuales persolvunt florenos, ad dandas Decimas de alvearibus et pecoribus canesque venaticos alendos stringuntur, ecclesiarum sigillationes per personas saeculares patiuntur, ad portandas ab granariis aulicis claves compelluntur,¹⁶² ad cerevisiae communis potus crematique emptiones apud Haebreos arendatarios, cum litera, si secus fecerint, boum caeteraque supellectilis direptione, obligantur, pro libitu aulae annoventur, Parochiis destituuntur, concutiuntur, insanguinolantur, in carcerem detruduntur, filii denique eorum inter subditos, contra antiquissima haereditis Russiae Ducis Leonis, Civitatis Leopoliensis Fundatoris, aliorumque Iura collocantur, caeteraque, quae sunt enarratu difficillima experiuntur.

25^{to}: An ad persolvendas Parochis Ritus Latini Decimas teneantur fideles Ritus Uniti Graeci? Stant pro negativa Canones, ab iis exigi Decimas mandantes, quorum a Parochis Cura exercetur animarum, militat Decretum Romanum, pugnat denique Diploma Leonis Ducis Russiae Haereditarii,¹⁶³ a Serenissimo Stephano Batoreo, Poloniae Rege,¹⁶⁴ approbatum, penes quae omnia, ut conservetur Ecclesia Graeca Unita, et specialiter Dioecesis Chelmensis enixe petit.

Decretum Romanum de Decimis, in Episcopatu Chelmensi persolvendis.¹⁶⁵

Flaminius Taia, Iuris utriusque Doctor, SS.mi Domini Nostri Papae Capellanus, ac ipsius Sacri Palatii Apostolici Causarum nec non Sacrae Romanae Rotae Auditor, Iudexque Commissarius Causae, et Causis, ac Partibus infra scriptis, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Papa specialiter et expresse deputatus. Universis, et singulis, Rn.dis Dominis Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Primitiis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Succentoribus, Sacristis, tam Cathedralium quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus seu loca tenentibus, earundemque Plebanis, vice Plebanis, Capellanis curatis, et non curatis, Vicariis (f. 435) perpetuis, Altaristis, caeterisque Praesbyteris, Clericis, Notariis, et Tabellionibus publicis quibuscunque per civitatem, et Dioecesim Chelmensem, et alias ubilibet constitutis et eorum cuilibet in solidum omnibusque aliis, et singulis, quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, quibuscunque nominibus censeantur, et quacumque perfulgeant dignitate, illique vel illis, ad quem vel ad quos praesentes nostrae pervenerint, seu praesentabuntur, salutem in Domino, et praesentibus nostris fidem indubiam adhibere. — Noveritis quod alias introducta coram Ill.mo, et Rnd.mo Patre, Domino Priolo, in secundario, in vim specialis commisionis Ss.mi Domini Nostri Papae, et hic brevitatis gratia registrari omissae, lite,

¹⁶² Sacerdotes uniti ad instar rusticorum tractabantur a dominis terrestribus, contra omne ius et fas nec non immunitatem ecclesiasticam.

¹⁶³ Leo, filius Danielis (1264-1301). Regnum Galiciae post obitum patris obtinuit, dum filius Basili, fratris Danielis, Volhiniam obtinuit (1270-1289).

¹⁶⁴ Stephanus Bathory, Rex Poloniae (1575-1586).

¹⁶⁵ Anno 1663, tempore commorationis Episcopi Chelmensis Jacobi Susza Romae. Sed Decretum hoc numquam plene exequutum fuit.

et causa, seu causis, inter Rn.dum Dominum Joannem Bobrowski, Commendatarium Latini Ritus Chelmemsem, ac Capitulum, Canonicos et Clerum Chelmemsem eiusdem Latini Ritus appellansem ex una, et inter Rn.dum Clerum, Parochos Ecclesiae Cathedralis, et Dioecesis Chelmemsis, eorumque Ill.mum et Rnd.mum Dominum Episcopum Chelmemsem Ritus Graeci, S. Romanae Ecclesiae Unitos, Appellatos partibus ex altera de, et super contentis, et expressis in infra scripta sententia, rebusque aliis in Actis, et Processu Causae, et Causarum huiusmodi latius deductis, fuit in eisdem Causa et Causis, ad quam plures Actus, et Terminos Iudiciales coram Nobis in eodem Sacrae Rotae Auditorio, inter dictas Partes, sive earum legitimos hinc inde Procuratores, rite et legitime deventum atque processum, formatoque desuper Particulari Dubio, illoque per nos in Sacro Rotae Auditorio proposito, ibique ad plenum, et mature discusso, et ad favorem dicti Rd.mi Episcopi, Cleri, et Parochorum Ritus Graeci civitatis Chelmemsis Principalium resolutio, tandem servatis omnibus de Jure et stylo huius sacri Tribunalis servandis, cognitisque ad plenum huius Causae meritis, citatoque vel citatis legitime coram nobis, et de mandato nostro Illustri Domino Peregrino Claro, supradictorum Commendatarii Chelmemsis Latini Ritus, ac Capituli Canonicorum et Cleri Chelmemsis, eiusdem Latini Ritus, ex adverso Principalium, legitimo Procuratore, ad videndum reiterari omnes et singulos Terminos substantiales in praesenti Causa, male, forsitan nulliter, et inculcate tentos, et servatos in vim quarumque facultatum Sacrae Rotae concessarum deferri instantibus Juramentum, in supplementum..... Probationis, quatenus opus sit, eosdemque absolvi a censuris, ad effectum etc., concludendum concludique videndum, et audiendum sententiam definitivam. Nos de Reverendorum Patrum Dominorum Coadiutorum nostrorum voto, consilio pariter, et assensu, quibus de huiusmodi Causae meritis Relationem plenariam fecimus, et fidelem nostram in scriptis, ad favorem supradictorum Rnd.mi Episcopi, Cleri et Parochorum Ritus Graeci, civitatis et Dioecesis Chelmemsis, Principalium, tulimus et promulgavimus sententiam definitivam, sub hac verborum formula, videlicet: CHRISTI Nomine Invocato. Pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram sententiam definitivam, quam de Ill.morum et Rnd.morum Coadiutorum nostrorum consilio, assensu, ac voto in his scriptis ferimus, in Causa et Causis, in Prima Instantia caeptis coram Ill.mo Nuntio Apostolico Regni Poloniae, et ob illius, sive illarum non terminationem devolutis ad Auditorem Camerae, et ab eo terminatis, quo proinde coram nobis in secundo seu alia veriori versae fuerunt, et vertuntur instantia, inter Rn.dum Joannem Bobrowski, Commendatarium Chelmemsem Latini Ritus, ac Capitulum, Canonicos, et Clerum Chelmemsem eiusdem Latini Ritus, Appellantes, ex una, et inter Rn.dum Clerum, et Parochos Ecclesiae Cathedralis, et Dioecesis Chelmemsis, eorumque Ill.mum et Rnd.mum Episcopum Chelmemsem Ritus Graeci, Sacrae Romanae Ecclesiae Unitos, Appellatos, Partibus ex altera, de, et super exactione, seu adiudicatione Decimarum, eiisdem Episcopo, Clero, et Parochis Graeci Ritus Ruthenis, dictae civitatis, et Dioecesis Chelmemsis, eiusdem Ritus Graeci, Sacrae Romanae Ecclesiae Unitis, fuisse et esse dictas Decimas, et ad eosdem spectasse, et pertinuisse, ac spectare, et pertinere, eisque fore, et esse adiudicandas, et solvendas per omnes Ruthenos Ritus Graeci dictae civitatis et Dioecesis Chelmemsis, Sacrae Romanae Ecclesiae Unitos, prout adiudicamus, et solvi, ac respective per eosdem Rnd.mum Episcopum, Clerum, et Parochos dictae Civitatis, et Dioecesis Chelmemsis, Ritus Graeci, Sacrae Romanae Ecclesiae Unitos, exigi volumus, et mandamus ac pro exactione praedictum mandatum, et mandata quaecunque necessaria, et opportuna decernenda et relaxanda fore et esse, prout decernimus (f.435v) et relaxamus omni meliori modo, dictoque Commendatario, Capitulo, Cano-

nics, et Clero Chelmsensi Ritus Latini nullum Ius nullamque Actionem super praedictis Decimis ab iisdem Ruthenis Unitis, et de Bonis ipsorum competiisse nec competere, nec non sententiam Auditoris Camerae in omnibus iis, in quibus huic nostrae conformis est, confirmandam, et approbandam fore et esse dicimus, prout confirmamus, et approbamus, et secundum praemissa, bene per dictum Auditorem Camerae Iudicatum, et male per Dominum Comendatarium, Capitulum, Canonicos, et Clerum Latini Ritus Chelmsenses appellatum, victosque victoribus in expensis, in Causa et Causis huiusmodi, legitime factis, condemnandos fore, et esse, prout condemnamus, quorum taxationem, liquidationem, et moderationem nobis, vel cui de sorte, in posterum reservamus, et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus, non solum praemisso, sed enim alio meliori modo. Ita pronunciavi Flaminius Toia, Sacrae Rotae Auditor, et Iudex Commissarius. Lecta, lata, et promulgata fuit supra inserta sententia per nos Flaminium Taia, Sacrae Rotae Auditorem, Iudicemque Commissarium praefatum, apud Templum Beatae Mariae de Pace, in Claustro supradicti Conventus dictae Ecclesiae, in quo quidem Iura reddi solent, et Causae Partium audiri consueverunt, de mane, hora Audientiae Causarum consueta, nobis inibi pro Tribunali sedentibus, sub anno, a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, 1665, Indictione 3tia, die vero prima mensis Iulii, Pontificatus autem SS.mi in Christo Patris, et Domini Nostri, Domini Alexandri, Divina Providentia Papae septimi, anno eius XI-mo. Praesentibus ibidem, audientibus, et intelligentibus providis, atque discretis viris, Dominis Sebastiano Boughey, et Carolo de Bonamicis, eiusdem Sacri Palatii Apostolici Causarum Notariis, Scribisque publicis, Testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis, atque rogatis.

Privilegium Serenissimi Leonis, Ducis Russiae, de Decimis, et filiis Praesbyterorum.

Ecce Ego Dux Russiae Leo ¹⁶⁶ Filius Danielis Regis Russiae, inito consilio, cum Senatoribus Nostriis, notum facio, quod veluti Proavus noster, Rex magnus Russiae Vladimirus,¹⁶⁷ et Parens Noster Daniel Rex contulit Archiepiscopo Metropolitano, Episcopis, in omnibus Terris Russiae, ita et nos Domino Deo et SS.mae Eius Matri, huic Ecclesiae S. tituli Assumptae Mariae Metropoliae Haliciensis, ¹⁶⁸ et omnibus Archiepiscopis, ac Episcopis Monasteriisque in Orthodoxa Sancta Fide Graeca existentibus contulimus Ius spirituale in eum modum qualiter habet illud in Christo Kiioviensis Ecclesia, et confirmavimus universas Fundationes Ecclesiarum... supra villas cum sylvis et insuper dedimus super omnes villas seorsiva Privilegia, nostros et subditorum nostrorum limites iuxta antiquitatem graniciarum describendo. Insuper addidimus decimas de toto Ducatu nostro, etiam de Bonis Nobilium, traiectuum fluvialium, theloniorum, mellium, alvearium, piscium, et stagnorum, eaque omnia donavimus Ecclesiae SS.mae Deiparae, Metropolitanae nostro Gregorio,¹⁶⁹ et Successoribus eius Archiepiscopis, quos providerit Dominus in aevum, eidemque et successoribus eius superaddimus collationes Ecclesiarum cum Cathedraicis, Iudiciorum spiritualium

¹⁶⁶ Leo, filius Regis Danielis (1264-1301).

¹⁶⁷ Ann. 972-1015. Hic anno 988-989 Ucrainam et totum Regnum Russiae baptizavit, ex quo Sanctus et Apostolorum par venerabatur a toto populo. Festum eius die 15 Iulii celebratur.

¹⁶⁸ Agitur de anno 1301, ultimo Regni Leonis Danielidis. Iam, ut videtur, tunc Metropolia Haliciensis fundata fuit, vel hac occasione foundationis nostrum diploma emanatum est.

¹⁶⁹ Non nobis constat de Metropolita Gregorio; anno 1303 iam erat Metropolita Haliciensis Niphon. Cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, pag. 595.

exercitium, Divortia, Regimen Ecclesiae Cathedralis, ac universa Iudicia spiritualia, singulariter vero ad Archiepiscopum pertinebunt Hegumeni, Parochi, Dyaconi, Clerici Ecclesiae, Religiosi, Monachi, Notarii, Presbyterorum Filii, Bacalaurei, Hostiarum Pustores, Sacrarum imaginum Pictores, Advenae, et Peregrini et istos homines omnes neque nos, neque Senatores, neque Nobiles nostri iudicare debent, sed sola Magna Ecclesia. Contra autem haec omnia verba mea, hic descripta, nemo consurgere audebit neque Fundationes recipiet quisdam tum ex Prole mea, tum ex his, quos constituet Dominus super Ducatum Nostrum in saecula saeculorum, quoniam hoc privilegium dedimus conformiter ad statuta SS.rum Patrum, et Primorum Christianorum Regum. Si quis autem hoc nostrum Privilegium invertere praesumpserit, illi mecum sit Iudicium coram Deo, et sit talis alienus ab omni amore et misericordia Dei in die terribili iudicii Divini, et sit super eum Dei maledictio, in praesenti, et in futuro saeculo; super vero haec omnia contulimus hocce Privilegium nostrum, et sigillum apponi iussimus, praesentibus Metropolita Kioviensi Cypriano,¹⁷⁰ Episcopo Premysliensi Hylarione,¹⁷¹ Principe Andrea Jaroslaido, et Domino Basilio aliisque pluribus Senatoribus et Nobilibus. Datum Haliciae, die Iovis, Mensis Martii 8va die, Anno a condito mundo 6809.¹⁷² (Locus sigilli). Zacharias Wychota, Notarius. Hoc Privilegium de verbo ad verbum Serenissimus Stephanus Batoreus, Rex Poloniae,¹⁷³ in generalibus Regni Comitibus Varsaviae, die 31ma Januarii, anno 1581, Regni sui anno 5to, confirmavit.

26to: Pro Coronide desideriorum Unitae Roxolanae Ecclesiae illud quoque universi per Russiam exposcunt Praesules, ne Rd.mus Pater Stephanus Trombetti,¹⁷⁴ veluti benegnarus negotiorum Roxolanae Ecclesiae, ac de ea meritissimus Leopoli alienetur, sed in Praefectura Collegii Pontificii Leopoliensis ad vitae suae tempora conservetur, et manuteneatur.

63.

Luceoria, 1 . VI . 1721.

Petit, ut P. Stephanus Trombetti relinquatur Leopoli, ut Rector Pontificii Collegii.

APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Generali.* vol. 636, f. 457.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes,
S. R. Ecclesiae Cardinales, Domini, Domini et Meconates
Clementissimi.

¹⁷⁰ Metropolita Kioviensis Cyprianus datur tantummodo annis 1390-1406. Proinde centum annis postea. Revera, ut habet J. PELESZ (*op. cit.*, Bd. II, pag. 111, in nota) diploma hoc non est genuinum. Proinde eius auctor Cyprianum loco Metropolitae Maximi (1283-1305), per inadvertentiam, posuit.

¹⁷¹ Etiamsi diploma hoc authenticum considerari non potest, tamen hisce temporibus Hylarion, Episcopus Premysliensis admittitur ab historiographis. Hic notatur iam anno 1292. An an. 1301 adhuc eparchiam Premysliensem rexit, non constat. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union*, vol. II, pag. 111, in nota.

¹⁷² 6809 a creatione mundi est idem annus ac 1301 post Christum natum.

¹⁷³ An. 1575-1586.

¹⁷⁴ Rector Pontificii Collegii Leopoliensis Armenorum et Ruthenorum, Theatinus (1706-1723). Hic obiit Leopoli an. 1723.

Ad primam de abalienatione Leopoli Reverendissimi Patris Stephani Trombetti, Collegii Pontificii Leopoliensis Praefecti,¹⁷⁵ in oras Italiae, notitiam, universa Roxolana Ecclesia altissime ingemuit, quod ei singularis eiusdem adimatur fautor; quamvis proinde Domini Suffraganei mei singularibus pro detentione eius in Regno Poloniae, Provincia vero Russiae, ad Eminentissimas Celsitudines Vestras iam fors prioribus institerint Literis, nihilominus meo esse congruum duxi officio, pro eiusdem in Praefectura Leopoliensi interponere advitalitate; ex eius enim amotione, veluti iam nobis sat superque gnari, in rebusque Unionis pro superabundanti exerciti, multa certocertius decedent Unioni commoda, et si eius abitum gravissima non comitabuntur incommoda, saltem novellarum Dioecesium retardabuntur negotia, imo nec ipsum Seminarium Leopoliense ab ignoto fauste, ac cum fructu Ecclesiae gubernari poterit viro, denique Roxolani quoque Praesules ad novum non ita facile assuefient Praefectum. Collegium quoque Basilianum Vladimiriense instat per me, qua Episcopum suum, super praemissis; si enim succedat praetacta alienatio, duodecim quoque millium florenorum Polonicalium Collegio decedet summa, quae in manibus haeserat R.mi Patris Trombetti, sub hostilitatis tempora a Domino Zalenski, Archiepiscopo Metropolitano Russiae,¹⁷⁶ deposita, ac absque ullo Religioni Basilianae chyrographo dato, a Domino Winnicki, Antecessore meo,¹⁷⁷ de manibus eiusdem levata, cuius vindicationem urget quidem, ubi de iure, Collegium Vladimiriense, sed circa definitivam sententiam nemo alius praeter Reverendissimum Trombetti, praevio de accepta summa corporali iuramento, eandem convincere poterit, et evincere valebit. Iusta petita crediderim optato fore coronanda eventu, quibus expositis, penes uniuscuiusque sacerrimae osculum purpurae maneo

Eminentissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum

Servus humillimus, et Exorator indefessus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae (mpr).

Luceoriae, die 1 Iunii 1721.

64.

Volodymyr, 4 . X . 1721.

De confirmatione apostolica Synodi Zamostianae, deque eius difficultatibus ex parte Basilianorum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, f. 485.

Eminentissime, Celsissime, ac Reverendissime Sacrae Romanae

Ecclesiae Cardinalis, Princeps, Domine, Patrone

Clementissime.

Summo desiderio in hucusque expectantes negocium Provincialis Synodi nostrae Ruthenae Apostolica Benedictione roborandum, sumus informati, quasi contra aliqua

¹⁷⁵ Remansit Leopoli, ubi etiam obiit anno 1723.

¹⁷⁶ Leo Zalenskyj (1694-1708).

¹⁷⁷ Georgius Vynnyckyj, Metropolita Kioviensis (1708-1713).

statuta debeat moliri quisquam in Urbe, neque devenire possumus, quidnam sit illud, nisi quod nos Episcopi, cedendo Iuri nostro in monasteria Dioecessana, permisimus Provinciam Ruthenam in Regno Poloniae formari,¹⁷⁸ et a Lythuania distingui, certe omnium voto, et omnium assensu, ob meliorem ordinem, et multas adductas in Synodo ratione sancitum, ac iudicio Eminentissimarum Rev.dissimarum Dominationum Vestrarum subiectum desiderium nescimus cur deberet vocari in dubium, cum Lythuanus Provincialis unus ad tam amplas Regiones, et ad Monasteria tenuia neque post quadriennium descendere, vel recurrentibus ad se opitulari, vel quoquo modo prodesse valuerit, secundum etiam fortassis ortum dubium inter Abbates infulatos, et advitales ex una, ac inter Patrem Provinciale, simplicem Religiosum, quadriennio solum in officio durantem, de praecedentia, satis quidem per Canones antiquos, et Praxim Ecclesiae Universae, etiam in Conciliis generalibus declaratum, neque ullo novo iure, aut Sanctissimorum Bullis pro illa Provincia Lythuania revocatum vel alio modo declaratum; speramus quod non aliter nisi sicuti sentiebat noster Congressus, ut post Episcopos Abbates infulati teneant locum, supremo iudicio Eminentissimarum Rn.dissimarum Dominationum Vestrarum statuatur, et in aliis Synodi suprafatae nostrae Zamosciensis Sanctitatis, uti conformibus ad Leges, et Canones Sacros, ut contententur vota Cleri, et Populi nostri Rutheni, non obstante, si quid intentaret, uti opinamur, pro Provincia Lythuania Pater Procurator in Urbe degens, unanimes, et supplices Eminentiae Vestrae offerimus preces, atque devotissimo cultu, submissoque basio sacrae uniuscuiusque purpurae veneramur laciniam, cum expressione, quod sumus

Eminentissimae, Excell. mae ac R.ndssimae Celsitudinis Vestrae
humilissimi, obsequentissimi et observantissimi Servi et Exoratores
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.
JOSEPHUS DE W. WYHOVSKI, Exarcha totius Russiae, Episcop. Luceor.
Ostrog., Comes S. B. (mpr).
ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episc. Leopoliensis, Halicien. et Camenecensis,
Archimandrita Uniov.
HIERONYMUS USTRZYCKI Episc. Premisliensis, Sanocensis, Sambor.
(mpr).

Vladimiria, die 4ta Mensis Octobris, A^o. D.ni 1721.

65.

Volodymyr. 17 . XI . 1721.

Commendat negotia Provinciae Ecclesiasticae.

APF, *Serit rij. n. Congregazioni Generali*, vol. 633, f. 164.

Sanctissime, ac Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.
Post oscula sacerrimis Sanctitatis Vestrae defixa plantis, commune est, indignis

¹⁷⁸ In Synodo Zamostiana; Provincia tamen haec anno tantummodo 1739 formata fuit in Capitulo Leopoliensi, et ab anno 1743 (a Capitulo Dubnensi) unum Ordinem Basilianorum simul cum Provincia Lithuana constituebat.

quamvis filiis, ad Patrem refugium, nec alibi quaeri unquam vidimus salutarem magis tutelam quam in paternis Universae Pastoris Ecclesiae visceribus, in quibus et filii et mancipia propria consueverunt, ut optato coronentur eventu, reponere desideria. Ad Commune hoc Orbi toti meum quoque dirigo praesentium contextu, beandum a Sanctitate Vestra, Domino meo, Domino Clementissimo, anhelitum, quatenus votis Unitae Roxolanae Ecclesiae, per Reverendum Procuratorem Provinciae exponendis, praesto adesse dignetur, humillimis expetendo postulatis, quae una mecum, imis Beatitudinis Vestrae prosternens, cum earum iterato osculo, plantis, maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi

Scabellum pedum, et Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram Vladimiriensem, die 17 Novembris 1721.

66.

Volodymyr, 17 . XI . 1721.

Implorat protectionem in angustiis Ecclesiae Unitae.

APF, *Scrit. rif. n. Cogregazioni Generali*, vol. 633, f. 165.

Eminentissime, Celsissime, ac Reverendissime Principes,

Cardinalis, Domine, Domine, et Mecoenas Amplissime.

In extrema Unitae Roxolanae Ecclesiae angustia, ad sacerrimam de Propaganda Fide Congregationem, pro expertissimo recurrens solamine, fontem, ut fauces restinguat, Eminentissimam duntaxat ac Reverendissimam Celsitudinem Vestram efficacem sitio Protectorem, cuius mihi toties et potentia ad succurrendum extitit perspecta, et voluntas ad opitulandum propitia semper mansit experta. His proinde ambobus sat superque agnitis, unitae Ecclesiae vota, una mecum ad plantas Emin. mae ac Excellentissimae Celsitudinis Vestrae depono, eademque per Reverendum Procuratorem Provinciae exponenda,¹⁷⁹ optato expecto coronari eventu, et penes osculum dulce sacrae fimbriarum purpurae maneo

Eminentissimae, ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae

Servorum infimus, et Exorator perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 17 Novembris 1721.

67.

Volodymyr, 17 . XI . 1721.

Implorat protectionem Cardinalium S. Congreg. de Prop. Fide.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 633, f. 166.

¹⁷⁹ Agitur de quodam Procuratore ad hoc missum Romam. Quisnam fuit et an missus revera fuit, non constat.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Rnd.mi Principes, S. R. E. Cardinales,
Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi.

Nunquam felicius naufraga Ecclesia nostra Roxolana ex iis, quibus premitur, est eluctata angustiis, quam cum ad faustissimum clementissimae Protectionis Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum allideretur Portum, in quo semper se esse agnovit securam. Innumeris proinde edoctus praestitae exemplis munificentiae, accuro ad fidele semper asylum gratiae, quatenus in his, quae seorsiva exhibeo scheda, unitae Russiae desideris, dexteram consequar opitulatricem, cui me ipsum, unitumque pusillum insinuans gregem, sacras uniuscuiusque purpurae lambens fimbrias, maneo

Eminentissimarum, Ill.marum, et Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum
Servorum infimus, et Exorator indefessus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 17 Novembris 1721.

68.

Volodymyr, 31 . III . 1722.

Implorat interventum S. Sedis in recuperandis bonis Ecclesiae Unitae.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 4, f. 305.

Eminentissime, Celsissime, ac Reverendissime Princeps, S.R. Ecclesiae
Cardinalis, Domine, Domine, et Mecoenas Amplissime.

Supremam agnosco clementiam sacerrimae de Propaganda Fide Congregationis, quod nedum ipsa avertere satagat pericula Bonis Unitae Ecclesiae in proxime securis Generalibus Regni Poloniae Comitibus intentanda, verum etiam ipsum quoque SS.mum Dominum Nostrum, Dominum Clementissimum, ad id Apostolici Paternique inflammavit zeli, quatenus Serenissimo Regnanti nostro, Brevi suo Apostolico,¹⁸⁰ ut intaminata curet relinqui Ecclesiae Unitae Bona, intimare velit, et Eminentissimo Domino Cardinali Sanctae Agnetis, Sanctitatis Suae Secretario, eiusmodi arripere Provinciam; Celsissimo denique Domino Nuntio Apostolico in Regno Poloniae tuendorum curam Ecclesiae Bonorum demandet. Universa haec quoniam opera Eminentissimae ac Rev.mae Celsitudinis Vestrae, veluti Sacerrimae Congregationis Praefecti, perfecta esse absque dubio cognovi, idcirco veluti pro praestita, vestris adgeniculatus plantis, summas repono grates; ita ut ea, quae Emin.ma ac Rev.ma Celsitudo Vestra, in Unionis sortem aedificare caepit, felicissime tandem consummare velit, eni-
xe peto, et penes sacrarum purpurae osculum dulce fimbriarum maneo

Emin.mae, Excell.mae, ac Rnd.mae Vestrae Celsitudinis,

Domini et Mecoenatis mei Amplissimi

Servorum infimus et Exorator indefessus.

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 31 Martii 1722.

¹⁸⁰ Datur Breve in hunc sensum iam sub dat. 31. I. 1722. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 43, nr. 655.

69.

*Volodymyr, 31. III. 1722.**Gratias agit de impertita sibi Ecclesiaeque suae benedictione et de missione Brevium ad Serenissimum Regem.*ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 139, fol. 109.Eminentissime, Celsissime ac Reverendissime Princeps, S. R. E. Cardinalis,
Domine, Domine et Mecoenas Amplissime.

Pro impertita benedictione Unitae nostrae Roxolanae Ecclesiae a Sanctissimo Domino Nostro Domino Clementissimo, per Eminentissimam et Reverendissimam Celsitudinem Vestram exhibita, sunt perpetuae grates, adviterne duraturis, si tempora vocari sive dari in aeternitate possunt, temporibus ab arbitro supremo rerum rependendae. Et quia tum Eminentissimae Celsitudinis Vestrae promissa ad subveniendum Ecclesiae nostrae, tum sacerrimae de Propaganda Fide Congregationis ad me profecto indignissimum transmissae ab Urbe literae de expediendo ad Serenissimum Regnantem nostrum Brevi,¹⁸¹ ne Unitae antiquissima bona Ecclesiae in laicales distrahantur usus, in proximo Octobri celebrandis Generalibus Comitibus et angustos et angustiatis solantur Unitos; idcirco quatenus iampridem transmissum eiusmodi desiderium adimpleri promissum, optato desuper coronetur eventu, plena expeto submissione, ac me ipsum continuae insinuans benevolentiae indesinentique reddens memoriae, suavi basio sacerrimae delibo fimbrias purpurae et maneo.

Eminentissimae, Excellentissimae ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae, Domini et Mecoenatis mei Amplissimi

Servorum infimus et Exorator indefessus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (m. p.).

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 31 Martii 1722.

70.

*Lublin, 24 . IV . 1722.**Intercedit in favorem Ordinis Basiliani, ne obligetur exsolvere debita a Maximiano Wietrzynskij contracta.*APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 314.Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S.R. Ecclesiae
Cardinales, Domini, Domini, et Mecoenates Clementissimi.

Vindicaturus alienata Bona Unitae Ecclesiae (: de quibus recuperandis iam retro-acto tempore, etiam ipsum SS.mum Dominum Nostrum, Dominum Clementissimum inquietare praesumpseram, ut duntaxat machinationibus Saecularium contra Bona Ecclesiae in Comitibus Generalibus proxima futuris Celsissimo Domino Nuntio obviam ire commedet:) in Tribunali Regni Lublinensi, Lublini subsistens, accipio

¹⁸¹ Cfr. notam praecedentem.

iustificaciones Reverendorum Patrum Maximiani et Firmiani, Romae degentium, ad quas, quoniam Religio respondere est obligata, ad deducendas eorum falsitates, huius vero Primores, in tanta Regni Poloniae vastitate, non tam cito aggregari possunt, idcirco Eminentissimas ac Rnd.mas Celsitudines Vestras exoro, quatenus non adeo praecocia vitio vertere nolint Responsoria, de me eam formando nunquam sinistram interpretationem, quod eadem die, qua eiusmodi recepi iustificaciones, circulares, ut aggregentur Ordinis Basiliani Primores,¹⁸² expediverim literas. Uniuscuiusque demum sacerrimae fimbrias purpurae suavi attingens libamine, maneo

Eminentissimarum, Excellentissimarum, et Rnd.marum Celsitudinum Vestrarum Dominorum, et Mecoenatum Amplissimorum

Servorum infimus, et Exorator perpetuus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

Lublino, die 24 Aprilis 1722.

71.

Luceoria, 1 . VI . 1722.

De bonis ecclesiasticis, de recuperatione Ecclesiarum Pinscensium et de P. Trombetti.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 636, f. 454.

Illustrissime, Celsissime, ac Reverendissime Domine,
Domine, et Mecoenas Amplissime.

Quamvis iam anteriori cursoria statum causae meae, de alienatis Villis Grodek et Obarow dictis, aliqualem transmiserim notitiam, copiosiore nihilominus cum specificatione annorum, documentorumque praesenti accludo pagellae, quatenus SS.mus Dominus Noster, Dominus Clementissimus, Serenissimo mittere suum Breve Apostolicum, ut reprimat Magnatum ausus, dignetur;¹⁸³ certo enim certius futurum est, curaturos Regni Primores, ut causa haec, sive nunquam in Iudiciis Relationum acclametur, sive ut Bona Abbatiarum subsistentia in Regno, ob deoccupata ipsa a Moschis Monasteria, Regiae subiiciantur dispositioni, in benemeritos de Republica distribuenda, quod sole esse clarius, praesentium exhibitor edisseret, me eiusmodi negotium credere literis non fidente. Quod attinet receptionem Ecclesiarum Pinscensium, pro iis, quod debeant Unitis applicari, Dominus Episcopus Pinscensis, aliqua, ad manus Reverendi Patris Residentis mei Varsaviensis, consignat (:qui una cum Patrono Causae releget, et ex relectis qualis sint ponderis edocebit:) documenta. Reverendissimus Pater Trombetti,¹⁸⁴ quod alienetur Leopoli Romam inaudivi, absque eo vero magnam in noviter conversis Dioecibus Unio patietur iacturam,

¹⁸² Agitur de reintegratione PP. Wietrzynskyj et Wolk, sed haec reintegratio extracapitulariter evenit, ut videtur; nam hoc anno nullum datur Capitulum Generale Basilianorum. Agebatur tantummodo de quodam conventu Superiorum maiorum Ordinis, scil. Protoarchimandritae Zavadskyj et Consultorum, ut insignia officii deponerent et Maximiliano Wietrzynskyj traderent, proh dolor.

¹⁸³ De alio Brevi non nobis constat hisce mensibus; unum habetur datum sub dat. 31. I. 1722, aliud vero die 10. II. 1724.

¹⁸⁴ Rector Pontificii Collegii Leopoliensis (1706-1723).

quarum de statione Officii mei praecurrendo indemnitati, quae a sacerrima de Propaganda Fide Congregatione efflagito, literae meae ad eandem datae, communicari iussae, informabunt, quibus ut suam quoque ponderosam suppeditet informationem, ac auctoritatis super addat pondus, enixe peto, et penes dulce osculum fimbriarum maneo

Ill.mae, Excellentissimae, et Reverendissimae Vestrae Celsitudinis

Servus humillimus, et Exorator continuus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus (mpr).

Luceoriae, die 1 Iunij 1722.

72.

Luceoria, 1 . VI . 1722.

Exponitur status quaestionis bonorum Mensae Metropolitanae Kioviensis et ut protegantur a tentaminibus ea occupandi ex parte Nobilium Poloniae.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 633, f. 167-68, alia: 171-172v.

Desiderium Ecclesiae Roxolanae cum Sancta Romana Ecclesia Unitae,
expositum Sacrae de Propaganda Fide Congregationi.

Villae binae, Grodecum et Obarovia nuncupatae, plus quam a ducentis annis inscriptae et legatae sunt monasterio Kijoviensi Peczarensi a Maria Ducissa in Rowno; eas Monasterii Peczarensis Archimandritae tenuerunt absque ulla interruptione ad nostra usque tempora. Imo, ut perpetuis temporibus dicta bona sint penes Peczarensis Monasterium, Constitutione Regni in Comitibus Generalibus Varsaviensibus, anno 1676 celebratis, firmarunt. Donec tandem easdem Villas ad importunas instantias Dominus Josephus Szumlanski,¹⁸⁵ Episcopus Leopoliensis, Archimandrita Peczaren. Kijovien., Domino Francisco Ledochowski, Castellano Volhyniae, in anno 1701, Arendario pro quindecim annis conduceret contractu, qui immemor timoris Domini et contractus a se subscripti, in decursu contractus apud Serenissimum Augustum Poloniae Regem pro iisdem praetactis villis, eas esse Regias fraudulenter defendendo, Privilegium obtinuit, quod post obitum Domini Francisci Castellani, uxor eius Helena simili modo in rem fortem, et personam sui innovavit. His stantibus, cum Archimandria Kijovien. Peczaren. perpetuis temporibus sit applicata Metropoliae Kijovien., tum per Bullam Sanctissimi Domini Clementis Octavi, anno 1595, tum per Privilegium Serenissimi olim Sigismundi Tertii, Poloniae Regis, anno 1599, mihiq; Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae gratiosissime desuper sit collata, e nexu conscientiae iuratae tum circa processum pro Metropolia, tum circa possessionem eiusdem ut satisfacerem obligationi recuperandorum Ecclesiae bonorum, ab Ecclesia inique avulsorum, ad Tribunal Regni Lublinen, Dominae Helenae Ledochowska, Castellanae Volhyniae, intentavi actionem. Haec personaliter comparens, una cum binis filiis suis declinavit Forum Tribunalis, ac remissionem causae ad iudicia Regia in Comitibus Generalibus Varsavien. habenda expetiit, adinvento vero foro in Tribunali Lublinen.

¹⁸⁵ Episcopus Leopoliensis (1676-1708). Hic anno 1700 eparchiam Leopoliensem Ecclesiae Romanae univit.

et remissione ad Iudicia Regia denegata, contumaciter disparuit. In secundo vero termino citata Domina Castellana Volhyniae mandatum Regium seu citationes a Domino Inquisitore Regni, ne audeam eiusmodi Causam in Tribunali Lublino. promovere, exportavit, sed cum pro indebite extradito iuxta leges nostras patrias mandato Regio addicaretur a me ad Tribunal Regni Lublino. ad audiendas pro hoc ausu poenas infamiae, exsolutionemque trium millium Marcarum, Dominus Instigator Regni negaretque ob timorem poenarum extraditum (f. 167v) esse a se mandatum Regium, Domina Castellana mandato Regio per Tribunal Regni Lublino. (:eo quod de bonis terrestribus non Regalibus Serenissimus Rex Poloniae cognoscere non possit:) non acceptato, iterato proterve recessit. In tertio denique termino cum iam nullae eidem adstipularentur cavillationes, curavit quatenus mea haec seu verius dixerim Ecclesiae Causa non acclametur, quod et fecit, quandocumque enim ad meam Causam pertingeret Tribunal, mox derelicto Registro aliud Registrum assumebat in favorem Dominae Castellanae, ne duntaxat tertio ad dimittenda bona premeretur decreto, cum in Polonia moris et iuris sit, etiam militari et nobilitari manu a non comparantibus in Tribunali sive disparentibus ab eodem bona de quibus lis est deoccupare. Et taliter praesentis anni Tribunal quoad impediendum tertium decretum elusit, versutis eiusmodi Causam hanc ad Comitium Regni anno proximo futuro, die 6 Octobris inchoanda, protrahere intendens. Porro cur velit Domina Castellana eiusmodi Causam avocare ad Iudicia Regia Comititalia, duplex adest ratio; prima est, quod hanc Causam ad sex annos protrahere velit, in primis enim Comitium et in secundis additata si non compareret, et in tertis post sex annos celebrandis (: cum in Polonia semel tantum generalia intra biennium indicantur Comitium :) vix tandem tertium obtineretur decretum, quo solo obtento forti manu deoccupari solent invasa inique bona, a malis fidei possessoribus; secunda eaque validissima ratio est, quod in Comitium generalibus futuris Nobiles Nuntii terrestres omnino constituere intendunt, quatenus bona Ecclesiae eorumque Episcopatum et Monasteriorum, qui sunt debellati, ac ditionibus ad praesens includuntur Moschorum, cadant sub dispositionem Regiam in bene meritis de Republica saeculares Personas distribuenda, ac proinde cum Monasterium Archimandritale Kijovien. Peczaen. sub Moscho sit, bona ad illud spectantia, in Regno situata Poloniae, inter saeculares Nobiles per Serenissimum Regem maneant dividenda, quasi nondum satis sit pulsos nos esse per hostem de Monasterio, quin etiam de bonis ad illud spectantibus pelleremur. Quo pacto plurimum damnificaretur Ecclesia, si enim ex eo quod Monasterium (f. 168) Kijoviense Peczaen. a Moschis possideatur, bona eius manebunt inter saeculares dividenda, eadem methodo et bona ipsius Metropoliae ac Episcopatum latinorum Kijoviae, Smolensci, et Livoniae distribuentur, cum Kijovia, Smolenscum et Riga cum suis Cathedralibus Ecclesiis Serenissimo subsint Moschoviae Caro.

His minime catholicis intentis Ecclesiae Dei praeiudiciosis possemus quidem salutarem apponere medelam, modosque ne haec fiant adinvenire, sed quia adinvenibiles modi forent desperati, nec sine damno Reipublicae exerceri possent, idcirco lentiora a Sacra Congregatione de Propaganda Fide praesentium expetuntur contextu, quatenus duntaxat literis suis Apostolicis Serenissimum Poloniae Regem, Primoresque Ecclesiasticos et Saeculares conveniant, ad reprimendos eiusmodi Nobilium conatus in praeiudicium Ecclesiae intentandos, ac singulariter Illustrissimum et Celsissi-

num Dominum Nuntium Apostolicum in Regno Poloniae ad evertendos similes ausus interpellat. Quod ab Eminentissimis et Reverendissimis Celsitudinibus Vestris Ecclesia Unita humili efflagitat prece. Praecipue, cum alienata iam ad Moschos Kijovia, Archimandritae Schismatici, Innocentius Kisiel,¹⁸⁶ et Josephus Szumlanski¹⁸⁷ bona dicta Grodek et Obarovia possederint, non est igitur cur Unitis adimi debeant.

73.

Luceoria, 1 . VI . 1722.

Elenchus Brevium et Litterarum exarandarum in causa bonorum Kioviensium.

APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 633, f. 174.

Breve et literae ad quos scribendae in desideriis Roxolanae Ecclesiae, etc.

Breve SS.mi ad Serenissimum Regem Poloniae Augustum, et Literae a Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

Ad Ill.mum Excell.mum R. P. D. Episcopum Varmien. Potocki.¹⁸⁸

Ad Ill.mum Excell.mum R. P. D. Episcopum Cracovien. Szaniawski.¹⁸⁹

Ad Ill.mum Excell.mum D. Adamum Sieniawski, magnum Ducem Poloniae, Castellatum Cracovien.

Ad Ill.mum D. Stanislaum Rzewuski,¹⁹⁰ Palatinum Podlachiae, Ducem Campe-
strem Poloniae.

Ad Ill.mum Excell.mum D. Ludovicum Pociey, Castellatum Vilnen, Ducem
Magni Ducatus Lituaniae.

Ad Ill.mum D. Stanislaum Denhoff, Palatinum Polocen., Ducem Campe-
strem Magni Ducatus Lituaniae.

Ad Ill.mum D. Szembek, Cancellarium Poloniae.¹⁹¹

Ad Ill.mum Excell.mum Principem Michaellem Wisniowiecki,¹⁹² Cancellarium
M. D. Lituaniae.

Et praecipue ad Ill.mum D. Mniszek, Mareschalcum Magnum Poloniae.¹⁹³

Ad Ill.mum R. P. D. Episcopum Wilnen.

Ad Ill.mum R. P. D. Praesidem Tribunalis Lublinen.,

et ad Ill.mos R. P. D. Deputatos Canonicos Tribunalis Lublinen., ut assistant et fa-
ciant numerum completum Iudicii, etc. etc...

¹⁸⁶ Innocentius Gizel, Archimandrita Kiovo-Pečarensis. Obiit an. 1683. Originis germa-
nicae, Rector typographiae Pečarensis (1646-1656), magister et Rector Academiae Kioviensis
et ab anno 1656 Archimandrita Pečarensis. Reliquit opera scripta et publici iuris facta, prae-
sertim polemica, historica et ethnographica. Cfr. *Encyklopedija Ukrajinoznawstva*, pars II,
pag. 475.

¹⁸⁷ Episcopus Leopoliensis (1676-1708), qui tunc temporis iam fidem catholicam clam pro-
fitebatur (ab anno 1677).

¹⁸⁸ Theodorus Potocki (1711-1723), antea Culmensis, et postea ab anno 1723 Primas Polo-
niae et Archiepiscopus Gnesnensis (1723-1738).

¹⁸⁹ Felicianus Szaniawski, Episcopus Cracoviensis (1721-1732).

¹⁹⁰ Palatinus Podlachiae ab an. 1717. Ab anno 1728 Palatinus Belzensis.

¹⁹¹ Joannes Szembek (1711-1731).

¹⁹² Ann. 1720-1735.

¹⁹³ Revera Magnus Mareschalcus Poloniae tunc temporis erat Adamus Sieniawski (1706-
1726).

74.

Volodymyr, 30 . III . 1723.

De confirmanda Synodo Zamostiana, de obitu Rectoris Pontificii Collegii Leopoliensis, de Alumnis Leopoliensibus, nec non de missione Brevium in causa bonorum.

APF, *Scrit, rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 642, f. 38rv.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S. R. Ecclesiae Cardinales, Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi.

Quamvis a renovata Unione magis magisque indies diffundatur fulgor gratiarum sacerrimae de Propaganda Fide Congregationis in Russiam, S. Matri Romanae Ecclesiae aggregatam, his nihilominus temporibus supremam certe experitur Ecclesia Roxolana benevolentiam, quando Praesulum suorum in Synodo adunatorum Zamoy-scensi effata, Vaticano recipit roborare Oraculo; ¹⁹⁴ quo mediante, si quae extra orbitam Regulæ exciderint, maiori felicitate, ac praecotiori facilitate ad pristinum deducantur, a quo aberraverant, rigorem. Authorem piissimi operis, et consummati desiderii nostri, Eminentissimas et Excellentissimas Vestras Celsitudines ingenue agnoscimus, quibus proinde praeter eas, quae debentur, exsolvendae gratias, copiosissimas desuper apprecamur mercedes; nec plenas exarare est necesse, ne duntaxat copiae verborum rudissimae magnitudo exprobet gratiarum.

Non ita pridem Leopoli desiit vivere Reverendissimus Pater Trombetti, Collegii Pontificii Leopoliensis Praefectus,¹⁹⁵ cum magno Dioecesis Unitae novellae Leopoliensis maerore, cui ut succedere possit Reverendus Pater Caietanus Cottoni,¹⁹⁶ humili expeto prece, cum et singulari resplendeat pietate, debita polleat doctrina, et quod maximum est, unitarum nova cognitione rerum non indigeat, tum ipse Genti nostrae de moribus gnarus, tum Gentis morum sat superque perspectus, ad quae, ignota quae submitteretur Persona, non adeo facile assuefieri posset.

Illud quoque Eminentissimis Celsitudinibus Vestris insinuandum esse voluerim, quatenus cum plenissima solennitate Collegio Leopoliensi rigorosa tradatur inhibitio, ne Alumni Leopolienses, finito cursu theologico, praesumant religiosam sectari vitam, et specifice in mea Provincia Lithuana Metropolitana, sat bene onusta operariis, sed in Leopoliensi, et Premysliensi Dioecibus, qui frangat panem non habentibus, maneant; nisi enim hoc inhibeatur, aequae erit tollere Collegium, ac taliter non sublatum tolerare; provida namque Ecclesia magis egentibus, ut succurrere satagat, est necesse, nec eo fine crediderim institutum Collegium illud, ut suae quisque animae salutem

¹⁹⁴ Confirmatio apostolica decretorum Synodi Zamostianae data fuit Brevi tantummodo Benedicti PP. XIII, die 19. VII. 1724. Sed iam tunc, ut videtur, de hac confirmatione danda constabat, et solummodo, forse, obitus Innocentii PP. XIII (7. III. 1724) emissionem Brevis confirmatorii impedivit.

¹⁹⁵ Rector Pontificii Collegii Leopoliensis (1706-1723), bene meritus de Ecclesia Unita deque educatione Cleri tum armeni tum rutheni.

¹⁹⁶ Unus duorum fratrum germanorum, nobilis originis italicae, qui tunc temporis munere magistrorum in Collegio Leopoliensi perfungebantur, membraque erant Congregationis Theatinae. Sed officium hoc obtinere ei non contigit. Revera, ab hoc eodem anno notatur ut Rector Josephus Maria Redanaschi (1723-1735).

quod absque Collegio fieri semper et potest, et debet, sed proximorum consulat aeternitati.

Ultimum est, ad quod capessendum humilia collimant postulata; (f. 38v) quatenus dumtaxat SS. mus Dominus Noster, Dominus Clementissimus, manu ductrice Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum interpositione, ad Serenissimum Regnantem nostrum Apostolicum dignetur dirigere Breve,¹⁹⁷ ut suum in Causa de Villis Grodek et Obarow, Ecclesiae Unitae ademptis, quarum iam viginti fere millibus florenorum constat vindicatio, in Judiciis Relationum non dedignetur exhibere praesentiam, nec eandem Causam ad Iudicia Comititalia, nunquam futura, remitti permittat; quamvis enim Celsissimus Dominus Nuntius Apostolicus in Regno Poloniae praesertim Causam habeat sibi demandatam, nihilominus non ita facile absque Breve Apostolico Serenissimum Regnantem ad assidendum in Judiciis Relationum, praesentiam Regiam omnino requirentibus, poterit commovere. Sacram denique uniuscuiusque deosculans purpuram, maneo

Eminentissimarum, Excellentissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum
Vestrarum, Dominorum, et Mecoenatum Amplissimorum
Servorum infimus, et Exorator perpetuus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus (mpr).

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 30 Martii 1723.

75.

Volodymyr, 30 . III . 1723.

Gratias agit de confirmatione Synodi Zamostianae et petit Breve ad Regem Poloniae pro defendendis bonis ecclesiasticis.

ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 139, fol. 110.

Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Effata Episcoporum Ecclesiae nostrae Unitae in Synodo provinciali Zamoyscensi prolata, quod ore apostolico Sanctitatis Vestrae pro ratis et firmis agnita sint, iidem per me plantis defixi ad osculum earum gratiarum exhibent actionem, ac cum aliud quid refundere nequeant, praeterea indefessas pro diuturno penes incolumitatem incorruptam ecclesiae sanctae regimine, fundendas ad supremum arbitrum rerum, offerunt preces, ego vero vindicaturus Ecclesiae Unitae bona, indebite per saeculares adempta, veluti apostolicam benedictionem elargiri, ita Breve ad Serenissimum Regnantem nostrum, ut in suis relationum non dedignetur assidere iudiciis ac ex iisdem ad iudicia comititalia nullis unquam futura temporibus causam remitti non permittat expediri gratiosissime, imis Sanctitatis Vestrae adgeniculatus plantis, humili

¹⁹⁷ Revera instantia haec, ut videtur, effectum habuit tantummodo anno 1724, praesertim sub novo Pontifice Benedicto PP. XIII. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, Romae 1954.

exposco postulato. Denique toties quoties dulce osculum pedibus Sanctitatis Vestrae infigendo maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi

Scabellum pedum et Exorator indefessus

Leo, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae (m. p.)

Ad Cathedram Vladimiriensem, die 30 Martii 1723.

76.

Volodymyr, 30 . III . 1723.

De approbatione apostolica Synodi Provincialis Zamostianae.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 642, f. 39.

Eminentissime, Illustrissime, Celsissime, ac Reverendissime

Princeps, Domine, et Mecoenas Amplissime.¹⁹⁸

Fervidi ad Ecclesiam nostram Unitam sese ferentis amoris indicium est, quod Illustrissima et Reverendissima Celsitudo Vestra, nullis meritis eius, quin ne quidem Personarum cognitione Praesulearum ductus, tot tantosque circa ingerentem fastidia cum exinanitione ferme fastigij sui, Synodi nostrae Nationalis reelectionem, praesentationem, tuitionemque effuderit sudores; redigat ea ad calculum assistens Roxolanae nostrae Ecclesiae angelus, supremo praesentanda Numini pro corona, quae ad cumulum Eminentissima Celsitudo magnorum in Ecclesia Dei congegit meritorum, copiosa redonanda mercede; nostrum vero est, cum non sufficiamus ad reliqua, Deum ter Optimum Maximum, Re tributorem securum, semperque fidissimum, qui et incolumem diu conservet, et utinam sero oculis subtrahendum humanis, faustissimae exhibit aeternitati, ferventibus postulatis, pro magnitudine laborum, exponere in solamen. Denique pro exoptata alia expositorum pagella apud sacerrimam de Propaganda Fide Congregationem desideriorum meorum coronide, ea qua par est humilitate, proci duus exposcendo, maneo

Eminentissimae, Illustrissimae ac Rnd.mae Vestrae Celsitudinis

Servorum infimus et Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus, nomine suo et Praesulum Russiae.

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 30 Martii 1723.

77.

Volodymyr, 30 . III . 1723.

De confirmatione Synodi Zamostianae.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 642, f. 40.

Celsissime, Illustrissime, Excellentissime, ac Reverendissime Princeps,

Domine, Domine, et Mecoenas Amplissime.¹⁹⁹

¹⁹⁸ Fortasse ad Praefectum S. C. de Prop. Fide, Josephum Sacripante (1704-1727).

¹⁹⁹ Verosimiliter agitur de hic de Prospero Lambertini, qui multum adprobationi Synodi Zamostianae, ut iuris peritus, adlaboravit. Postea devenit Benedictus PP. XIV.

Desideriorum Ecclesiae Unitae Roxolanae, ac praecipue circa tuitionem, approbationemque Synodi Nationalis Zamosciensis, quod Excellentissima Celsitudo Vestra principium egerit et finem, non est cur nostra doceatur Ecclesia? cum et non dissolvendi ad Excellentissimam Vestram Celsitudinem, et ab eadem dissoluti, in Orbem remittantur. Extra omnem illud esse controvertendi modum, quis ambiget? nisi forte ignarus, si tamen obtundi supina queat ignorantia magnorum Excellentiae Vestrae in Ecclesia Dei meritorum, extremos subsequentium labores, nostrum proinde est, pro exantlatis sudoribus agendi ea, quae refundi possunt; haec porro cum alia superare nequeant, praeter ponderosum illud: Hic, et in Patria communi caelesti refundat Dominus Domino, ea de Ecclesia nostra Romam asportamus, ac in sinum expertae reponimus benevolentiae. Supprimit plura excelsae magnitudo gratiae, cuius prosecutionem humili expetens prece Roxolana Unita Ecclesia, eiusdem efficaci sese submittit protectioni, per eum, qui maneo

Excellentissimae, Illustrissimae ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae
 Servus humilimus ex Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae (mpr).

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 30 Martii 1723.

78.

Volodymyr, 29 . V . 1723.

Iustificat se de calumniis, nec non de non reintegrando P. Wietrzynskij, antequam novus conficiatur Processus.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., e Ruteni*, vol. 4, f. 467.

Eminentissime, Celsissime ac Rev.dme Princeps, S. Romanae Eccl.
 Cardinalis, Domine, Domine et Mecoen. Amplissime.

Ordinatus nuperrime Procuratori Generali ²⁰⁰ in socium, Romam, Pater Synphorianus Wakulski, quae, et quanta! procaci efficiat lingua, Reverendus Pater Procurator pro verecundia reticet; illud vero quod ego Chyoviam, ad Schismaticos, Sancta relicta Unione, sim perrecturus, ab eodem impostore palam exprimit proclamari. Religiosos plurimos insolentes fugisse est res in comperto, Metropolitanos vero Archiepiscopos Sanctae Sedis Apostolicae eximios semper Cultores, et solos, absit gloria verbis, Unionis manutentores fugisse a renovatae centuria obedientiae, nullibi audivi; cum quid illis desit, vel quid apprehendere possint, nemo est, qui assignaverit, nisi forte voluerit quisquam per fugam dispendium Patriae, cum gravi violandae tranquillitatis publicae mole, attentari. His ego stantibus supplici Eminentissimam et Rev.dmam Celsitudinem Vestram exposco prece, quatenus ille impostor meae iniquissimus famae, pro retroactis linguae calumniis correspondenti de merito plectatur poena ac in futurum efficaci sacerrimae de Propaganda Fide Congregationis Decreto a simili arceatur insolentia. Et quia in literis Reverendus Pater Procurator etiam alia,

²⁰⁰ Benedicto Trulevyč (1712-1726).

contra Reverendum Patrem Wietrzynski,²⁰¹ Romae patrata, eaque occultata ob honorem Religionis, quae tamen occultari non delerent, suggerit, idcirco ipsum literarum eius originale, ne semel occulta reddita iterato reddantur celata, directe imis plantarum Emin.mae ac Rev.mae Celsitudinis Vestrae visum est consignasse, tum ut laesae enormiter famae nominis mei sacerrima compatiatur Congregatio; tum ut evidenter constet, quae etiam radios Maiestatis Sanctissimi, eiusque inclyti purpurei Senatus, R. Pater Wietrzynski praesumpserit attentare, ac exinde saltem non primo reinduci ad Proto Archimandriam, quam causa Religionis contra eum cognoscatur, iubeatur namque ut cum reinducto subdita possit agere Religio, aut contra reinductum testimonium quisquam perhibere non satis bene intelligo, imo plurium Personarum, Causa procul dubio omni sepulta iacente, quae iam me hacce de re interpellare non praetermiserunt, iacturam exhorresco. Sacras denique purpurae fimbrias dulci delibans basio, maneo Eminentissimae, ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae

Servorum infimus, et Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram meam Vladimiriensem, die 29 Maii 1723.

79.

Volodymyr, 22 . III. 1724.

De causa Ordinis Basiliani cum P. Wietrzynskij, ex-Protoarchimandrita.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc.; Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 525rv.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S. R. Ecc.

Cardinales, Domini, Domini, et Mecoenates Ampl.mi.

Martii praeterlapsi die prima, Oraculis Vaticanis,²⁰² ob mancum Processum in Provincia nostra, salvo manente principali negotio, restituti sunt ad Officia sua Reverendi Patres Maximianus Wietrzynski, et Firmianus Wolk, ita tamen, ut de vita moribusque eorum scandalosis novus per Excellentissimum Dominum Nuntium Poloniae formetur Processus, cum suspensione, si in obiectis criminibus indicia apparuerim reitatis. Quoniam itaque in hucusque in Tribunali Apostolico non comparent Reinducti pro nominandis Commissariis, et semper evadant Contumaces, factum est, ut iam bina in contumaciam partis pro futura Commissione intervenerint in Sortem Religionis Decreta, sed quia Citati adinvenibilia quaerunt media, ut eiusmodi trahatur Processus, ad quem effectum Principaliora Ordinis Basiliani Membra in dissita, idque ex solis victitantia eleemosinis, abalienarunt Monasteria, nec facile quisquam stante eorum Gubernio, metu vindictae sive promotionis allectione, testari quidquam poterit, idcirco nomine oppressae ad praesens Religionis, postulatis eius inhaerendo,

²⁰¹ Maximilianus Wietrzynskij, Protoarchimandrita Basilianorum, anno 1719 destitutus, processatus Romae (1720-1722), reintegratus in officio (an. 1723), dein apostatatus (1724), in Helvetiam fugam arripuit, spoliatis monasteriis.

²⁰² Sententia Tribunalis Romani PP. Wietznynskij et Wolk officiis suis reintegrari iussi sunt, prout et factum est, proh dolor! ut refert hic Metropolita difficultatesque suas ex hac reintegratione exponit. Metropolitae commissio facta fuit alium institui Procesum contra illos.

exoratas velim Eminentissimas et Rnd.mas Celsitudines Vestras, quatenus, si duntaxat non attingat scopum demandata ex respectu timoris Commissio, velint Celsissimo Domino Nuntio indulgere, ut ad tollendum omnem metum, habeat suspendendorum tantisper Citatorum facultatem, praecipue cum apertissimae pro iudiciis reitatis, pro suspensione militent, pro abligaritis summis syngraphae. Nisi enim eiusmodi Celsissimo Domino Nuntio mittatur facultas, timor secururam impedit Inquisitionem; iam enim pauco abhinc tempore idem Ordinis Proto Archimandrita, neque legitime privilegiatus, nec installatus pro Archimandria Cobrinensi,²⁰³ sed administratione sola semper adeptibili donatus, solita sibi fraude usurpative sese vocitans Archimandritam (f. 525v) reintroduci iussus, et reintuctus, in negotio principali de ipsa Archimandria Romam remissus, ne in eo respondeat Reinductus, quamvis non fuerit sui iuris, Actorem captivavit, Josaphatum dumtaxat Roginski,²⁰⁴ et legitime Privilegiatum, et iure installatum, ac proinde Decretum Remissivum Tribunalis Apostolici, Recursumque permissum impedivit, caeteros hoc ausu a dandis testimoniis contra se, circa Actum Commissionis, certo certius, nisi in Officio suspendatur, cohibiturus, ac in obiectis criminibus impunitis Gl... habiturus. Justissima haec patrocinio Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum exponendo, et uniuscuiusque sacrae fimbrias purpurae dulci basio delibando, maneo

Eminentissimarum, Excellentissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum, Mecoenatum Ampl.rum

Servus infimus, et Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr.)

Ad Cathedram Vladimiriensem, die 22 Martii 1724.

80.

In Russia, 1724.

Refert de Synodo Zamostiana a S. Sede Apostolica confirmanda.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 64, f. 275.

Beatissime Pater.

Opus, Beatissime Pater, Clem.XI jussu, et auspiciis feliciter inchoatum, sed Inn.XIII praecessoris tui favente numine feliciter consumatum, felicissime sub hisce supremi regiminis tui primordiis in lucem edendum, tibi uni jure quidem optime debitum conveniensque munus est. Illam enim Petri Sedem egregie ascendisti, quae licet iuxta humanarum omnium rerum volubilitatem, ac vices, nunc isti nunc illi sit visibili adjudicata Moderatori, dum haec generatio advenit, illa praeterit, eadem tamen semper est atque uni invisibili capiti Christo Domino firmissime copulata, ad consummationem usque saeculorum firmitatem suam servabit indemnem. Quapropter sive ea recensas, quae Clem. XI (eximium sane Ecclesiae Dei) magnanimitate sua, zelo atque

²⁰³ Non notatur inter Archimandritas Kobrinenses; eius regimen hic simplex considerari potest usurpatio.

²⁰⁴ Revera anno 1723 ad hanc Archimandriam consensum Ordinis obtinuit et regiam praesentationem Josaphat Roginski, Stebelski tamen eum extra ordinem Archimandritarum ponit.

amoris ergo in Ruthenam Gentem pro convocanda provinciali hac Synodo contulerit, sive illa perpendas, quae ad eandem numeris omnibus absolvendam non impar Praecessori suo Inn.XIII. suppeditarit, tua sunt, tua fiunt, tibi debentur, eo vel maxime, quia nulla sit in hoc opere pars, quae peculiaribus tuis laudibus carere possit, scelerum damnationem, confutationemque errorum complectitur, quos nedum vel ab incunabilis aversatus es; sed exemplo tuo, ipsis Ecclesiae hostibus venerando, praefocasti; quinimmo singulari doctrina, expolitaque dicendi ratione, sive publicis patrefacta typis, sive oretenus ovibus tuis diu, noctuque per amaena viarum, atque aspera montium vel obstrepentibus pluviis, vel estio solis saeviente administrata, extinguedos prorsus accepisti; Summorum Pontificum Decreta, ac Jura commemorat, quorum auctoritatem, quae toto exultante Orbe, tua nunc est, nedum apprime veneratus es, sed executioni ammissim mandari, nec latum unguem praeteriri, ecclesiasticae libertatis vindex accerrimus, mire jussisti. Hoc in opere plurimorum Conciliorum Acta, Fides et Canones reservantur, ad repellendos abusos, ad conformandos mores, ac praesertim ad collabentes nonnullos reparandos ritus, ceremonias, disciplinas, quae Sacramentorum mundiciem, altarium decus ac sacrarum solemnitatum concernunt hierarchiam. Nonne omne studium tuum, ac sedulitatem contulisti, ut sincera Christi Fides, et Apostolica Traditio incorrupta servaretur, ut sanctior disciplina refloresceret atque Ecclesia Dei vere tanquam sponsa ornata viro suo, sicut in Ministrorum puritate, incessu, ac for..... ita in templorum ornatu, et praestantia, atque sacri muneris omnigena honestate unde..... mitesceret? Excipe igitur, Beatissime Pater, Ruthenae Gentis meae imo tuae pot..... vota submissionis, atque obedientiae argumenta; ne rivulus (ut advertibat S. Cyprianus) a fonte divisus putrescat, neve ramus ab arbore recisus, arescat. Interim cum grege meo Deum deprecor, ut te Pontificem Maximum in isthac rerum tempestate summopere opportunum ac miris sane modis nobis datum Ecclesiae diu incolumem servet, et faustis semper omnibus ad majora iugiter provehat incrementa.

Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi

Scabellum pedum, et Exorator indefessus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (manu propria).

81.

(In Russia, an. 1724).

Quaedam excerpta ex s.d. Catechismo Metropolitanae Leonis Kiszka, porrecta S. Congregationi, a P. Polycarpo Fylypovycz pro erroneis iudicata.

APP, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, f. 129=130v.

Annotationes ²⁰⁵ nonnullorum assertorum contentorum in libro intitulo: COMPENDIUM CASUUM CONSCIENTIAE, Ruthenico idiomate edito Anno 1724, die

²⁰⁵ *Anotationes* hae, prout patet ex aliis documentis contemporaneis, factae fuerunt a P. Polycarpo Fylypovyč, olim nominato Episcopo tit. Mukačoviensi (1710-, viro docto et rerum liturgicarum et theologiarum perito.

18 Mensis Januarii, Suprasliensis Monasterii Ordinis Divi Basilij Magni anonymo Authore,²⁰⁶ quae quamdam censuram mereri videntur.

1. In fronte ipsius Libri appositum est decretum fictum Synodi Zamosciensis Ruthenae, quod nec in Synodo Zamosciana reperitur ullibi, nec umquam in rerum natura extitit, cuius tenor huiusmodi est, ut sequitur:

Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae misericordia Archiepiscopus Metropolita Kioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Episcopus Wladimiriensis et Brestensis, Supraslien. Archimandrita.

Quandoquidem Sancta Synodus Zamosciensis uni solummodo in communi Monasterio Suprasliensi iussit, et concessit editionem typis Cathechismorum, Casuum conscientiae, et Actorum Synodi Zamosciensis, idcirco inhibemus, ne ullus in propria Typographia audeat praesentem hunc librum Casuum Conscientiae et Lexiconis typis edere, sub poena excommunicationis, et amissione similium librorum. Datum Suprasli die 2- da Mensis Januarii 1722.²⁰⁷

I. Pag. 1ma.

Quid est Sacramentum? -

Rr. Sacramentum est signum infallibile, conferens nobis gratiam Dei, ex voluntate Domini Nostri Jesu Christi, qui tempore Ascensionis suae separatus ab Apostolis, in signum charitatis suae erga nos dedit Sacramenta, quibus in hoc mundo gratiam, et in futuro, seu in Coelo gloriam aeternam consequimur.

II. Pag. 8va.

Quid faciendum, quando propter magnos dolores matris infans non potest nasci? -

Rr. Tali tempore debes infundere aquam in os matris dicendo: Baptizatur servus Dei, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Sed quia non est certum, quod talis aqua possit pertingere usque ad infantem, idcirco si talis infans nasceretur vivus, debet interim baptizari, dicendo: baptizatur servus Dei, si non est baptizatus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.

III. Pag. 14ta.

Utrum liceat baptizare infantes Haebreorum si ne consensu Parentum ipsorum, non habentes perfectum usum rationis? -

Rr. Non licet, quod si tamen insolenter aliquis baptizaret, in tali casu infans deberet fieri Christianus, et non deberet ad Iudaismum redire. Imo, etiamsi coacte Iudaeus senes baptizaretur, validum esset Sacramentum Baptismi.

(f. 129v) IV. Pag. 15ta.

Quis, et quando instituit Sacramentum Unctionis Chrismatis? -

Rr. Prout omnia Sacramenta, ita et Sacramentum Chrismatis Unctionis Dominus Noster Jesus Christus instituit tunc, quando dixit ad Apostolos suos: accipite Spiritum Sanctum.

V. Pag. 15 ta.

Quae est materia remota Sacramenti Confirmationis? -

Rr. Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma Sacrum Magnum, conse-

²⁰⁶ Auctor revera est Leo Kiška, Metropolitanus, prout patet ex aliis documentis et ex ipsa defensione eius coram Sancta Sede.

²⁰⁷ Adnotatio haec revera considerari potest uti licentia librum hunc edendi, cum inhibitione ne alii id faciant et alias introducant mutationes. Auctor agit hic non tam verbaliter ad decreta Synodi Zamostianae, sed quoad sensum respectivorum decretorum.

cratum ab Ebiscopo die Jovis consecratum Magno, hoc autem Chrisma debet in se habere Oleum, et Balsamum prout docet Synodus Brachariensis, et Florentina, in instructione data ab Eugenio Papa Legatis Armenis; tamen Episcopus in defectu Balsami potest etiam sine Balsamo Chrisma consecrare.

VI. Pag. 29na

Debentne homines audire Sacrificium Missae sub peccato mortali? -

Rr. Romani Ritus debent audire diebus festis Sacrificium Missae sub peccato mortali, exceptis Postariis, Cursoribus, Peregrinis, in mari, et in fluminibus Navigantibus, Pastores cogni ignorantes quando est festum. Graeci vero et Rutheni non habent talem obligationem, ut diebus festis sub peccato mortali audiant Sacrificium Missae.

VIII. Pag. 35ta.

Remittitne Poenitentia poenam pro peccatis? -

Rr. Sacramentum Poenitentiae solum remittit culpam, hoc est peccatum sed poenam pro peccato non remittit. Nam peccator, post factam Confessionem, quamvis iam non sit futurus in inferno, erit tamen in purgatorio post mortem, si in hoc mundo non satisfecerit pro suis peccatis.

VIII. Pag. 35ta.

Quae est materia Poenitentiae? -

Rr. Materia Poenitentiae Sacramenti sunt peccata, quae homo confitetur coram sacerdote.

IX. Pag. 46ta.

Quid est Indulgentia, sive Iubileum, et utrum remittat poenam temporalem pro peccatis debitam? -

Rr. Indulgentia est remissio poenae temporalis pro peccato, nam cum sacerdos absolvit, tunc temporis solum remittitur peccatum, poenam vero pro peccato debet pati.

X. Pag. 48va.

Quae est materia Sacramenti Extremae Unctionis? -

Rr. Materia remota Sacramenti Extremae Unctionis est oleum, cui debet immisci modicum vini, prout fecit Samaritanus cum homine vulnerato a latronibus.

(f. 130) XI. Pag. 57ma.

Quae obligatio est Sacerdotis erga Episcopum? -

Rr. Obligationem Praesbyterorum Romanorum erga Episcopos multae sunt. I. Accipiunt Synodaticum, quod vocant Cathedraticum a Cathedra, Synodaticum a Synodo. II. Accipiunt quartam partem Decimarum. III. Accipiunt quartam partem proventuum funeralium. IV. Accipiunt quartam partem legatorum. V. Accipiunt subsidium charitativum, hoc est contributionem pro diversis necessitatibus Ecclesiae, vel pro expeditione Romae Sacrae pro Episcopatu, quando is, qui debet fieri Episcopus sit pauper. VI. Accipiunt pro materia Chrismatis Sacri, et pro via in transmissionem illius et hoc vocant viaria. VII. Accipiunt ab Officiorum, Parochiarum distribtione, sive Collatione. VIII. Post mortem accipiunt totum id, quod relinquit post fata sua quaecumque persona spiritualis, incipiendo a supremo ad infimum. IX. Pro toto anno post mortem Parochi successor in eadem Parochia debet Episcopum accordare. Graeci autem, et Rutheni solum a Praesbyteris accipiunt Cathedraticum, constitutum a Sacris Canonibus et pro Collatione Parochiarum.

XII. Pag. 58va.

Episcopus accipiens circa Consecrationem, sive Ordinationem inciditne in symoniam et suspensionem? -

Rr. Non incidit. Quod ut bene intelligas, considera, quod Episcopi Romani non statim ac ordinant, Parochias conferunt, sed prius ordinant, ad Vicariatus mittunt, et postea post plures annos conferunt Parochias, et idcirco tempore Ordinationis nihij accipiunt, sed circa collationem Parochiarum, et hoc accipiunt quod reliquit defunctus Parochus, et a novo parochio annum redditum exigunt, quod et Romae practicatur; quilibet enim Episcopus pro Sacra debet Romae certum quantum solvere, quod si ipse non haberet unde, debent pro eadem contribuere Praesbyteri illius Episcopatus. Apud Graecos vero et Ruthenos, quandoquidem nec sunt Vicariatus, neque Altaria, neque alia Offitia habentia particulares suos redditus, sed quaelibet ecclesia habet unum solum Parochum, et hunc male fundatum, idcirco ne vacet cum detrimento animarum, simul Episcopus et ordinat et Parochiam confert, ab ordinatione nihil accipiendo, nec tollendo hoc, quod defunctus Praesbyter habens uxorem, et liberos aliquantum relinquit, sed parum aliquid a Collatione Parochiae recipit, per hoc autem non incidit in symoniam his de causis: I. Quia Episcopi latini et Romae hoc ipsum faciunt. II. Episcopus servat in suo victu valde exiguo Examinatorem, Archidiaconum Notarium, Cantores, et alios, solvit illis annuam mercedem, Quos omnes solummodo propter Praesbyteros ordinandos tenet; potest igitur propter ipsos aliquid accipere ab Ordinandis. III. Defendit Praesbyteros suo sumptu ab inimicis omnibus in diversis subselliis, et iudicijs tam saecularibus, quam spiritalibus, quae omnia indigent magno sumptu. IV. Quilibet Episcopus est dispensator Bonorum Ecclesiae, et distribuit Parochias, ex quibus homines sustentant se usque (f. 130v) ad finem vitae suae, quare itaque talis homo habens modum suum vivendi usque ad mortem non debet pro hoc aliquid, idque valde modicum Episcopo impertiri? V. Iuxta consuetudinem Ordinandus debet Episcopo Ordinanti, et toti ipsius Familiae prandium facere. Apud Graecos vero, et Ruthenos non solum non facit prandium Ordinandus, sed insuper in culina ipsius sustentat se, et absque ulla obligatione quoad hoc ab Examinatore, et ab alijs instituitur, qua de causa et propter parandum prandium est et potest esse ratio accipiendi aliquid a Praesbytero pro collatione Parochiae, non vero pro ordinatione.

82.

Varsavia, 15 . V . 1724.

De missione Brevium Apostolicorum in defensionem bonorum Ecclesiae Unitae.

APF, *Scrit. rif n. Congregazioni Generali*, vol. 644, f. 45rv.

Reverendissime ac Religiosissime Pater,

Pater et Frater Colendissime, Patrone Oss.me.

Quamvis ad primas literas meas nullum adhuc receperim responsum, ob mortem forsitan SS.mi Domini Nostri,²⁰⁸ nihilominus in spe firma existens succurrendi ne-

²⁰⁸ Innocentius PP. XIII, obiit die 7 Martii 1724.

gotiis meis, aliam expecto epistolam, qua summopere expeto, quatenus a futuro SS.mo Domino Nostro, obtineat ad Serenissimum nostrum Poloniae Regem eiusmodi Breve, ut dignetur in Causa mea in Iudiciis Relationum assidere, nec eam ad Iudicia Comititalia remittere; cum enim Comititalia nunquam terminentur, consequens erit neque Causam Ecclesiae Dei fore terminandam. In eodem Brevi ²⁰⁹ illud quoque apponendum est, ne Serenissimus in Comititiis permittat ferri Constitutionem, quatenus Bona eorum Episcopatum, et Archimandriarum, ac Monasteriorum, quae existunt sub Ditionibus Moschorum iure belli acquisita, Bona vero subsistunt in Polonia, cadant ad dispositivam Serenissimi gratiam, in benemeritis de Republica Saeculares distribuenda. Dederat iam Breve eiusmodi praeteritus SS.mus Dominus Noster,²¹⁰ sed ex consilio cum Domino Nuntii non reddidimus illud singulariter ex eo, quia in illo non erant prima duo (f. 45v) puncta apposita, de eo, ut assideat in Iudiciis Relationum et ne remittat ad Iudicia Comititalia. Brevis huius haerentis nunc in manu Domini Nuntii Copias hic insero, et pro merito Causae etiam informationem includo. Peto cum plenissima humilitate eiusmodi Breve, cum in proximo... Comititia inchoentur. Quodsi etiam alia Brevia, ²¹¹ in eadem materia, ad Dominum Primatem Regni Poloniae, ad collegium Episcoporum latinorum, ad Dominum Cancellarium Regni Supremum, ad Dominum Principem Wisnowiecki, Palatinum Cracoviensem, possent apud SS.mum Dominum Nostrum evinci, multum Ecclesiae nostrae accresceret emolumentum, et decresceret periculi amittendorum Bonorum. Me interim benevolentiae suae recomendo, et maneo

Reverendissimae, ac Religiosissimae Vestrae Paternitatis

Servus humillimus

LEO, Metropoli Russiae (mpr).

Notum facio, quod iam pro hac Causa viginti duo millia expenderim; tales sunt in Nostro Regno quoad justitiam cavillationes, quod si Serenissimus Rex nolit ad Iudicia Relationum descendere, vel remiserit ad Iudicia Comititalia, cessare omnino debere, et reddat liber a iuramento vindicationis Bonorum Ecclesiae ab Ecclesia alienatorum; si enim adhuc tantam erogare deberem summam, Bona certe emerem maiora.

In Aula alba, in procinctu itineris Varsaviam, die 12 Maii 1724.

83.

Suprasl, 13 . VI . 1724.

Commendat negotia Ecclesiae.

APF, Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni, vol. 4, f. 618.

Eminentissime, Celsissime, Illustrissime, ac Reverendissime Princeps, Domine,
Domine et Mecoenas Amplissime.

Ne reddat taediosus, in exponendis longiori stylo calamitatibus Unitae nostrae

²⁰⁹ Plurima exarata fuerunt Brevia sub dat. 30. IX. 1724. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag 52- 53.

²¹⁰ Fortasse agitur de Brevis sub dat. 31. I. 1722. Cfr. *IBID.*, pag. 43.

²¹¹ Cfr. notam 209.

Ecclesiae Ruthenae, quas patitur a nonnullis huius Regni Primoribus, fusius eas exposui Reverendissimo Patri Cesari Redenaschi,²¹² Eminentissimae Vestrae Celsitudini dilucidius, ore prae penna, edisserendas. Abbrevio igitur supplicem praesentem libellum, ne fusiori, quam par est, calamo interrumpam maiora totius Orbis, in persona Eminentissimae Vestrae Celsitudinis haerentia negotia, expetendo cum plenissimo cultu ea oppressae praestare Unioni, quae nomine meo idem exponet Reverendissimus. Sacram interea, ad literarum calcem, vestium fimbriam dulci delibans osculo, maneo Eminentissimae, Illustrissimae, ac Revd. mae Vestrae Celsitudinis, Domini, et Meoenatis Amplissimi

Servus humillimus, et Exorator indefessus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).
In Suprasl, die 13 Iunii 1724.

84.

Varsavia, 3 . VII . 1724.

Gratias agit de favoribus et protectione, speciali modo Ordinis Basiliani.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. · Rutheni*, vol. 4, f. 544.

Illustrissime, Celsissime, ac Reverendissime Princeps,
Domine, Domine, et Meoenas Amplissime.

Incumbendo Causis Unionis Varsaviae, recipio consolatricem epistolam Celsitudinis Vestrae Illustrissimae, qua et captivi libertati sunt suae restituti, et Basilianus Ordo indubiam prorsus spem arripit redintegrationis ad pristinum religiosae quietis et tranquillitatis statum, quae omnia cum ab Illustrissima Celsitudinis Vestrae benignitate emanare intelligat, plenissimas referet una mecum gratiarum actiones; quas fundendo cum omni reverentia fimbrias praesulearum vestium dulci delibo osculo, et maneo

Illustrissimae, Excellentissimae, ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae
Servus humillimus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae totius (mpr).
Varsaviae, die 3 Iulii 1724.

85.

Topilce, 16 . VII . 1724.

De modo providendi Abbatiae Suprasliensi in casu obitus Metropolitae Kioviensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 644, f. 339rv.

Reverendissime, ac Religiosissime Pater,
Pater, et Frater Colendissime, Patrone Oss.me.

²¹² Procurator in Urbe Missionum Theatinarum, et Pontif. Coll. Leopoliensis.

Abbatiam Supraslensem ²¹³ teneo ego penes Metropoliam, succedentibus itaque fatiis meis, vacabit insimul Metropolia, et Abbatia Supraslensis, cum nemo non aderit, qui electum Abbatem benedicat, investiat, et installet, ²¹⁴ proinde evenire poterit, ut, inscio Monasterio Supraslensi, aliquis administrationem eius clam obtineat, et per binos annos (:totidem annis enim vacare solet Metropolia:) eandem, cum gravi praeda, retineat, donec Metropolitanus installetur, et tum demum Abbas Supraslensis benedicatur. Expeto itaque quatenus Sacra Congregatio eiusmodi proferat Decretum, ut, succedentibus fatiis meis, possint iuxta leges, et consuetudines suas Religiosi Basiliani Supraslenses e gremio sui Administratorem eligere Abbatiae, qui hocce Monasterium regat, donec Metropolitanus inauguretur, eundemque in Abbatem benedicat, et confirmet; nisi enim hoc fiat (f. 339v) ad horrendam abominationem desolationis huic Monasterio erit devenire necesse, cum hoc Monasterium a solo dependeat Metropolitano, cuius sede vacante, de necessitate Archimandria vacaret, ad quam se posset cum indicibili damno Homo aliquis extraneus monasterialis ingerere.

Brevia expetita, de Villis Grodek et Obarow, curari et transmitti enixe peto, meque ipsum suae insinuo benevolentiae, et maneo

Rev.mae, ac Rel.me Pater. Vestrae

Servus humillimus
LEO, Metropolitanus.

In Topilce, die 16 Iulij 1724.

86.

Varsavia, 23 . XI . 1724.

In causa Ordinis Basiliani damnificati a P. Wietrzynskij.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 157-158.

Sanctissime, ac Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Post oscula imis plantarum Sanctitatis Vestrae defixa. Non ita pridem scelestissimus Ordinis Basiliani Proto Archimandrita, Maximianus Wietrzynski, a Capitulo Generali Proto Archimandriae destitutus, ²¹⁵ Sacrae vero Congregationis Decreto, ob mancum quasi Processum, restitutus, ²¹⁶ praeter enormissimam litem, omnibus splendoribus Religionem Basilianam, et singulariter Monasterium Borunense, spoliavit, plusquam sexaginta millia damnificando, iamque, abiecta Sancta Fide, ad Calvinisticam transivit Sectam. ²¹⁷ Haec dum hic in Polonia aguntur, Sacra de Propaganda Fide Con-

²¹³ Secundum antiquam consuetudinem; praeterea Archimandria haec erat exempta ex Ordine Basilianorum, et immediate Metropolitae subdita, secundum antiquam conventionem temporibus Iosephi Velamin Rutzkyj, inter Metropolitanam, Archimandritam Supraslensem et Collatorem.

²¹⁴ Omnes hi actus pertinebant ad officium et privilegia Metropolitani Kioviensis. Casus similis habetur temporibus Metropolitae Cypriani Zochovskyj, annis 1692-93. Cfr. *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, vol. III, Romae 1958.

²¹⁵ Anno 1719, in Capitulo Novogrodecensi, diebus 19-23. IX. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 22.

²¹⁶ Anno 1722-23.

²¹⁷ Contulit se Helvetiam. Cfr. alia documenta nostrae editionis romanae, praesertim *Litteras S. C. de Prop. Fide*, secundum *Indicem nominum et rerum*.

gregatio ab eodem Romae contracta debita exigit exsolvenda per Religionem Basilianam, quae taliter per reinductionem spoliata, cum sit impar debitis exsolvendis, adgeniculata pedibus Sanctitatis Vestrae, clementiam petit, ne ad similia adigatur, praecipue cum eiusmodi debita illis debeantur personis, quae Romae contra Religionem egerunt, etiam falsa de vitae eius integritate testimonia perhibendo. Miserere pauperis huius Religionis, Beatissime Pater, quae ob solam reinductionem tantis succubuit (f. 158) damnis, praeter eam quam vita sua enormi per integram Poloniam faedavit infamiam. Finio libellum pro Religione supplicem in eo, a quo caepi, Sanctitatis Vestrae pedum osculo, et maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi,

Scabellum pedum, et Exorator indefessus

LEO, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae (mp).

87.

Varsavia, 23 . XI . 1724.

In favorem Ordinis Basiliani, a P. Wietrzynskyj damnificati, supplicat protectionem Praefecti S. C. de Prop. Fide.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 159.

Emin.me et Rev.me Domine, Domine, Patrone Amplissime.

Post debitum venerationis obsequium, V. E. defero, quatenus ille infamis Ordinis Basiliani Archimandrita, Maximianus Wietrzynski, a Capitulo Generali officio privatus, Sacrae vero Congregationis de Propaganda Fide decreto, ex sententia Domini Florelli, Iudicis Criminalis, ob mancum quasi processum restitutus, praeter enormem vitam praecipuis splendoribus Religionem Basilianam, et singulariter Monasterium Borunense spoliavit, ad multa millia damnificando; abiectaue sancta fide, cum omnium scandalo, Calvinisticam amplexus est Sectam. His stantibus Ill.mus Dominus Nuncius nomine Sacrae Congregationis de Propaganda Fide a dicto Maximiano Romae contracta debita exigit solvenda per Religionem, quae taliter per reinductionem spoliata, cum sit impar illis exsolvendis, procumbens ad plantas E. V. humillime respectum supplicat, ne ad similia amplius obligetur. Praecipue cum eiusmodi debita privata autoritate in suam Personam ab amicis contraxit, nec ipse amplius membrum est Religionis. Dignetur igitur E. V. sua benigna clementia protegere hanc Religionem, quae ob solam talem reinductionem tantis succubuit damnis. Pro qua in tam deplorabili casu meam etiam interponendo instantiam, maneo

E. V.

Servus humillimus, et Exorator perp.

LEO, Archiep. Metrop. totius Russiae (mpr).

Varsavia, die 23 Novembris 1724.

88.

Varsavia, 1724.

Alia informatio de statu reali et iuridico quorundam bonorum Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 644, f. 43-44v.

INFORMATIO

in Causa de Villis Grodek, et Obarow, pertinentibus ad Archimandriam, seu Abbatiam Kijovo-Peczarensis.²¹⁸

1mo: Villae Grodek, et Obarow nuncupatae, in Palatinatu Volhinae iacentes, inscriptae sunt a Celsissima olim Maria Ducissa in Rowno Monasterio Archimandriae, seu quod idem est, Abbatiae Kijovo-Peczarensi, anno a condito mundo septies millesimo vigesimo quarto, iuxta computum Calendarii Graeci, die mensis Martii sexta, Indictione quarta, sub data: in Civitate Ostrogensi. Hanc Inscriptionem sive Fundationem Serenissimus Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, Dux vero Magnus haereditarius Magni Ducatus Lithuaniae, et Volhinae, suo, sub data Vilnae, annis sex post datam Inscriptionem a Celsissima praefata Ducissa, anno duntaxat Salvatoris nostri 1551, die 15 Augusti, Indictione nona, roboravit Privilegio.

2do: Bonorum dictorum, Grodek et Obarow, vigore praefatae Fundationis eiusdemque Regiae Confirmationis, ab anno supra expresso usque ad annum 1700 erant ininterrupti et semper quieti Possessores Archimandritae, seu Abbates Kijovo-Peczarenses, veluti tum ex antiquissima, tum ex recenti hominum memoria liquido constat, ac ex Regiis per Aulicos suos iuxta morem Gentis traditionibus, singulariter in anno 1554, ac in anno 1593 peractis, evidenter patet.

3tio: Cum adirent Romam, pro unienda Ecclesia Graeca cum Sancta Ecclesia Romana, sub Sanctissimo Domino Nostro, Domino Clemente Octavo, Domini Hypatii Pociey, Vladimiriensis, et Cyrillus Terlecki, Luceoriensis Episcopi, Sanctissimus Dominus Noster Clemens Octavus, sub data Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini 1595, quarto Nonas Martii, Pontificatus sui anno V, subveniendo tenuibus nimis proventibus Mensae Archiepiscopalis Metropolitanae totius Russiae, eadem Bona, totamque Archimandriam seu Abbatiam Kijovo-Peczarensis, perpetuo duraturis temporibus, Archiepiscopis Metropolitanis totius Russiae adunivit, et applicavit. Quae Sanctissimi Domini Nostri Bulla, sub Celsissimo Domino Joanne Baptista Lancellotto, Episcopo Nolano,²¹⁹ SS.mi Domini nostri Urbani VIII, Papae Romani, ad Regnum Poloniae Nuntio Apostolico, ad Acta Nunciaturae, die Mensis Februarii 18, anno Domini 1625, extitit ingrossata.

4to: Eiusmodi Archimandriae, seu Abbatiae Kijovo-Peczarensis perpetuam (f. 43v) Archiepiscopis Metropolitanis totius Russiae applicationem suo quoque Serenissimus Sigismundus Tertius, Rex Poloniae,²²⁰ sub data Varsaviae, anno 1599, die Mensis Octobris 2, ratihabuit Privilegio.

5to: Cum tandem Serenissimus Poloniae Rex Vladislaus IV, nedum ante Coronationem sui in Diplomate dato, ²²¹ verum etiam paulo posthac, in Generalibus Regni Comitibus, Ecclesias Unitas, cum Bonis earum, ac ipsam Archimandriam seu Abbatiam Kijovo-Peczarensis, timore belli Cosatici, Schismasticis applicaret, binae intervenerunt, praeter publicas Senatorum Regni utriusque Status, et Equestris Ordinis interventiones

²¹⁸ Relatio haec exarata fuit manu Metropolitanæ Kiška, prout patet ex aliis documentis contemporaneis.

²¹⁹ Joannes Franciscus Lancellotti, Nuntius Varsaviensis (1622-1627).

²²⁰ Sigismundus III (1587-1632).

²²¹ Vladislaus IV (1632-1648). Ante coronationem, quae locum habuit Cracoviae, mense Martio 1633.

in contrarium, Celsissimorum Dominorum Nunciorum Apostolicorum manifestationes contra ereptiones Ecclesiarum bonorumque, ad eas pertinentium, interpositae. Una quidem a Celsissimo Domino Honorato Vice Comite, Archiepiscopo Larisseno,²²² per manus Perillustris Domini Francisci a Turre, Protonotarii Apostolici, eiusdemque Auditoris, Varsaviae, die 20 Martii, anno 1635 facta, et ad Acta Cancellariae Maioris Magni Ducatus Lithuaniae eodem anno, die vero 30 Mensis Martii ingrossata. Secunda vero a Celsissimo Domino Joanne, Archiepiscopo Adrianopolitano,²²³ de mandato Sanctissimi Domini Nostri Innocentii X, Papae Romani, Varsaviae, die 1 Ianuarii anno 1650 intentata.

6to: Cum tandem invalesceret schisma, et Cosaticum bellum universam interimeret Poloniam,²²⁴ vi cuius ab anno 1648, in haec usque tempora, Poloniae Regnum, uno eodemque cum subsequentibus anno a Svecis, Moschis, Hungaris, Prussis, et Cosacis conquassatum, ad pristinam nequit redintegrari perfectionem, nedum Archimandriam, cum suis bonis, Kijovo-Peczarensis, verum etiam alia, ad Unitos spectantia, deoccuparunt bona, semper tamen Ruthena Ecclesia, sive ea Unita, sive Disunita fuerit, Archimandriam Kijovo-Peczarensis cum suis bonis possedit, cum omni a saecularibus Personis quiete, excepta inter Unitos et Disunitos de Ecclesiis bonisque ad eas pertinentibus inquietudine.

7mo: Tradit tandem Bona dicta Grodek et Obarow Contractu Arendatario Reverendissimus Innocentius Giziel,²²⁵ Archimandrita Kijovo-Peczarensis, Disunitus, Nobili dicto Proskura, cum iam et Kijovia Civitas, et ipse Giziel Archimandrita Kijovo-Peczariensis sub Ditionibus manerent Moschorum, bello cum iisdem sopito. Is Arendatarii immemor Contractus bona praetacta coram Serenissimo Rege sinistre esse detulit regalia, ac delationis vigore sinistrae, in sui partem, a Maiestate Privilegium exportavit, nec eadem dimisit prius, nisi Assessoriali Decreto Regni, Varsaviae, anno 1670, Feria secunda, post Festum Sanctae Catharinae emanato, stringeretur.

8vo: Reinductus Reverendissimus Innocentius Giziel, Archimandrita Kijovo-Peczarensis, Disunitus, ad bona dicta Grodek, et Obarow, vi Decreti Assessorialis Regni, quamvis extra Ditiones iam Regni maneret Poloniae, ne in amplius ab indebitis bonorum Ecclesiae inquietaretur usurpatoribus, Constitutionem in Comitibus Generalibus Regni Cracoviensibus, ut dicta Bona aeviternis temporibus penes Archimandriam (f. 44) maneat Kijovo-Peczariensem, anno Domini 1676 fieri curavit, quam postea Archiepiscopi Metropolitanus, tum in Pactis, inter Serenissimum, et Potentissimum Dominum Clementissimum ad praesens nobis feliciter Regnantem, ac Rempublicam Polonam, tum in Comitibus Pacificationis, tum denique in Consilio Generali Varsaviensi, ut ingrossetur, singularem adhibuerunt sollicitudinem.

9no: Cum tandem ultimus, et immediatus Possessor bonorum Grodek et Obarow dictorum, suprafata possideret bona, Dominus duntaxat Iosephus Szumlanski,

²²² Honoratus Visconti (1630-1635).

²²³ Joannes de Torres, Nuntius Varsaviensis (1645-1652).

²²⁴ Annis 1648-1656, duce Bohdan Chmelnyckyj.

²²⁵ Innocentius Giziel, Archimandrita Kiovio-Peczarensis (1657-1683). Cfr. supra, nota 186.

Episcopus Leopoliensis, ²²⁶ Archimandrita Kijovo-Peczarensis, ab anno 1678, convictus precibus importunis nonnullorum in anno 1700 ad quindecim annos specificata superius bona Domino Francisco Ledochowski, Castellano Volhyniae, Arendatario dimisit contractu, sub data, anno dicto, Leopoli, die vero 13 Novembris, ac Inventarium bonorum ad normam Juris, die 30 Martii, Anno subsequenti 1701, recepit. Ex post vero, sive in antecessum, exemplo Nobilis dicti Proskura, superius nominati, coram Serenissimo, ac Potentissimo Domino Clementissimo ad praesens Regnante, ea bona in perniciem Unitae Ecclesiae sinistre deferens esse Regalia, sive Regiae subiecta, ex respectu Monasterii Kijovo-Peczarensis, sub Ditionibus haerentis Moschorum, dispositioni, Privilegium pro iisdem exportavit, nec de facili vult eadem dimittere legitimo Haeredi.

10: Extincto per decessum Domino Francisco Ledochowski, Castellano Volhyniae, Consortis eius, Illustrissima Helena, trita Marito suo procedens via, similiter pro iisdem bonis a Serenissimo ac Potentissimo Domino Clementissimo, ad praesens nobis feliciter Regnante, ²²⁷ sub data Mariamburgi die 23 Februarii, anno 1703, Privilegium sibi conferri curavit, cum vero etiam Dominus Josephus Szumlanski, Episcopus Leopoliensis, Archimandrita Kijovo-Peczarensis, anno 1708, Leopoli, obiret, ac in locum ejus Dominus Georgius Winnicki, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae ²²⁸ in Archimandriam succederet Kijovo-Peczarensis, illegitimisque bonorum Possessoribus in Judiciis actionem attentaret Assessorialibus, eadem Causa de Villis Grodek, et Obarow ad Judicia Regia Relationum est remissa.

11: Cum tandem ego, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, post obitum Domini Winnicki in Archimandriam successissem Kijovo-Peczarensis, vigore Bullae Sanctissimi Domini Nostri, Papae Romani, et Privilegii a Serenissimo ac Potentissimo Domino Clementissimo, ad praesens nobis feliciter Regnante, sub data Varsaviae, die 21 Octobris, anno Domini 1713 dati, ac circa Processum pro Metropolia formatum adverterem, bona Grodek, et Obarow dicta esse terrestria, non vero Regalia, substiti aliquantisper a vindicatione bonorum, eo quod Dominus Stanislaus Ledochowski, Succamerarius Cremenecensis, Mareschalcum agens Confaederationis, defuncti frater germanus usurpatoris, pro vindicatione bonorum vindictam aliorum Ecclesiae reponeret bonorum; nihilominus cum quieta a tempestatibus belli redderetur Respublica, non jam in Judiciis Relationum Regiis, sed in Tribunali Regni (f. 44v) Lublinensi, in Judicio Composito, iuxta Constitutionem anni 1631, actionem intentavi; in quo cum Pars adversa remitti causam cum toto suo effectu ad Regiarum Judicia Relationum postulasset, Tribunal vero Regni Lublinense, coram suo Forum adinvenisset Judicio, proterve Pars adversa recessit in anno proxime elapso, Iunii Mensis die 23, post Recessum executio, expensis magnis facta super Bonis, impugnata mansit. In secundo termino, anno similiter 1721, feria tertia post Festum Sancti Bartholomaei Apostoli, ex suggestione Partis adversae, Dominus Instigator Regni, mihi, ne hanc Causam in Tribunali Regni Lublinensi attentem, Parti vero adversae, ne audeat respondere, quasi in convulsionem Iurium Maiestatis opposuit emanatas

²²⁶ Ann. 1676-1708. Hic eparchiam suam anno 1700 Sanctae Romanae Ecclesiae palam univit, ipseque vero iam ab anno 1677 fidem catholicam professus fuit.

²²⁷ Augustus II, Saxo (1697-1704, 1709-1733).

²²⁸ An. 1708-1713.

e Cancellaria Regni Citationes, caeterum eo non attento, Tribunal Regni Lublinense iterato coram suo Forum adinvenit Iudicio, iterum Parte cum protervia recedente. In tertio denique, qui in diem 15 Maii Mensis, anni praesentis, inciderat termino, Tribunal Regni Lublinense, cum iam non posset bis agnatum in praeterito Tribunali annullare Forum, ut suspenso Causae negotio, et disiudicatione Causae in Iudiciis Regiarum Relationum, de cassatione remissae, in hac Causa experiar, protelationis medium adinvenit, nec enim aliud, praeter Causae protelationem per biennium Pars adversa curavit, iuribus, quae suae suffragarentur Causae, deficientibus.

Cum tandem post Comititia Regni Generalia, in anno 1722, attentarem hanc Causam in Iudiciis Relationum, Primores Regni hac in Causa invitarunt me ad combinationem, quam per binos annos non determinando eluserunt, nec amplius volunt eandem, sed intendunt in Comititiis futuris omnino curare, ut haec bona cedant Domui Ledochouscorum, facile se id obtenturos sperantes, eo quod Stanislaus Ledochowski furutus sit, absque ullo dubio, Comitiorum Generalium Regni Mareschalcus, et ob Confederationem, cuius, erat Praeses, et Mareschalcus, magnam acquisiverit nominis aestimationem.

89.

Volodymyr, 31 . I . 1725.

Gratias agit de approbatione apostolica Synodi Zamostianae.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 131rv.

Eminentissimi, Celsissimi ac Reverendissimi Principes,

S. R. E. Cardinales, Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi.

Studio indefesso, ac indesinenti amore erga Hyerarchycum unitae Ecclesiae Roxelanae Statum ferri semper Sacram de Propaganda Fide Congregationem, nemo est, qui ingenue non confiteatur; taceo antiquiora gratiarum documenta, quibus, Eminentissimi Patres, indigam earum Russiam non exigua certe cumulastis munificentia, cui veluti Colophonem, nec tamen adhuc ultimam, in admittenda Zamosciana Synodo gratiam superaddidistis, nihil in approbatione eius, quod relinqueretur intactum, sive labor apostolicus, sive erogatae pro praelo impensae spectari debeant, omittentes. Adsint Superi, ut reliqui sive in Russia sive in ipsa Graecia, Turcico gementi sub iugo, orthodoxa agnita veritate fidei, ad rivum, a quo declinaverunt, remeent auspiciatissime Ruteni, ac ex ea bibant sitientes scaturigine in salutem, iam quid tenere debeant ex approbata Synodo prae oculis habituri, ac ex gratia Sanctae Sedis Apostolicae discipulos quondam Ecclesiae Ruthenae Graecae nunc Magistros adepturi, nos vero, ut id, quod in Domino constituimus, fideli manuteneamus Sacramento, non est cur exhortari debeamus? cum operis feciliter consummati, nemine prorsus cogitante, egerimus auctores, eiusdem vigiles futuri manutentores. Quantum attinet augendum pro epolendis Seminarium Dioecesisibus, nemini perspicuum esse non poterit, promissum, (f. 131v) vel ut verius dixerim, debitum, in esse ponendum perfecto, dummodo Eminentissimae Celsitudines Vestrae inhibeant, ne abhinc Alumni religiosam sectentur vitam, in qua positi, suae tantummodo consulant salutem, nulli animarum

intenti curae, quid naraque (!) Ecclesiae accrescet Roxolanae, si Clerus in novellis Diocesisibus in antiquo manere cogatur statu, Alumnis intra Claustra Officiis, quaecunque illa sint, regularibus insignitis praecipue, cum absque illis floreat Religio, et in exteris Nationibus, ipsaque in Urbe, insignia pro studiis possideat loca; gravem, si insuper saeculari Clero alendos Episcoporum sumptibus eripiat Alumnos, iniuriam allatura, Unius cuiusque denique fimbrias purpurae sacrae dulci delibans basio, maneo

Eminentissimarum, Illustrissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimus Servorum, et Exorator indefess.

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpropria).

90.

Luceoria, 23 . IV . 1725.

Gratias agit Hierarchia Ruthena de confirmatione Synodi Zamostianaec nec non supplicat de protectione bonorum Ecclesiae Unitae, tum Kioviensium, tum Polocensium. Conqueruntur praeterea de Episcopis latinis eorumque Clero.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 232-34.

Beatissime Pater.

Post osculum devotissimum et profundissimum pedum Sanctitatis Vestrae. Nos Archiepiscopi, et Episcopi Rutheni, eiusdem obedientissimi filii, congregati in Domino ad audiendam vocem Apostolicam Sanctitatis Vestrae, et Divina ipsius Oracula, quae de Synodo nostra Zamosciana, pariter ex voluntate Sedis Apostolicae in piissimae memoriae Antecessoris Sanctitatis Vestrae persona ante quinquennium coadunata, effari Sanctitas Vestra dignata est, sicut summo iubilo cordium nostrorum, avidissimisque auribus excepimus eadem, ita debiti nostri ante omnia duximus esse Sanctitati Vestrae, Domino Nostro Clementissimo, gratias quam humillimas referre, quod exilibus nostris sensibus in Decretis eiusdem praenominatae Synodi contentis robur Apostolicae suae autoritatis addere non sit dedignata, ita ut praenominata (f. 232v) Decreta non iam ut nostra, sed ut Vestrae Sanctitatis abhinc suspicienda sint nobis. Quae autem praeccepta accepimus a Sanctitate Vestra de exequendis et observandis accuratissime et constantissime iisdem, de his scire humillime petimus Sanctitatem Vestram, morem quam perfectissimum et absolutissimum omnibus viribus et studiis procuraturos nos gerere in praesenti nostra statuisset Congregatione; ita ut nihil omnino derogeretur ex parte nostra hoc in puncto expectationibus et desideriis de nobis Sanctitatis Vestrae.

Post haec autem luctuosi cogimur quaeri Sanctitati Vestrae de summa iniuria, quam Ecclesia nostra patitur a minus amantibus iusti et aequi Dominis et Optimatibus huius Regni, qui involare non verentur in bona Ecclesiarum nostrarum, eaque sibi contra omne fas fraudulenter usurpare et appropriare, prout agitur nunc cum bonis nuncupatis Grodek et Obarow, evidentissimis nulloque dubio obnoxii iuribus spectantibus ad Ecclesiam Archymandritalem Kiovo-Peczariensem, quae in hunc usque diem de manibus iniquissimorum Possessorum vindicari a Domino nostro Metropolita nequeunt, quamvis iam cum iisdem intervenit ipsius amicabile transactio de dimissione ipsorum e manibus suis, Ecclesiaeque restitutione. Imo, damna

damnis non verentur accumulare, dum non satis habentes, quod tot annis (f. 233) eorundem fructibus usi sunt, insuper nunc accepta ex vi compositionis non modica quantitate pecuniarum, non tam ex debito aliquo, quam solum ex intentione redimendae vexae, ab eodem sibi erogata, utraque apud se retinere praesumunt. Similem iniuriam experitur noster Archiepiscopus Polocensis, ²²⁹ a cuius Ecclesia pari modo sat ampla bona Patres Societatis Collegii Polocensis astu et fraude avulserunt, de quorum vindicatione nunc strenue sat laborat praesens eiusdem Ecclesiae Antistes. Supplices itaque humillimeque exoramus Sanctitatem Vestram, uti Dominum et Protectorem omnium ecclesiasticorum bonorum supremum, ut opitulatricem manum utriusque praenominatae Ecclesiae in his ipsarum tam gravibus iniuriis porrigere dignetur, Apostolicisque suis monitis et recommendationibus subvenire, tum apud Serenissimum Regem, tum apud principales Optimates huius Regni. Aequalem si non maiorem patitur iniuriam Dominus Episcopus noster Luceoriensis, a cuius Ecclesia Ostrogensi sat ampla et multa bona abstracta sunt, non tam calamitate temporum, quam odio Religionis nostrae Graeco-Roxolanicae, a saecularibus personis, quibus vindicandis, ut Sanctitatis Vestrae protectionis subsidio succurratur, unanimiter et humiliter supplicamus.

Quo vero affectu ferantur erga nos nationemque totam nostram DD. Episcopi latini huius Regni, sat perspicuum Sanctitati Vestrae potest esse ex eorundem preceptis Sanctitati Vestrae (f. 233v) quoad nos praetensionibus, quibus nos omnino non fratres suos sed subditos esse demonstrant, dum nos infra paritatem dignitatis episcopalis et potestatis ac iurisdictionis collocare satagunt.

Quo circa Sanctitatis Vestrae Apostolico iudicio subiicimus, ut ipsamet videat et diiudicet, quamnam oppressionem pati nos nosterque Clerus totus debet a Saecularibus, cum tantam patimur odiositatem a Spiritualibus, qui pro conversione reddunt nobis pateticam aversionem, pro unione animorum suorum alienationem, pro incremento Ecclesiae Sanctae, quam fecimus aggregatione tot populorum, decrementum honorum, praerogativarum et immunitatum nostrarum. Denique nos clerumque nostrum ac integram Nationem nostram non solum ipsi contemptui habent, verum etiam apud Optimates Regni, totamque Rempublicam contemptibiles remonstrant, non ex ulla alia ratione, nisi ex sola diversitate Ritus. Nihilque aliud intendunt in nobis, quam ut depressione nostra ipsi eminentiores fiant. Quam tardam etiam, et defectuosam ab iisdem referimus iustitiam, in occasione recursus in nostris nostrisque Cleri iniuriis a Saecularibus latinis, ex iisdem argumentis Sanctitas Vestra clare percipere potest. Unde supplicandum nobis omnino venit Sanctitati Vestrae, uti communi omnium, quae in Dominico sibi commisso grege contingunt, malorum remediatorum, ut subveniendo oppressionibus istiusmodi nostris, nostrisque Cleri efficacius eximere (f. 234) nos Sanctitas Vestra dignetur ab obligatione recurrendi abhinc pro iustitia in iniuriis cleri nostri ad Officia et Iudicia ipsorum, et immediatum forum assignet in Sacra Sua Apostolica Nunciatura. Ita enim melius consultum fore cense-

²²⁹ Florianus Hrebnyckyj (1716-1762), dein Metropolitanus Kioviensis (1748-1762). Hic iam hoc tempore Causam hanc Romae promovere cepit, sed usque ad suam mortem bona recuperare ei nunquam contigit.

mus et inopiae cleri nostri, qui sumptibus faciendis in tot Tribunalibus quaerendo iustitiam impar est, et celeriori iniuriarum vindicationi provisum.

Denique, ut patentius appareat omnibus utriusque Ritus fidelibus cuiuscunque status et conditionis, quam paterno nos affectu et amore complecti dignatur, nulla habita in hoc differentia Graeci et Latini, ultra alia etiam hoc suppliciter exoramus a Sanctitate Vestra, ut in Bulla Caenae Domini addatur hoc etiam, quod quoad immunitates ecclesiasticas nulla omnino habenda sit maior ratio Cleri latini et graeci, et quod violatores ipsarum in utriusque Ritus Clero iisdem omnino poenis et censuris subiaceant. Et Deus Sanctitatem Vestram precibus indignis nostris sospitem et longaevam Ecclesiae suae utilitati servet.

Sanctitatis Vestrae Domini Nostri Clementissimi

obsequentissimi filii, et ferventissimi
apud Divinam Maiestatem exoratores

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

JOSEPHUS WYHOVSKI, Exarcha Episcopus Luceorien. (mpr).

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis. (mpr).

JOSEPHUS LEWICKI, Episcopus Chelmensis (mpr).

THEOPHYLUS GODEBSKI, Episcopus Pinscen. (mpr).

(f. 234v) CORNELIUS STOLPOWICKI LEBIECKI, Domini Floriani Archiepiscopi Polocensis et Episcopi Vitebscensis Delegatus.

STEPHANUS LAZAREWICZ, Domini Laurentii Archiepiscopi Smolenscensis et Severiae Delegatus (mpr).

ALEXANDER KIZIKOWSKI, Domini Hyeronimi, Episcopi Premisliensis Delegatus (mpr).

POLYCARPUS FILIPOWICZ, Ord. D. Basilii M. Congregationis SS. Trinitatis Lithuaniae, Archyman. Lescinensis (mp).

SYLVESTER TERAWSKI, O. S. B. M., Archymandrita Dorohobuscen.

ANDREAS BIENIECKI, O. D. Basilii Magni, Archymandrita Ovrucensis, et Officialis Metropoliae Kijoviensis.

PATRICIUS BIELSKI, Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandrita Zimnensis, Officialis Vladimiriensis (mpr).

THEODOSIUS RUDNICKI, Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandrita Canioviensis (impropria).

Luceoriae, die 23 Aprilis 1725.

91.

Luceoria, 23 . IV . 1725.

De confirmatione Synodi Zamostianae gratias agit Hierarchia, nec non supplicat ut protegantur bona ecclesiastica.

APF, *Scrit. rif. n Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 236-37.

Eminentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Domine et Patrone Colendissime.²³⁰

²³⁰ Praefectus S. C. de Prop. Fide, Josephus Sacripante (1704-1727).

Post tam longas taediosissimasque expectationes recepimus tandem, non minus avido quam festivo animo Synodum nostram Zamoscianam, ab hac Sacra Congregatione, cuius Eminentia Vestra clavum gloriosissime tenet, nobis transmissam, auctoritateque Sedis Apostolicae iam munitam, quam gratiam Sedis Apostolicae uti noscimus ex singulari benevolentia propensioneque Eminentissimorum Dominorum Nostrorum in nos, totamque nationem nostram promanasse, ita ad profundissimas gratias iisdem reddendas, pro impenso patrocínio eidem Synodo ad obtinendum Apostolicum robur nos maxima quaque obligatione obstrictos, perennemque gratitudinem in animis nostris servandam censemus. Spondentes insuper hoc de nobis in vim maioris gratitudinis nostrae, tam erga ipsam Sanctitatem, quam etiam Eminentissimos Dominos nostros, quam operosissime zelosissimeque allaboraturos, ut nihil (f. 236v) omnino invanum et inutiliter videatur statutum, quidquid in eadem Synodo est contentorum.

Post haec eidem patrocínio validissimaeque protectioni Sacrae Congregationis iunctis animis et precibus audemus reddere iam alias repraesentatam eidem a Domino nostro Metropolita Grodecensem Causam, consistentem in avulsione Honorum, irrefragabilibus iuribus debitorum Ecclesiae ipsius, ab iniquissimis, et iniuriosissimis usurpatoribus ipsorum saecularibus, quae per omnia studia et impensas suas sat notabiles in hunc usque diem non valet vindicare e manibus iniquorum possessorum, ut efficacioribus quibusve suffragiis succurrere eidem dignetur, ne Ecclesia tam ingens damnum ulterius pati cogatur. Iisdem etiam peropportunum censuimus esse commendandam Ecclesiam Luceoriensem, ac Polocensem, quae simili modo patiuntur gravissimam iniuriam, ab iniquissimis avulsoribus, et appropriatoribus bonorum sat amplorum (f. 237) suorum, ut recuperationi ipsorum omnia efficaciora media, pro universali sua providentia tuitioneque omnium Ecclesiarum nostrarum prospicere dignentur. Simulque omnia alia nostra petita, quae specialibus damus ad Sanctitatem Suam, Dominum nostrum Clementissimum, per gratiosissimas manus Sacrae Congregationis, singulari suo favore ac patrocínio apud eandem, quo ad exoptatum a nobis effectum ipsorum promovere. Et Eminentiam Vestram, caeterosque Eminentissimos Dominos nostros ut sospites et longaevos Superi precibus et votis nostris servent, ab eisdem ardentissime apprecantes manemus

Eminentissimae et Rn.dissimae Dominationis Vestrae caeterorumque Eminentissimorum Dominorum nostrorum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide humillimi, obligatissimi, et obsequentissimi Servi, et Exoratores

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

JOSEPHUS WYHOWSKI, Exarcha, Episcopus Luceorien., Ostrog (mpr).

ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis. (mpr).

JOSEPHUS LEWICKI, Episcopus Chelmen. (mpr).

TEOPHILUS GODEBSKI, Episcopus Pinscensis (mpr).

(f. 237v) CORNELIVS STOLPOWICKI LEBIECKI, Domini Floriani, Archiepiscopi Polocensis, et Episcopi Vitebscensis Delegatus (mpr).

STEPHANUS LAZAREWICZ, Domini Laurentii, Archiepiscopi Smolenscensis et Severiae Delegatus (mpr).

ALEXANDER KIZIKOWSKI, Domini Hyeronimi, Episcopi Premislien. Delegatus (mpr).

POLICARPUS FILIPOWICZ, O. D. Basilii Magni Congreg. Lithuan. SS. Trinitatis, Archymandrita Lescinen ²³¹ (mpr).

SYLVESTER TERAWSKI O. S. B. M., Archymandrita Drobobuski.

ANDREAS BIENIECKI, O. D. Basilii Magni, Archimandrita Owruccensis, Officialis Metropoliæ Kijoviensis (mpr).

PATRICIUS BIELSKI, Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandrita Zimnensis, Officialis Vladimiriensis (mpr).

THEODOSIUS RUDNICKI,²³² Ordinis Divi Basilii Magni Archimandrita Canioviensis (mpr).

Luceoriae, die 23 Aprilis 1725.

92.

Ruta, 26 . VIII . 1725.

Iustificat se de objecta sibi arbitraria publicatione Catechismi pro Clero et populo, vi decretorum Synodi Zamostianae.

APF, *Scrpt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 198-99v.

Illustrissime, Excellentissime, ac Reverendissime
Domine, Domine, et Patrone Colendissime.²³³

Relatum fuisse ad Eminentissimos, ac Rev.dmos Dominos S. R. E. Cardinales ipsumque de necessario consequenti supremum Orbis et animae meae Pastorem, quasi ego in Ecclesia Dei adolescentulus et contemptus, iustificationes tamen neutiquam oblitus, Parochorum institutiones continentes doctrinam aures hominum doctorum offendentem, ac rudes, et imperitos in errores inducentem, extradirerim, typis excussas vulgaverim,²³⁴ e literis Vestrae Excellentissimae Dominationis, die 12 Augusti Varsavia missis, cum summo animi mei merore didici, ea, quae in aliis quondam doctissimis, sive legi sive audivi per Zoilos practicata, quod dumtaxat unusquisque suos habeat osores, vere doloroso in me ipso percipiendo experimento, hoc unico manente intra mei penetralia cordis solamine, quod SS. Dominus noster, Dominus Clementissimus, certo certius, donec contrarium calumniatori percipiat, sit cum Joanne in Extravag: *Nos mala contra aliquem dicta volumus prius credere, quam probare*, ad

²³¹ Nominatus olim ad Sedem Mukačoviensem (1710), sed ab Aula Viennensi repulsam passus est; proinde ut simplex monachus, Superior, vel demum Archimandrita plurimos exequetus est labores in favorem Ecclesiae Unitae, in campo theologico, iuridico, liturgico.

²³² Dein Episcopus Luceoriensis (1731-1751).

²³³ Verosimiliter Nuntio Varsaviensi, Vincentio Santini, prout patet ex contextu.

²³⁴ Cfr. supra, sub dat. an. 1724; *Adnotationes*.... Agitur de s. d. *Compendio Casuum Conscientiae*, Supraslii 1722. Liber hic exaratus fuit in lingua palaeoslava tunc temporis, verbis intermixta linguae ucrainicae et bielarussae, sub tit: « *Sobranije pryvadkov kratkoje, duchovnyv osobam potreboje*, Suprasl 1722, in quarto, pag. VI. 152.

delata repositurus, nec ad calumnias, viso opere in Ecclesiae commodum emanato, me authorem solum et unicum Zamoscinae Synodi tantisque eiusdem promotorem impensis, reliquis ne quidem de ea somniantibus, de suspicione (f. 198v) aliquali damnaturus.

Opus Institutionum lucubrandarum arripui solo animarum pretio, anhelique prece Cleri, absque conditione, ut in publicam edendae lucem Summi prius Pontificis probarentur iudicio, qua lege si me obstrictum sensissem, non utique qua obediens, quo non obedientior alter, filius, ad similia descendissem. Vivit adhuc typis Romanis Zamosciana Synodus excussa, abunde quae scribo probans, tit. 2, fol. 61: Statuit Sancta Synodus, ut praeter Catechismum, ad instructionem populi, alter edatur, cura, et studio ipsius Ill.mi Metropolitanus ad erudiendos Parochos lingua vernacula, atque eis constituto certo ac moderato pretio distribuatur. Nil hic exstat quidquam de probatione Romana, quae est cauta paulo infra de Rituali, tit. 3, fol. 64: Id Rituale Ill.mus Metropolitanus componi, et a S. Sede Apostolica approbatum imprimi, ac distribui aequo pretio, pro suo pastoralis studio curabit. Non est itaque cur hac de causa, Synodo justificatus Zamosciana, aliqualem ingesserim Vestrae Excellentissimae Dominationi perturbationem, nec enim taliter festinus esse volui, ut terminos antiquos, quos posuerunt Patres mei, non transgressus pedes offendam, ab adolescentia Romae, quantum meae fuerat tenuitatis, et eruditus et enutritus, adeoque, quae hauri effudi, quae suxi (f. 199) sitientibus propinavi, nec in privato mei sensus doliolo, sed in publico, quia Romano expressa Torculari dogmata exhiberi curavi, quae cum consentanea sint Zamoscianae Decretis Synodi, non ea possunt esse dissentanea, palam omnibus facere; aequale enim Zoilo committerem mendacium, menti usum arguendo in his, in quibus despero me fore desuper arguendum, imo de doctrina propinata, quod sit de limpidis Magistrae Romanae fontibus hausta, si non laudandum, certe nec vituperandum auguror. Opus vulgatum, si sit accelerare possibile, mittetur Romam per Reverendum Superiorem Polocensem,²³⁵ brevi in Procuratorem a Provincia instituendum, quod si ante abitum eius maturari eiusmodi nequeat negotium, operae pretium erit, illud idem manibus Domini Archiepiscopi Polocen., Romam iter parantis,²³⁶ consignare, qui et suam dicat causam, et meam satis enormiter laesam ab ignoto homine (: nec enim unquam Zoilo nomen fuerat:) deducat innocentiam, me denique semper parato ad obtemperandum animo Sanctissimae exponat Beatitudini, cum excoqui ad purum, si quae impura, quod non speraverim, reperta fuerint, fecerit, ac me bene digesta servare, minus cocta egerere de meis iusserit lucubrationibus, quas ad manus Excellentissimae Vestrae Dominationis omni procul dubio (f. 199v) transportassem, nisi onus operis, postae ferendum beneficio gravius advertissem, et molestius iudicassem, ne interea impurgatus in hoc

²³⁵ Fortasse agitur de Patrio Zyravskyj, Procuratore in Urbe (1726-1729).

²³⁶ Florianus Hrebnyckyj, Archiepiscopus Polocensis (1716-1762), qui Roman se contulit ut Causam promoveret cum PP. Societatis Jesu Polocensibus de recuperandis bonis Ecclesiae Polocensis, olim a Stephano Bathory, Rege Poloniae, Collegio Polocensi Soc. Jesu donatis. Romanae usque ad annum 1730 permansit, sed nihil obtinuit.

quoque maneam Regno; mittere ad puncta Zoili,²³⁷ de Summula Casuum excerpta, per ignorantiam tapata, ab uno de meis intimis acharibus mihi communicata, responsa satis adaequata et de taxa meliori, magis catholica, congruum aestimavi, ut de utrisque Excellentissima quoque Dominatio Vestra, an Zoilus delator aequus, an ego zelator salutis iniquus fuerim, iudicii capere possit mensuram. Excuso prolixitatem et penes insinuationem mei ipsius maneo

Ill.mae, Excellentissimae, et Rev.mae Dominationis Vestrae Servus humillimus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus
Russiae (m. pp).

Rutae, d. 26 Augusti 1725.

93.

Ruta, 7 . IX . 1725.

De confirmatione Synodi, nec non de obiecta sibi publicatione Catechismi, et de causa P. Wietrzynskyj.

APP, *Scrit. rif. n. Congregationi Particolari*, vol. 68, f. 152.

Eminentissime, Celsissime, ac Reverendissime Princeps,
Domine, Domine, et Mecoenas Amplissime.

Proxima abhinc Cursoria didici e literis Excellentissimi Domini Nuntii in Regno Poloniae, quod fuerim delatus a criticis nonnullis censoribus ad Sacram de Propaganda Fide Congregationem, quasi extraditas, Zamosciana Synodo indictas extradi in Cleri spirituale commodum, lucubrationes implevissem erroribus, qui possent offendere aures hominum doctorum, rudes vero de facili in eosdem inducere, ac pertrahere. Idiotae huiusmodi hominis ut innotescat prava doctrina, curabo de idiomate slavonico quantocyus in latinum transferre, iudicio Sacrae Congregationis mittendum, interea quae Censor Zoilus annotare in eis aures offendentia, ea cum meis visum est mittere responsis, quatenus ex iis, an censor sit pravus in iudicando, ego iniquus in scribendo, Sacra queat Congregatio iudicare.

Religio Basiliana anhelu singultu praestolatur Decretum, cum aufugo Maximiano Wietrzynski, nec enim ita facile ad tempus definitiva Tribunalis Apostolici sententia Protoarchimandrita institutus²³⁸ Ordinem regere poterit, quam rexisset per Capitulum electus Generale, quod indicere, absque Romano cum Apostata praetacto Decreto, nemo est qui posse dicat; expeto proinde, ut consulendo labentibus Ordinis Basiliani rebus, maturata quantocyus succurratur sententia. Exhibitorem denique praesen-

²³⁷ Zoilos, genere Amphipolitanus in Macedonia, grammaticus III saec. ante Christum natum, notus crisi operum Homeri nimis aspera et adversa; exinde denominatus « Homeromastix » (Plutarchus). Metropolita sumit nomen hcc ad denominandum auctorem « adnotationum » in opus suum, quae nimia notantur severitate.

²³⁸ Reintegratus anno 1723.

tium pro Procuratoria expeditum Romana,²³⁹ me ipsum totamque Unionem pristinae insinuans benevolentiae, penes sacrae osculum purpurae maneo

Eminentissimae, ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae Domini, et Mecoenatis Amplissimi

Servus humillimus, et Exorator continuus
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius
Russiae (mpr).

94.

Rutae, die 7 Septembris 1725.

Ruta, 12 . IX . 1725.

Ne Ordo Basilianorum obligetur ad solvenda debita Romae contracta ab ex Protoarchimandrita M. Wietrzynskij.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 9-10.

Sanctissime, ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula imis plantarum Sanctitatis Vestrae defixa. A senis circiter annis Ordinis Basiliani Proto Archimandrita, Maximianus Wietrzynski, primo a Capitulo Generali Proto Archimandria destitutus, Sacrae vero Congregationis Decreto, ob mancum, uti assertum est, Processum restitutus, praeter enormissimam vitam, omnibus splendoribus Religionem Basilianam, et singulariter Monasterium Borunense spoliavit, plus quam sexaginta millia damnificando, iamque abiecta sancta fide, omnium sensu, tum a fide tum a Religione Apostata effectus. Haec dum hic in Polonia aguntur, Sacra de Propaganda Fide Congregatio ab eodem Romae contracta debita, exigit exsolvenda per Religionem Basilianam, quae talibus stantibus rebus, cum sit impar debitis exsolvendis, adgeniculata pedibus Sanctitatis Vestrae, clementiam petit, ne ad similia adigatur, praecipue cum eiusmodi debita illis debeantur Personis, quae Romae contra eandem egerunt, etiam dissona de veritate, probitate eius, integritate testimonia perhibendo. Miserere pauperis huius Religionis (f. 10), Beatissime Pater, quam et damnis Apostata praetactus affecit, et vita sua reddidit infamem; ego vero finio libellum pro Religione supplicem in eo, a quo caepi, Sanctitatis Vestrae pedum osculo maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini Clementissimi Scabellum pedum, et indefessus, cum toto Clero unito Roxolano, Exorator

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Rus. (mpr).

Rutae, die duodecima Septembris, Anno Domini 1725.

95.

Ruta, 13 . IX . 1725.

De eodem negotio Ordinis Basiliani solutionis debitorum ex Protoarchimandrita.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 153.

²³⁹ Patritius Zyravskij (1726-1729).

Eminentissimi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes, S. R. E. Cardinales,
Domini, Domini et Mecoenates Amplissimi.

Adstrictus mandato decretorio Excellentissimus Dominus Nuntius in Regno Poloniae exigit a Religione Basiliانا, quatenus sub poena sequestrationis bonorum debita contracta Romae per Apostatam Maximianum Wietrzynski ²⁴⁰ refundat, ad quae refundendo quoniam omnino Ordo Basilianus, stante magnae quantitatis spolio per eundem Apostatam facto, se esse agnoscit incapacem; per Exhibitorem praesentium, Romam pro Officio Procuratoris ordinatum, clementiam appellat Eminentissimarum, et Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum, quatenus reddatur immunis ab exsolutione eiusmodi intimata, praecipue cum ea debita sint contracta per praefatum apud eos, qui eundem manutenendo etiam ficta de integritate eius vitae, ac probitate morum exhibuerunt testimonia, ac proinde non levem ansam dederunt, ut officio reintegraretur, ac reintegratus, et maiorem scandalosioreque pareret de sua vita infamiam, et ingentem secum abduxerit, de monasteriis Ecclesiisque spoliatis, praedam. His petitis ad plantas Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum depositis, ac uniuscuiusque sacrae purpurae suavi osculo infixio, maneo

Eminentissimarum, ac Reverendissimarum Celsit. Vestrarum

Servorum infimus, et Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

96.

Rutae, die 13 tia Septembris 1725

Volodymyr 7 . XI . 1725.

Intercedit in defensionem monasteriorum, a non Unitis occupatorum in Serbia.

APF, *Srit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 651, f. 58rv.

Emin.mi, Celsissimi, ac Reverendissimi Principes,
Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi.

Ex oris longinquis Regni Serbiae supervenit ad me nudius tertius Pater Stephanus Ulloynovitz, Religiosus Basilianus unitus, miseram inibi Unionis Sanctae enarrans sortem, qualiter Schismatici, post obitum Petri Episcopi ultimi et immediati Regionis illius,²⁴¹ Romae ad Aedes Sacras Divi Athanasii in Episcopum consecrati, Monasteria unita viginti, seorsiva specificata Scheda, deoccupaverint, iisdemque Unitos Catholicos spoliaverint; Miser ille cum suis Religiosis unitis impotens Augustissimam Imperatoris Romani adire Curiam, longissimum ad me suscepit iter, succursum petiturus; ego vero felicior non advertens ad succurrendum viam, praeter Sacerrimam de Propaganda Fide Congregationem, cui haereditarium est, in calamitate positus prodesse rebus, tunc singulariter, cum de dilatanda agitur fide, eandem arripio, literalesque ad Eminentissimas Vestras Celsitudines moveo gressus, quatenus non labentibus, sed iam lapsis Unionis rebus in Serbiae Regno veniant in succursum, prodeant in adiutorium expetendo. (f. 58v) Illud porro efficacius certe esse non pote-

²⁴⁰ Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

²⁴¹ Petrus, Episcopus; fortasse agitur de Episcopo Vicario Platearum.

rit, quam ut Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Clementissimus, Augustissimum Imperatorem Romanorum,²⁴² de Unionis inibi tuitione, Monasteriorumque restitutione Brevi suo Apostolico interpellat, Dominos vero Eugenium Principem, Primatem, tum Regni Hungariae Cancellarium, quatenus eundem ad eiusmodi Opera Catholica Unitis exhibenda inflamment, commonefaciat. Cuncta, quae peto, non mea sunt (: cum et in alieno, et in longinquo maneam Regno:), praeter fidem, quae maioris certe curae est, et melioris sollicitudinis Eminentissimis Celsitudinibus Vestris prae me, omnino ad succurrendum impotente. Uniuscuiusque denique sacrae fimbriam purpureae dulcis attractans osculi libamine, maneo

Eminentissimarum, et Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum

Servus humillimus, et Exorator indefessus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Vladimiriae, die 7 Novembris, Anno 1725.

(f. 59) Regestrum Monasteriorum Unitis ademptorum a Schismaticis in Rascia seu Slavonia:

Grabovicense, Crewicense, Goeminense.

Lipovinense, Marcense, Ractense, Anense, Gradzicense, Cowinense.

In Regno Serbiae:

Oповense, Crusedense, Verdnicense, Igracense, Szyzawatowicense, Ledincense, Racovcense, Bodanense, Cobilense, Monostrovence, Prilino Capitense, vulgo Prijbina Glowa.

97.

Ruta, 4 . II . 1726.

Nominatio Coadiutoris Metropoliae in persona Floriani Hrebnyckyj

AFP, *Scrit. ri f. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 331.

Leo Kiszka, Dei, et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis, totiusque Russiae, Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis, Archimandrita Kijovo-Peczarensis, et Suprasliensis.

Universis, et singulis, quorum Praesentes intererint, salutem in Domino. Memores quomodo antea retro temporibus post decessus Archiepiscoporum Metropolitanorum totius Russiae, non adscitis sibi superstitute vita Coadiutoribus, bona Ecclesiae Metropolitanae, mobilia et immobilia, per diversi status Personas tum ecclesiasticas, tum saeculares, adeo direpta extiterint, ut ne per quinquennium quidem pristinae poterint per successores redintegrari, et restitui perfectioni, ne dolendo aliorum posteris exemplo non provisam Coadiutore relinquamus Metropoliam, in animum induximus nostrum providere, veluti praesentium providendo contextu sana mente et corpore existentes, spontaneae, libere, et deliberate Ill.mum et Reverendissimum Dominum Florianum Hrebnycki, Polocensem ²⁴³ etc. Archiepiscopum, nobis a juvenili sua

²⁴² Carolus IV (1711-1740).

²⁴³ Archiepiscopus Polocensis (1716-1762). Coadiutoriam hanc tamen non obtinuit, quia anno 1728 Metropolita sibi alium assumpsit, Athanasium Szeptycky, Episcopum Leopoliensem, qui ei anno 1729 in Metropolia successit. Hrebnycky, tantummodo post obitum Szeptycky (1746), Metropoliam Kioviensem obtinuit, per electionem Episcoporum.

aetate de moribus, doctrina, exemplarique vitae probitate apprime gnarum, in Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae Coadiutorem, cum futura succedentibus fati successione, adsciscimus, et adoptamus, praevia a nobis obtinenda Sanctae Sedis Apostolicae roboratione.

In quorum fidem etc. Datum Rutae, die 4 Februarii, 1726 Anno.

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae, Episcopus
Vladimiriensis, et Brestensis (mpr).

JOSAPHAT JACHIMOWICZ, O. D. B. M., Arch. Grod., Audit. Causarum
III. Metrop.

NICOLAUS LASZCZEWSKI, suae Illustr. Excell. ac Rev. mae Celsit.
Notarius

98.

Volodymyr, 19 . II . 1726.

Commendantur negotia Archiepiscopi Polocensis ad Urbem proficiscentis.

APF *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 13rv.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Revd. mi Principes, S. R. Eccl. Cardinales,
Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi

Supervacaneum existimo, si non nostros, Antecedaneorum certe nostrorum, circa Ecclesiam Unitam dilatandam augendamque effusos etiam cruentos sudores ad calculum redigere, cum hi satis luculenter, in effuso Divi Josaphat Martyris pro Unione truncati,²⁴⁴ caeterisque plurimis, postremo tandem in Polocensibus novis Martyribus,²⁴⁵ palpebris Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum sese obvolvant, illud certe praeterire nequeo, Russiam Moschis viciniorem, Polocensem duntaxat, et Vitebscensem Tractum omni destitui Seminario, ac de consequenti universo carere ad propulsandos Disunitos Operariorum praesidio. Ea perrexit de causa Dominus Archiepiscopus Polocensis ad Urbem, praestolaturus non quidem nova aliqua Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum auxilia, sed ut ad pristina nulliter erepta redeat, humillime petiturus. Antecedaneis eius Serenissimus Rex Poloniae Stephanus,²⁴⁶ contra ter iuratam fidem restituendi bello acquisita ei, cuius in antecessum fuerant, bona Monasteriorum Russiae, non illis, ast Patribus Societatis, non Regalia, neque propria, sed pure Terrestria, et quidem sumptibus Archiepiscoporum coempta, donavit, absque Consensu Ordinum, quamvis nec talis de alieno sufficeret consensus. (f. 13 v.) Ab Oraculis itaque Vaticanis mendicat ea Dominus Archiepiscopus Polocensis, quae non potuit in Patria, scilicet ut ad ea, quod ei, omni adinvenibili titulo, et iure debentur, reintroduci; post eum ego praesenti mea comitor interpositione, omni, qua par est quin etiam omni possibili, prece, et reverentia exposcendo, ut penes ea, quae propria eius

²⁴⁴ Die 12 Novembris 1623, Vitebsci. Beatorum Cathologo adnumeratus ab Urbano VIII, anno 1644.

²⁴⁵ Agitur de caede Basilianorum in Polock anno 1705, mense Julio, a Petro I, Caro Moscoviae. Cfr. hac de re s. d. *Diarium in Epistolis Metropolitanae Leonis Zalenskyj, et Continuationem Diarii*, in *Epistolis Leonis Kiszka* (cfr. supra).

²⁴⁶ Stephanus Bathory (1515-1586).

erant, manuteneri, et conservari possit. Uniuscuiusque demum sacrae fimbriam purpurae dulci delibans basio, maneo

Eminentissimarum, ac Rev.marum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum, et Me-coenatum Amplorum

Servorum infimus, et Exorator perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram Vladimiriensem, die 19 Februarii 1726.

99.

Berestj, 4 . III . 1726.

Supplicat de protectione in recuperandis bonis Ecclesiae Kioviensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia, e Ruteni*, vol. 5, f. 20-21.

Sanctissime, ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Sanctitatis Vestrae pedibus dulciter infixis. Cum iam in Regno Poloniae spes affulgeat nulla vindicandorum Ecclesiae Bonorum, Grodek et Obarow nuncupatorum, imo quod in antecessum clam et clanculo, nunc palam, et libere Primores aliqui, non obstante Brevi Sanctitatis Vestrae ad Serenissimum Poloniae Regnantem inclament, bona dicta alteri in Comitis Generalibus proxime imminentibus, Constitutione formanda, tradenda, et applicanda, non vero mihi, conformiter ad corporale iuramentum de vindicandis avulsis, cum erogatione plus quam quinquaginta millium, quibus iam alia similia bona comparari possent, vindicatori. Proinde, abiectis Regni Iudiciis minime Causae Ecclesiasticae propitiis, eandem ad Apostolica direxi Oracula, quae pro Patrimonio Christi avulso Vicaria eiusdem militent Potestate. Prociduus ergo, adgeniculatus, imo prostratus Sanctitatis Vestrae Domini mei clementissimi plantis, expeto omni adinvenibili (f. 21) praemissa humilitate, quatenus dictam Causam desiderato coronare imperet, in sortem Ecclesiae Unitae sibi semper obedientissimae, eventu; quem praestolando, in eodem a quo inchoavi apostolicarum osculo plantarum, supplicem termino libellum, et maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini Clementissimi

Scabellum pedum, et Exorator continuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae totius (mpr).

Ad Cathedram Brestensem, die 4ta Martii 1726.

100.

Berestj, 4 . III . 1726.

Eiusdem argumenti: de bonis recuperandis.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia, e Ruteni*, vol. 5, f. 15.

Eminentissimi, Celsissimi, ac Rev.mi Principes, Domini,
Domini, et Meconates Amplissimi.

Gravi damno, plusquam quinquaginta Millium, pro vindicatione avulsorum Ec-

clesiae Unitae Bonorum amissorum in Judiciis Regni Poloniae saecularibus, cum iam extra spem consequendi maneam effectus, ad propitia semper curro pro justitia Oracula Vaticana, quae sauciatae tot annis Causae efficacem adhibeant medicinam, praecipue cum nonnulli Primores Invasoribus sanguine iuncti in Comitibus Generalibus proxime venturis Grodnae, ad alienas dicta bona Grodek, et Obarov, solo vindicationis odio, intendant derivare manus; imo, quod maximum est, quod magis impium cogitari non potest, intimatis Romam remediis iuris, mihi ad Tribunal Regni Lublínense citationes tradere, quod ad incompetens Forum huic Causae Romanum dictam evocaverim Causam, enituntur, proinde Sanctissimo Domino Nostro, Domino Clementissimo, quod non sit de bonis Ecclesiae avulsis competens Iudex, obicere non verentur. Hanc ego Patrimonii Christi Causam in sinum gratiarum Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum repono, et uniuscuiusque sacerrimae fimbriam dulci delibans osculo, maneo

Eminentissimarum, et Revd.marum Celsitudinum Vestrarum

Servorum humillimus et Exoratur perpetuus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (impropria).

101.

Berestj, 4 . IV . 1726.

De bonis ecclesiasticis recuperandis ab invasoribus.

APF, *Scrít. rif. n. Congressi : Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 19.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

In gravaminibus, quae invidiosa Patrimonio Christi malevolentia infert, non alio duxi recurrendum, quam ad S. Sedem Apostolicam et protectionem Excellentiae Vestrae. Bona Ecclesiastica Archimandriae Kijoviensis, dicta Grodek, et Obarow, iniuste a quibusdam Laicis possessa, vix magnis impensis vindicaveram ante annum elapsam, quae vindicata et possessa iterum nullo iure et violenta manu Princeps Lubomirski, Metator Castrorum Regni, deoccupavit, et Religiosos in illis degentes expulit. Supplico itaque demississime per Breve²⁴⁷ Apostolicum recommendari hanc Causam Regi Serenissimo et Celsissimo Primati Regni et, vel maxime, Excellentissimo Domino Nuncio, ne permittant praedicta bona alienari ab Ecclesia per Comitibus Regni, in quibus alienationem illorum minantur malevoli. Causam hanc et me ipsum protectioni recommendans maneo

Illustrissimae, Excell.mae ac Rnd.mae D.nis Vestrae

Servus humillimus

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (impropria).

Datt. ad Cathedram Brestensem, die 4 Aprilis 1726.

²⁴⁷ In nostra Collectione Brevium deest hoc Breve; non nobis constat, an revera Romae exaratum fuit.

102.

Volodymyr, 22 . X . 1726.

Commendat negotia ecclesiastica Archiepiscopi Polocensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 329.

Eminentissime, et Reverendissime Domine,
Domine et Mecaenas Amplissime.

Praeter debilitatem virium mearum, tum ex senili aetate tum ex continuis (:absit gloria verbo:) a iuventute mea in Ecclesia Dei laboribus Sanctae Sedi Apostolicae semper notis provenientem, sicut me ad petendum a Sancta Sede Apostolica Coadiutorem specialissime movet inevitabile subsequendum (:prout continua inhucusque edocet praxis:) bonorum Metropoliae, tam mobilium quam immobilium, direptionis, ruinae, et devastationis periculum; ita quod haec eadem ratio (:penes supplicia petita mea:) Sacram Eminentiarum Vestrarum Congregationem, uti singularem Ruthenarum cum Sacra Romana Ecclesia Unitarum protectricem, ad dandam specialem Domino Archiepiscopo Polocensi, electo a me in Coadiutorem,²⁴⁸ hoc in passu protectionem, et Sanctissimum Dominum Nostrum, ad benigne annuendum votis et supplicationi meae commovebit, non dubito. Et ut hanc pro bono publico, utilitate, et incremento Unionis Sacrae gratiam assequar, enixe supplicans, intra profundissimam venerationem, sacraeque purpurae osculum maneo

Illustrissimae, et Reverendissimae Celsitudinis Vestrae, Mecoenatis mei Amplissimi

Servorum infimus, et perpetuus Exorator

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr).

Datum Vladimiriæ, die 22 Octobris, Anno 1726

103.

Beresjtj, 20 . XI . 1726.

De decidendis quibusdam negotiis ecclesiasticis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, f. 71.

Eminentissimi, Illustrissimi, ac Celsissimi Principes, S.R.E. Cardinales,
Domini, Domini, et Mecoenates Amplissimi.

Casus conscientiae ruthenos, et latinos, per Dominum Nuntium in Regno Poloniae a me requisitos, nomine Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, transmittio, ut censuram apponant Eminentissimae Celsitudines Vestrae, quid vituperio, quid laude dignum sit, a me semper observandum; ego vere nihil in iis reperiri autumo quod non sit consonum Sanctae Matris Ecclesiae Romanae Doctrinae. Unum est quod a Beneficiis nonnulli Episcopi, antiqua Praxi, (:ego vero maiori scrupulo nunquam similia protendi:) volunt aliqua participandi, et hoc interesse inter desideria ²⁴⁹ in Synodo Zamosciana pro decisione Romana inseruerunt,

²⁴⁸ Cfr. supra, nota 243.

²⁴⁹ Cfr. supra, sub dat. 27. IX. 1720: *Desideria ...*

nec in hucusque Resolutionem obtinuerunt Apostolicam, quam etiamnum plena expectant cum submissione, cum non sit ratio dispar, cur illi, et non Domini Episcopi latini hac priventur gratia, cum sint pauperrimi, dispensatos quoque non videntur excludere possibilitatem, cum SS. mus Dominus Noster, Dominus Clementissimus, possit extra omnem controversiam dispensare in his, quae sunt de Jure Ecclesiastico, et quae sunt simoniaca, quia prohibita, non vero prohibita, quia simoniaca. Expecto avidissime Decisionem Sanctae Sedis Apostolicae, eam obedienti animo Dominis Episcopis, ut observetur, pro palaturus. Maneo interea penes osculum uniuscuiusque purpurae sacrae fimbriarum,

Eminentissimarum, Illustrissimarum, ac Reverendissimarum Celsitudinum Vestrarum

humillimus Servus et continuus Exorator

LEO, Metropolitae Russiae (mpr).

Brestae, die 20 Novembris, 1726 Anno.

104.

Berestj, 1726.

Supplicat pro confectione Brevium commendationis ad Regem Poloniae.

APF, *Srit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 18.

Emin.mi ac Rev.mi Domini.

Metropolitanus Russiae Orator humilissimus exponit EE. VV. quomodo Bona Ecclesiastica, dicta Grodek et Obarow Archimandriae Kiovio Peczarensis magnis impensis ab Illustribus Possessoribus per ipsum vindicata et possessa iterum nullo iure, et violenter Excell. mus Princeps Georgius Lubomirski, Metator Castrorum Regni, deoccupaverit illaque bona penitus ab Ecclesia dicta alienare intendit, et alii Magnates conspirant cum eo in Comitibus Generalibus Regni per Constitutionem illa bona ab Archimandria, et Ecclesia abstrahere, et amovere; supplicat itaque humillime praedictus Orator, quatenus per Breve Apostolicum recomendatur Serenissimo Regi,²⁵⁰ et Celsissimis Nuncio Apostolico, et Primati Regni, ut non permittant quidquam statui in praedictum Ecclesiae, et Ritus Graeci uniti in Comitibus Regni, et alienationem illorum bonorum impediunt, donec haec causa decidatur in Urbe a S. Sede Apostolica, ad cuius iudicium citatus est praedictus Dominus Lubomirski. Quam Deus etc. etc..

105.

Sienovia, 12. II. 1727.

Describit difficultates Nuntii Apostolici in Regno Poloniae eiusque modum agendi laudat defenditque.

ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 146, fol. 162-63.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domini, Domine Clementissime.

²⁵⁰ De emissionem Brevis non nobis constat.

Post oscula imis plantarum Sanctitatis Vestrae impressa profunde. Quantas in fama laesiones? Quantas in verbis pressuras? innocue Excellentissimus Dominus Nuntius Apostolicus Sanctitatis Vestrae ²⁵¹ nuperrime in Comitiiis Regni Generalibus, Grodnae anno proxime elapso celebratis, perpressus fuerit, quamvis iam de his notificatam fuisse Sanctitatem Vestram, Dominum meum Clementissimum, non vano intelligam augurio, nihilominus mei quoque id arbitror muneris esse, doloris Vicarii eius per Poloniam, supremum in Ecclesia Dei arbitrum facere certiozem. Is ad ea devenit, quae ab incunabulis fidei sanctae orthodoxae in Polonia nunquam in praxi habita fuerunt, super enim gloria Polonorum consistebat in eo, ut auctoritatem Nuntiorum Sanctae Sedis Apostolicae exceperint omnino reverenter, nunc fato quopiam degeneres a zelo atavorum suorum, nullo titulo et praetextu Antistitem Apostolicum, exemplum ac exemplar omnium propemodum virtutum, vita insigni conspicuum, praeclaris bonisque morum encomiis ornatissimum, nulliusque conscium culpa, nihil quod in eo redoleret habentem, palam et in publica Reipublicae facie condemnarunt, contra eum publicam Legationem ad Sanctitatem Vestram, Dominum Clementissimum, magnis institui expensis, ac universa haec actis publicis nunquam delenda, sed semper dolenda per Regnum cum infamia spargenda dispergi, imo ad Regni Archivum reponi parum religiosa curarunt sollicitudine, ut serae fiat in propatulo posteritati, sive fuisse aliquando talem Pontificis Summi (f. 162v) Nuntium in Polonia, qui revocationem a Polonis mereretur, sive extetisse, quod certius autumo, tales hisce temporibus Polonos, qui in publicis consiliis suis, praesentibus Gallorum, Suecorum, Moschorum, Prussorum, Hollandorum, Caesaris Turcarum et Tartarorum, ac Anglorum Legatis, Antistitem tantum per om(nia) innocuum revocationis poena dignum nulliter proclamaverint, et odiis suis supum metamque quasi nemo fuerit ad quem dirigerentur iacula exposuerunt in praemium deservitae huic Regno mercedis, imo, quod maximum est, mox post Comititia, immemores Bullae Caenae Domini, similia tentari vetantis ac inhibentis, vi coactiva apostolicam iudicandi subtraxerint potestatem. Origo huiuscemodi ausus est antiquissima inter Summos et Maximos Pontifices ac Polonorum Reges de iure patronatus Regii controversia, super quod punctum cum Excellentissimus Dominus Nuntius Apostolicus neque consensisset, neque de solo consentire, sive assentiri potuisset, ad eam attigit circa intantatum famae, in qua nu(per) est, laesionem, quanquam pro eo punibilem reddi, quod quis id praestare nolit, quod praestare non potest, quis unquam confitebitur, vel audacter asseret. Secundum, et quidem frequentius est, quod Excellentissimus Dominus Nuntius recurrentes Ecclesiasticos, pro oppressione sui a Nobilibus, non dimittat inanes, sed de plenitudine iustitiae in unumquemque distribuatur recurrentem, proinde a Nobilibus, eiusmodi aegre ferentibus iudicia, nimias dilatari phylauterias iurisdictionis apostolicae inculpat; quia vero ea est Nuntiorum terrestrium potestas, ut si quid iis et ab iis statutis negetur in Comitiiis, licitum est etiam (f. 163) uni solique Nuntio terrestri Generalia dissolvere Comititia, si quid vel minimum quod ei placuerit non permittatur, ut omnibus etiam invitis placeat constitutionibus inserendum, quod et nunc factum est, cum peti iussa est revocatio, ideo quia Excellentissimus Dominus Nuntius punibiles reddit delinquentes. Universa haec sub fide, honore et conscientia praesentium

²⁵¹ Vincentius Santini (1721-1728).

contextu attestatus, acclini iterum cervice sanctis Vestrae Beatitudinis plantis expono et ut Excellentissimus Dominus Nuntius pristinae restituatur potestati effato Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, ut bene sit Ecclesia, ubi audiuntur leges, nec iudices vilipenduntur, lex vero publica laesiva nimis iurisdictionis apostolicae eliminari iubeatur de constitutionibus iniuratis, enixe peto et maneo penes iterata oscula pedum.

Sanctitatis ac Beatitudinis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi.

Cum supervenero, auxiliante Domino Deo et me supervivere ordinante, diebus immediatis Augusti, plura de hac actione disseram Sanctissimo Domino Nostro, Domino Clementissimo.²⁵²

Scabellum pedum et continuus cum universo clero Exorator.

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (m. p.).

106.

In Volhynia, 1727.

Accusationes Episcopi Luceoriensis latini ex parte Metropolitanae et Parochi Branscensis.

APF. *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 5, f. 160-161.

Extractum querelarum delatarum ad Tribunal Nunciaturae Apostolicae ab Ill.mo Domino Leone Kiszka, Metropolitano totius Russiae, contra Ill.mum, et Rev.mum Dominum Stephanum Rupniewski, Episcopum Luceoriensem, et Brestensem.

1mo: Quod Iudices Consistoriorum Luceoriensis, et Brestensis non permittant Parochis Rutheni Ritus citare coram se Nobiles saeculares, et Ecclesiasticos latinos; quod ipsemet Ill.mus Episcopus eosdem iustitiae administrationem postulantes aspere dimittat, et expellat contumeliisque afficiat, ipsique Ill.mo Metropolitanae verbis non parcat.

2do: Quod Ill.mus Dominus Episcopus Parochis Rutheni Ritus Villarum Chotiaczow, et Rokozanij fundos ad eorum Ecclesias pertinentes usurpet, incisionem lignorum interdicat, eorumque uxores, et filias ad suas Curias duci iubeat, et in carceribus detineat.

3tio: Quod contra dispositionem Decreti S. M. Papae Urbani VIII, transeuntes de Rutheno ad Latinum Ritus Ill.mus Dominus Episcopus humaniter excipiat, laudet, et foveat, et adducitur exemplum Incolae Civitatis Kowel, cuius nomen non exprimitur.

4to: Quod Ill.mus Dominus Episcopus miserit ad ecclesiam Ruthenam Oppidi Niesukocze Canonicum Oranscium, qui abstulit ab eadem Ecclesia Imaginem Beatissimae Virginis, suppellectilem argenteam, et tabulas votivas non mediocris pretii, quae Imago tametsi restituta fuerit, supellex tamen argentea (f. 160v) et tabulae votivae adhuc retinentur.

5to: Cum Pascha Ruthenorum cadit in diem diversam a Paschate Latinorum, Ill.mus Dominus Episcopus interdicit Ecclesiis Ruthenis, et praesertim Ecclesiae Cathedrali pulsum campanarum, quod tendit in diminutionem Cultus divini, Gentique Ruthenae scandalo est.

²⁵² Tum Metropolita tum Pontifex supervixerunt usque ad annum 1730 primus, ad annum 1728 alter.

6to: Quod Ill.mus Dominus Episcopus gratis, et cum iniuria totius Ritus receperit testimonium a Magnifico Skowronski super eo, ac si unus Parochus Ruthen; Ritus dixerit, septuaginta millia filiorum Presbyterorum Ruthenorum parata esse ad Polonos debellandos.

Parochus Ruthenus Branscensis tria haec praeterea proponit contra Parochum itidem Branscensem latinum, Dioecesis Luceoriensis.

1mo: Quod nunquam permittatur in Ecclesia Ruthena pulsus campanarum pro Matutino, Sacro, aut precibus vespertinis, nisi post pulsum campanarum Ecclesiae Latinae, et dum semel accidit campanas prius pulsatas fuisse in Ecclesia Ruthena, quam in Latina, Parochus huius Ecclesiae in Ministrum Ecclesiae Ruthenae cum baculo insurrexit illumque graviter percussit.

2do: Quod licet nec de iure, nec de consuetudine ex fundis Ecclesiae Ruthenae Parocho latino decima debeatur, illam (f. 161) tamen sibi denegatam per vim accipit, et eosdem fundos invadit, et in casu resistentiae, et oppositionis minatur percussione.

3tio: Quod Altarista Ecclesiae Latinae ex quo iuvenis cuiusdam Rutheni Ritus, ex scholis reducis confessionem audivit, dum eius cadaver ad Ecclesiam Ruthenam de more duceretur, tumultum excitavit cum baculis, et fustibus Caemeterium invasit, et in hoc tumultu cadaver ex feretro decidit in terram, ianuaeque Ecclesiae Ruthenae ad sedandum tumultum claudi debuerunt, etc. etc...

107.

In Volhynia, 1727.

Responsiones Episcopi Luceoriensis latini ad obiectiones Metropolitanæ Kioviensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia, e Ruteni*, vol. 5, f. 162-163v.

Extractus Responsionum Ill.mi et Re.mi Domini Episcopi Luceoriensis²⁵³ ad singula Capita accusationum seu querelarum Ill.mi, et Rev.mi Domini Metropolitanæ totius Russiae.

Ad primum caput.²⁵⁴ Negat non concedi Parochis Ruthenis citationes a Consistorio Luceoriensi et Brestensi, iisque iustitiam postulantibus non administrari. Producit epistolas tum Ill.mi Domini Metropolitanæ, tum Ill.mi Wyhowski, Episcopi Luceoriensis Rutheni, in quibus de administrata, et administanda dictis Parochis iustitia agitur. Producit item testimonium Notarii sui, fidem facientis non solum quod nullum acceperit Mandatum de non concedendis Parochis Ruthenis citationibus, sed insuper quod plurimas citationes dederit. Fatetur se nonnunquam verbis insurrexisse in Parochos Ruthenos, atque in ipsummet Ill.mum Metropolitanam, at eo solum fine eos corrigendi, et Ill.mum Metropolitanam inducendi ad illorum correctionem, atque enumerat ea, in quibus et ii, et ipse deficient.

Ad 2dum. Probat literis Ill.mi Metropolitanæ, diei 26 Februarii anni 1725, quas

²⁵³ Stephanus Rupniewski (1721-1731).

²⁵⁴ Agitur de capitibus documenti praecedentis.

sub num. 10 producit, Parochum Chotiacensem Beneficio privatum fuisse ab eodem Ill.mo Metropolita. Fatetur se recuperasse fundos nullo iure avulsos a sua (f. 162v) mensa Episcopali, et a piae mem. Episcopo Luceoriensi Prazmowski nulliter translatos in Ecclesiam Rokozanii. Etsi qui praetendunt liberam in suis silvis incisionem, et eorum ius sibi ostendi postulet, dicit tamen eandem incisionem non abnuere in locis in quibus silvae existunt, non autem illam permittere posse in novis plantationibus, et in virgultis, quibus nec ipse utitur. Demum negat Ruthenos ad suam Curiam ducere umquam fecisse aut carceribus mancipasse, praeter filiam praeteriti Parochi Chotiacensis, ut eam induceret ad cohabitandum cum viro suo, prout induxit, et post paucas horas libertate restituit, atque enumerat Ecclesias Ruthenas, quas fundavit, et fundare meditatatur, deque iis, quae favore Ruthenorum gessit dum erat Canonicus Cracoviensis; in testem adducit Ill.mum Dominum Palatinum Chioviae.

Ad 3tium. Transitum Civis Cowlensis de Ritu Rutheno ad Latinum culpa eius Parochi Rutheni secutum esse dicit. Decretum S. Mem. Urbani VIII se non ignorare, et diligenter observare affirmat. Praetendit Latinos quotidie admitti ad Ritus Ruthenum, et specificat virginem Malinska, quam, spretis contrariis suasionibus Nuntiaturae Apostolicae, Ill.mus (f. 163) Dominus Metropolitae in Monasterio Monialium Ruthenorum Pinscensium permisit profiteri, atque administratorem Bonorum Capitaneatus Luceoriensis ex Dolka Wola, qui etiam si redditioni rationis obnoxius et vinculo matrimoniali obtrictus esset, ex Latino Ritu inter Monachos Basilianos receptus fuit. Ad extremum, quam strenuam operam adhibuerit in extirpanda Secta Philippi nuncupata enarrat.

Ad 4tum: Producit literas M. Tyszkowska, Dominae in Suciore, quibus adductus, commisit Perillustris Oranski, ut de praetensa ab eadem usurpatione Imaginis B.mae Virginis Mariae, facta per Parochum Ruthenum, deque asserta pertinentia illius Cappellae latinae arcensi perquireret. De furto supellectilis argenteae, et tabularum votivarum, suam personam sufficientibus patrimonialibus divitiis affluentem, insimulari conqueritur dictumque Canonicum, ut se purget, per literas convenisse affirmat. Quae demum a Ruthenis ipse Canonicus in eadem occasione passus fuit, exhibitis literis dictae M. Tyszkowska, recensere non praetermittit.

Ad 5tum: Adducit consuetudinem Ecclesiae Cath. Leopoliensis, Camenecensis, et aliarum, a quibus non permittitur Ruthenis pulsus campanarum illis diebus Hebdomadae Sanctae, quibus Latini ligneo crepitaculo utuntur, mirumque sibi vitetur, quod ea in re (f. 163v) Ill.mus Dominus Metropolitae non conveniat cum suis Episcopis Ruthenis, similem prohibitionem aequo animo observantibus.

Ad ultimum: Producto decreto diei 9 Iunii proxime praeteriti, lato in Causa Parochi Zaworoviensis cum Generoso Skowronski, exhibitisque in forma probanti testium depositionibus in ea examinatis, probat eundem Parochum dixisse septuaginta millia filiorum Parochorum Ruthenorum iam conscripta esse ad Polonos debellandos; cumque idem Parochus pro obtinenda ex Actis eliminatione cuiusdam protestationis contra se factae, in qua illud assertum inter caetera contineatur, dictum Generosum Skowronski in Iudicium vocaverit, deduci posse existimat se citationes non negare Parochis Ruthenis, ac in eadem Causa Iudicis, non autem suasoris, aut promothoris partis egisse. Demum de pluribus insimulat Ill.mum D. Metropolitam inter quae haec notabiliora habentur. Quod excessivis contributionibus arceat Schi-

smaticos ab unione amplectenda. Quod pro extirpanda Secta Philippi nullam diligentiam adhibeat. Quod contra prohibitionem Sac. Canonum Bonorum suorum possessionem Judaeis per contractum locationis concedat. Quod permittat Unitos convenire ad festivitates Ecclesiarum schismaticarum. Quod picturas Schisma praeseferentes in Ecclesiis unitis non interdicit, nec amovere faciat. Quod Monialibus suis violationem clausurae et tabernarum frequentationem impune permittat. Quod, demum, Parochis latinis per Ruthenos multa preiudicia in iuribus sepulturae, et in administratione Sacramentorum inferantur.

Ad extremum de iis, quae Praeposito Branscensi obiiciuntur a Parocho Branscen. Rutheno.

Se nihil scire affirmat, ac iustitiae administrationem pollicetur, cum ipse Praepositus coram se, ut fieri debet, citabitur.

108.

Dubno, 26 . V . 1727.

Litterae patentes Metropolitanae Kioviensis in negotio unionis monasteriorum Galiciae et Volhiniae in unam novam Congregationem.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, f. 131.

Nos Leo Kiszka, Archiepiscopus Metropolitanus Kijovien., Halicien. et totius Russiae Unitae, Episcopus Vladimiriensis et Bresten., Kijovo-Peczaren. et Supraslien. Abbas; Josephus De Wyhow Wyhouski, Episcopus Luceorien. et Ostrogien, Exarcha Metropoliae Kijovien.; Athanasius Szeptycki, Episcopus Leopoliensis, et Halicien., Archimandrita Uniovien.; Josephus Lewicki, Episcopus Chelmen. et Belsen, Archimandrita Zydicinen.; Hieronymus Ustrzycki, Episcopus Premislien., Samboren, et Sanocen.; ad Monasterium Dubnense S. Salvatoris congregati,²⁵⁵ vigore Synodi Zamoscien. per SS. D. N. Pontificem modernum approbatae, volendo tum eidem Synodo per nos iuramento acceptatae, et in nostra Provincia solenniter promulgatae, tum singularibus mandatis S. Sedis Apostolicae per Nuntios Apostolicos in Regno Poloniae nobis intimatis omnimode satisfacere, et legem adimplere omni studio et conatu nostro, cum omnibus Religiosis ex Monasteriis Nostrarum Dioecesium congregatis, et coniunctis, adnitebamur Provinciam Russiae in Regno formare, constitutiones conscribere, ordinem in Ordine qua possibile est optimum instituere, et ad antiquam orbitam revocare, et ad novum Provinciale eligendum procedere, ac ad dictam Sedem Apostolicam supplicem ferre libellum, cui novus ille Provinciae Rector subesse debeat in posterum. Ast cum operam manui adiceremus, Rev. dus Proto Archimandrita Provinciae Lithuanae²⁵⁶ cum Consultore et Secretario in eodem consessu comparentes, monasteria satis notabiliter a Provincia Lithuaniae distantia, et ideo in antecessum Provinciae applicata Lithuanae, quia circumsepta undique Disunitorum

²⁵⁵ Capitulum monasteriorum eparchiarum Luceoriensis, Leopoliensis et Peremyliensis ad unionem monasteriorum peragendam, quae tamen ob varia impedimenta locum non habuit usque ad annum 1739, ad s. d. Capitulum Leopoliense.

²⁵⁶ Cornelius Lebeckyj (1726-1730).

Monasteriis, ab unitis Praesulibus Proto Archimandritae Lithuano subiecta, ullo modo ad neo erigendam Provinciam Regni pertineant fortiter obstiterunt, ac pro-resolutione huius Puncti eiusmodi remitti causam ad Vaticana Oracula expetierunt. Nos proinde in universum pro hoc actu evocati Dubnam, prae oculis habentes, quod absque istis Monasteriis difficulter imo nunquam nova possit formari Provincia, cum neque Provinciali locus assignabilis foret, neque Tyrocinio Religiosorum, neque demum Studiis Theologicis aequae ac Philosophicis, Provinciae vero Lithuaniae nihil omnino demeretur, nec ullum sive damnum sive incommodum fieret per eiusmodi Monasteriorum applicationem novae Provinciae, cum abque eo nunquam fere Proto Archimandrita Lithuaniae accederet in antecessum ea dissitissima Monasteria, pro resolutione categorica in favorem et sortem, cui libitum placitumque fuerit, ad S. de Propaganda Fide Congregationem remittimus, mediante remissionis huius ad praemissa Decreto. Datum Dubnae, in Monasterio S. Salvatoris, hac die 26 Maii 1727.

109.

Volodymyr, 20 . XI . 1727.

Supplicat Metropolita ne approbentur acta Synodi eparchialis Luceoriensis Latinorum, Ecclesiae Unitae iniuriosa.

APF, Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni, vol. 5, f. 120rv.

Eminentissimi, et Reverendissimi Domini,
Domini, Patroni et Protectores Colendissimi.

Ad Sacrarium aequitatis, et asylum iniuriatorum, protectionem scilicet EE. VV. recurro nomine meo et totius Collegii Archiepiscoporum et Episcoporum Russiae cum Sancta Romana Ecclesia unitorum, in gravaminibus, quae patimur ab Illustr.mo Domino Stephano Rupniewski, Episcopo Luceoriensi, Ritus Latini,²⁵⁷ qui non tantum honorem nostrum verbis iniuriosissimis coram Personis saecularibus laedit, iurisdictionem convellit, Parochos Ritus nostri ad se non pertinentes iudicando, sed etiam in exterminium totale Ritus nostri in Synodo sua Luceoriae, anno 1726, die 21. 8bris celebrata, insciis nobis Dioeceses et Parochias nostras ferme omnes, in quibus solus Populus Ritus nostri Rutheni manet et a prima sua foundatione ad Episcopos et Parochos Ruthenos spectabant, cap. 31: de Eccles. et Praesb. Ritus Uniti, illa Synodo inseruit, ac si pertinerent ad suam Dioecesim et Parochos Latinos et (pro) approbatione eius Synodi Auditorem suum in Urbem misit, ut post approbationem quasi ex Beneplacito Sedis Apostolicae Dioeceses et Parochias nostras suae Dioecesi appropriare possit. Ruthenos unitos, praecipue doctiores et in scholis Luceoriensibus studentes contra Decretum EE. VV. et Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII, ad Latinum Ritus trahit. Et certe si licebit Ruthenis transire ad Ritus Latinum, Unio Sancta penitus deficiet, non sine iactura fidei s. catholicae, cum Uniti tot tantique anterioribus annis transierint ad Ritus Latinum; quae tamen Unio et Ritus noster ex his motivis conservari deberet, cum Cosaci, Moschovitae, (f. 120v) Moldavi aliaequae

²⁵⁷ An. 1721-1731.

plurimae Nationes schismaticae in Ritu Graeco existentes tenacissimae Ritus et caeremoniarum suarum non ita facile inclinantur ad Ritum Latinum, quam Ruthenum Unitum, qui in obedientia S. Sedis Apostolicae constantissime perseverando antiquis caeremoniis graecis in Sacris peragendis utitur. Itaque penes profundissimam venerationem EE. VV. supplicamus, ne approbetur Synodus praedicta Ill.mi Episcopi Luceoriensis, donec eliminentur in illa Statuta praeiudiciosa nobis et Ritui nostro, et ex authenticis documentis constet, ad quos Episcopos Parochiae illae spectant, quas in Synodo inseruit. Plura quoque praeiudiciosa nobis reperientur in illa Synodo, quando omnia eius Statuta discutientur, de quibus nos nec notitiam plenam hic et nunc habere possumus. Petita nostra, Ritum Unitum oppressum solitae protectioni, benignitati in Unitos munificentissimae recommendo et cum toto Collegio episcopali humillime deosculor sacras fimbrias maneoque

Emin.marum Ill.marum, et Reverendissimar. Celsitudinum Vestrarum
humillimus Servus et Exorator perpetuus
LEO, Metropolita totius Russiae (mpr).

Datt. ad Cathedram Vladimiriensem, die 20. 9bris 1727.

110.

Torczyn, 15 . II . 1728.

Volodymyr, 29 . II . 1728.

Concordia inter Episcopum Luceoriensem Latinorum et Metropolitanum Kioviensem de non praeiudicandis iuribus et privilegiis utriusque Ritus in Volhinia.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Rutheni*, vol. 5, f. 155-156.

Stephanus Boguslaus a Rupniow in Sanuszowice Rupniewski, Dei
et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Luceoriensis,
et Brestensis.²⁵⁸

Universis, et singulis, quorum interest, vel quomodocumque interesse poterit, et signanter Ill.mo et Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Metropolitanum Kijoviensi, et totius Russiae, hisce palam facimus et declaramus, qualiter nos, prout ante ita post-hac ius dicere non omitemus Ecclesiasticis et Saecularibus Ruthenis, nec iustas, quas a nobis postulabunt citationes illis umquam negabimus. Et sicuti ante numquam admisimus, ita nec deinceps admittemus transitum Ruthenorum ad Latinum Ritum, cum id nobis prohiberi non ignorem per Breve S. M. Urbani VIII; si quis vero in nostra Dioecesi reperietur, qui ab aliis inductus de uno ad alium Ritum transiverit, cum primum ab Ill.mo Domino Metropolitanum requiremur, ut ad antiquum Ritum redeat diligenter curabimus, dummodo id ipse nobis praestare non detrectet erga eos, qui in nostra Dioecesi de Latino ad Ruthenum Ritum transierunt. Dioecesana Synodus nuper a nobis promulgata, ac typis donata, in qua limites omnium Parochiarum Dioecesis nostrae designare, atque describere, opere pretium existimavimus, nullo impedimento est, nec erit Parochis Ruthenis, quominus etiam in Parochiis Latinorum eo-

²⁵⁸ Documentam hoc hic publici fecimus iuris, ut melius intelligi possunt scripturae Metropolitanae Leonis Kiška.

rum iuribus Parochialibus libere utantur erga proprii Ritus homines, et vicissim nostri Parochi eadem iura exercebunt erga Latinos in Parochiis Ruthenorum habitantes, sicuti in more positum est. Non permittemus praeterea, ut nostri Parochi sibi tribuant, aut usurpent iura quaevis Parochialia, aut alia Parochorum Ruthenorum, vel ut eorum Ritus (f. 155v) aut Caeremonias Ecclesiasticas quomodocumque impediunt, atque literas dare spondemus omnibus nostris Parochis, ut si aliquid iuribus Ruthenorum contrarium admiserunt, emendare non differant, postquam Ill.mus Metropolitanus similiter literas dederit suis Parochis, in iura Parochorum nostrorum involantibus. Demum huiusmodi declarationem non alio fine nos facere profitemur, quam ad occurrendum, et finem imponendum litibus et controversiis, quae super praemissis ortae sunt, aut oriri possent, utque deferamus instantiis, et officiis Ill.mi et Rev.mi Nuncii Apostolici, qui nos per litteras pluries interpellavit laudabili studio amicabiliter disensiones nostras componendi. In quarum rerum fidem praesentes manu nostra subscripsimus, sigilloque nostro communiri iussimus. Datum in Arce nostra Episcopali Torczynensi, die 15^a Mensis Februarii, Anno Domini 1728.

STEPHANUS, Episcopus (L. S.)

* * *

Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijovien, Halicien, et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis, Kijowo-Peczarensis et Suprasliensis Abbas.

Universis, et singulis, quorum interest, vel quomodocumque interesse poterit, et signanter Ill.mo, et Rev.mo Domino Stephano Boguslao Rupniewski, Episcopo Luceorien. et Brestensi, hisce palam facimus, qualiter nos perlegimus declarationes eiusdem Ill.mi Domini (f. 156) Episcopi super propositis contra ipsum querelis nostris exaratas, sub die 15 labentis Februarii, quas accepimus ab Ill.mo, et Rev.mo Domino Nuncio Apostolico, iisdemque declarationibus cum Cleri nostri iuribus satis consultum sit, illas acceptamus, et ratas gratasque habemus, atque renunciantes cuivis causae, aut actioni institutae, vel instituendae super iis, de quibus in praefatis declarationibus mentio est, praedicto Ill.mo D.no Episcopo vicissim pollicemur, nos umquam permissuros esse, ut Latini ad nostrum Ritum admittantur, diligenterque curaturos, ut si qui forte admissi fuerint, ad eorum Ritum Latinum redeant, et ne Parochi nostri Ritus ullum inferant praeiudicium Parochis latinis in propriis iuribus, de quo eos serio admonere non omittemus. Excommunicati Latini, ne in Ecclesiis nostris Ruthenis recipiantur, vel ad communionem fidelium, et quod magis, Sacramentorum participationem admittant, cum iniuria iurisdictionis latinae, contemptu censurarum, et propriarum pernicie animarum serio inhibere, et praecavere spondemus. Si quid demum in scriptis a nobis occasione harum controversiarum elucubratis continetur, quod nomini, famae, aut honori dicti Ill.mi Domini Episcopi nocere possit, hisce deletum esse volumus. In quarum rerum fidem praesentes manu nostra subscripsimus, sigilloque nostro cummuniri mandavimus. Datum Vladimirie, ad Cathedram nostram tituli Assumptionis Beatissimae V. Mariae, Anno Domini 1728, die 29 Mensis Februarii.

LEO KISZKA, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae
(L. S.)

111.

*Volodymyr, 1 . III . 1728.**Commendat quaedam negotia Ecclesiae Unitae.*APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, f. 168.*Copia*

Emin.mi, Excell.mi et Rev.mi DD., et Patroni Colendissimi.

Supremum Iudicium EE. VV. Collegium nostrum Episcopale Graeco Unitum Ruthenorum tanto submissius adorat, quanto firmiter credit, semper speciali, et immediata EE. Vestrarum protegi benevolentia. Nec in suis desideriis, quae separatim in supplici apponit libello, favorabilem experiri dubitat effectum, cum praeter hoc quod ipsa exarata motiva iustitiam et gratiam clament, continuum etiam EE. VV., et generaliter in promovenda divina gloria, et particulariter in tuendo nostro Ritu apostolicum contemplatur zelum. Subdimus itaque haec desideria nostra apostolico subsidio EE. VV., et circa pronam venerationem purpurae manemus pro semper.

Vladimiriae, ad Cathedram, 1^a Martii, 1728 Anno.

Eminentissimarum, Excellentissimarum, et RR.marum Dominationum Vestrarum, Patronorum Colendissimorum

Servi humillimi et Exoratores
LEO, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae
(manu propria).

112.

*Volodymyr, 1 . III . 1728.**Petitiones Hierarchiae unitae in causa iurisdictionis sacerdotum unitorum auscultandi confessiones Latinorum et viceversa.*APF, *Serit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, f. 169-170, 175.*Copia*

Emin.mi, Excell.mi, et Rev.mi Domini.

Collegium Episcoporum Ritus Graeci cum Sancta Sede Apostolica uniti circa humillimam adorationem Eminentissimarum DD. Vestrarum supplicat Eminentissimis Vestris, quantum ad allegata desideria benevole respicientes, tanto benignius iisdem annuere dignentur, quanto singulariter noster status hierarchicus continuis Eminentissimarum Vestrarum gloriatur favoribus. Quam gratiam Deus...

Desideria totius Collegii Episcoporum Ruthenorum
cum Sancta Sede Romana Unitorum.

Circa accessum ad Sanctam Unionem praeter alias paternas gratias, tum a SS.mo Domino Nostro Clemente VIII, tum a SS.mo Urbano VIII, Romanorum Pontificum, hanc etiam obtinuerunt Antecessores nostri, ut liceret tam nostris, a suis loci Ordinariis approbatis Confessariis, excipere confessiones fidelium Ritus Latini, quam reciproce Latinis pariter approbatis fidelium Ritus Graeci Uniti Ruthenorum,²⁵⁹ et sic crescendo

²⁵⁹ Quaestio haec variis temporibus excitata fuit in hoc territorio, cum damno Unitorum.

in dies charitas et Unio, caeteros Schismaticos Sacrae Romanae Ecclesiae rebelles, hac bonae et fraternae conversationis dulcedine illectos, plures atque plures ad Gremium Ecclesiae Sanctae accedere fecerant, cum vere pusillus Grex in primordiis Sanctae Unionis comparuerat. Nunc vero cum haec Sanctae Sedis Apostolicae gratia, quae est radix et fundamentum mutuae fraternae in Domino charitatis, nobis tollatur, sequelas futurae ruinae, quas Deus avertat, praevidendas esse censemus.

1. Usus et consuetudo per centum et quinquaginta circiter annos in Russia unita practicatus, in lege et decretis (f.169v) Sanctae Sedis Apostolicae fundatus, excipiendi confessiones Latinorum a Presbyteris Rutheno-unitis, et e converso, si nunc per contrarias inhibitiones tollatur, quale subsequetur scandalum: 1^o Schismaticis, quorum non postremum numerum per Lithuaniam, et Poloniam habemus, imo et Moscoviam vicinam, rebus nostris semper invigilantem, Romanosque paternos in nobis introsipientem favores; omnes pleno irrisionis dicent ore, non servatam esse Unitorum fidem, subtracta privilegia in principio concessa, defraudari gratiis datis, et sic nobis quoque sperandum est; 2^{do}, Catholicis, tum Ruthenis tum Latinis et scandalum et suspicio oriatur, post tot annos, post exantlatos labores, post profusum Martyrum sanguinem, venisse modernum Clerum unitorum in suspicionem palliatæ Unionis et aliquam incurrisse fidei notam, quod quam erit doloriferum, medullasque sensus plane penetrativum, quis non concludet.

2. Stante tali inhibitione, quae futura disparitas inter Unitos Graecos et Schismaticos in oculis hominum? Actus enim fidei, qui sunt intrinseci, et quos semper vere uniti Rutheni ad mentem Sanctae Romanae Ecclesiae profitentur magis Deo quam hominibus patentes, extrinsece nos distinguere nequeunt; nisi in hucusque practicata cum fidelibus latinis communicatio, per mutuam visitationem Ecclesiarum, mutuas particulares devotiones, quas, nobis ab utrimque amplectentibus cum exemplaritate, cum scandalo Schismatici aversantur; hac itaque communicatione sublata an videbuntur Schismatici ab Unitis differre?

(f. 170) 3^{io}. Servatus hucusque usus excipiendi confessiones Latinorum a Presbyteris Graeco unitis, non videtur quidquam praeiudicare iurisdictioni Parochorum Ritus Latini in suos fideles, minus vero Ritui, cum confessiones non solent, imo nunquam a latinis fidelibus peraguntur Paschales, quas ad proprii Ritus Parochos spectare semper profitemur, sed illas tantum coram nostri Ritus Praesbyteris fieri, quas fideles latini variis Sanctae Sedis Apostolicae indulgentiis plenariis, nostri Ritus Ecclesiis benigne concessis, affecti, devotionis gratia absolvere solent. Imo, stante hac inhibitione, cui fructui tot plenariae indulgentiae nobis concessae, quomodo non frustabuntur salutari suo fine? Quis cultus tot miraculosissimis Imaginibus in Ecclesiis nostris a variis Ritus fidelibus in hucusque solemnissime contrito corde, cum magno emolumento salutis aeternae adoratis? Impediri itaque haec contrita devotio fidelibus undique confluentibus ad nostras Ecclesias, divinis miraculorissimis Iconibus ornatas, si deberet, non sine magna iactura animi fidelium utriusque Ritus, non sine augumento persecutionis Unionis nostrae, cum Sancta Romana Ecclesia, a Schismaticis, non sine suspicione de vero Catholico Ritui, de legitime in hucusque administratis Sacramentis, per consequens non sine censura in articulis fidei, quam in hucusque coram Sede Apostolica, et Orbe passi non sumus, dicta inhibitio fieret.

4^{to}. Non videmus notabilem diversitatem Ritus in confessionibus excipiendis

(:non sicut in perceptione, et communione Eucharistiae Sanctae, azimo et (f. 170v) fermentato pane, pro materia Ritum distinguente:) cum enim et materia eadem et forma, uti ex nostris correctis patet Ritualibus. Etsi obstaret Ritus disparitas, cur per tot annos tum Alumnorum Collegii Graeci Patres Societatis excipiunt confessiones tum Poenitentiarum Urbis Romanae Graecos Ruthenos, Romam devotionis causa peregrinantes, non repellunt ad Sacrum Poenitentiae Tribunal accedentes, sed solum communionem sui Ritus imperant, ergo aliquid latet nostro Ritui infensum, et suspiciosum.

Denique authores iam multi in lucem publicarunt, ut inter alios Hyeronymus, Nicolius, in suo opere canonistico sub titulo: Graeci, folio 233, haec habet de Sacramentis: Non est concedenda facultas sacerdotibus Graecis, ut extra casum necessitatis Latinorum Confessiones audiant, iuxta Decretum Clementis 8vi constit. 34: Sanctissimus, §. 3tio. dicit, Praesbyteri Graeci Catholici in casu necessitatis possint Latinos absolvere; ergo secus extra casum necessitatis, si sit dandus locus argumento a contrario sensu. Sacra tamen Congregatio de Propaganda Fide, die 1ma Junii 1626 Anno, censuit esse casum sufficientem necessitatis, evitare occasionem dissensionis, et turbandae Unionis inter Ruthenos unitos, et Latinos, unde non prohibendum, ne Latini non confiteantur Ruthenis unitis, et e contra, ut magis eo modo coalescat unio.

Renovamus iterum, et gratiis Eminentiarum Vestrarum insinuamus negotium a nobis inceptum, ad mentem Synodi Zamosciana, in formanda Provincia (f. 175) Russiae Monasteriorum in Regno Poloniae degentium ie factum, et ad iudicium Eminentiarum Vestrarum remissum ut tandem decisione Eminentiarum Vestrarum terminetur supplicamus; Informationes vero et rationes pro Monasteriis in Regno Poloniae repertis et in unum coadunandis exhibebit a nobis delegatus Procurator.

113.

Volodymyr 8 . IV . 1728

Inscribit in favorem Seminarii Clericorum Volodimiriensis possessionem quamdam, dictam Onophriewsczyzna.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 356rv.

Ego Leo Kiszka, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviae, Halicien. ac totius Russiae, Vladimiriensis et Brestensis Episcopus, Kijovo-Peczarensis et Supraslensis Archimandrita, mente et corpore sanus existens, recedendo a mea propria iurisdictione, iure, foro et districtu, et praesenti benevolae Recognitionis Inscriptioni totaliter me subiciendo, atque plenarie incorporando, notum palam facio omnibus quorum intererit, et benevole recognosco: Quod ego iam fundato Seminario ad Collegium Vlodimirien. Ordinis Divi Basilii Magni,²⁶⁰ quod quidem Seminarium existens circa studia scholarum Vlodimiriensium, ut tam pro

²⁶⁰ Seminarium hoc sub directione erat potius Basilianorum, qui Volodimiriae suas etiam scholas habebant. Exinde, ut ex contextu patet, magistri et lectiones erant communes, ut plurimum, pro monachis et saecularibus clericis.

praesenti, quam et futuro tempore fruatur quam optima commoditate, induxi in animum cespitem seu potiri Insulam prope Vlodimiriam, ad praesens Onofriouczyzna nuncupati, circumductam aqua fluvii Lug dicti, in qua quidem insula Onofriouczyzna nuncupata etiam Ecclesia Ruthena sub titulo S. Onophrii alias Capella exitebat, cum omnibus eius loci circumferentiis, prout ipsa in se est arboribus obsylvata, in rem eiusdem suprarecensiti Seminarii applicare, prout praesenti Recognitione benevole applico, et in actuaalem liberam, pacificamque possessionem Admodum Reverendi in Christo Patris Spirydionis Jachimowicz, Officialis et Rectoris Vlodimirien., et totius Collegii Vlodimirien. Ordinis Divi Basilii Magni et eius succedaneorum pro Seminario permitto et trado. Liberum itaque habebit Admodum Rndus Pater Spirydion Jachimowicz, Officialis et Rector Vlodimirien., cum Collegio suo Vlodimirien., pro Seminario ac Posteris suis praememoratam insulam Onofriouczyzna nuncupatam, cum omni eius circumferentia, prout eam aqua fluvii Lug nuncupati circumluit, regere, disponere, sylvas castrare, aedificia ponere, et quidquid in utilitatem Collegii Vlodimirien. visum fuerit pro bono Seminarii, excepta alienatione sive aliqua commutatione eiusdem loci ac etiam excepto fluvio, eo adiecto, ut in praedicta insula Capella Sancti Onophrii reparetur, ac in ea laudes Divinae atque Missarum Sacrificia singulis annis die festo Sancti Onophrii cum omni solemnitate celebrentur. Eo cauto, ut Rndo in Christo Patri Stephamo Krynicki, Presbytero Onophriensi, ad vitae eius duntaxat tempora, singulis annis, hoc intuitu, persolvat Collegium Vlodimirien. per florenos polonicales sexdecim mediante quietatione manuali eiusdem Rndi Patris Stephani Krynicki de receptis. Liberam autem (f. 356v) sepulturam hominum in Domino morientium de Villa Szystowa, utpote Parochianorum, quas sepulturas tam Rndus Pater Stephanus Krynicki iuxta Rritum administrare debebit, et alia Sacramenta, videlicet Baptismi et benedictionis Matrimoniorum Parochianis suis Szystovien. more antiquae consuetudinis, quam etiam post ipsum eius Succedanei, et Collegium Vlodimirien. in haec se intrudere et impedire non debebit, sub amissione praememoratae insulae. Ego vero iam cum Succedaneis meis una cum Ven. Capitulo Vlodimirien. non me ingeram et nullam praepeditionem in Possesione facere potero, et super eo circa subscriptiones DD. Amicorum ad id rogatorum me subscribo.

Datum Vlodimiriae, die octava Mensis Aprilis, Anno Millesimo septingentesimo vigesimo octavo.

LEO KISZKA,

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpp).

Locus Sigilli Ill.mi ac Rev.mi Domini Metropolitanani

Tanquam rogatus amicus ab Ill.mo et Rev.mo Domino Metropolita totius Russiae super hac Inscriptione me subscribo

JOSEPHUS XAVERIUS WOYNA ORANSKI,
Dapifer Novogroden. (mpp).

Tanquam rogatus Amicus ab Ill.mo ac Rev.mo Metropolita totius Russiae ad hanc Inscriptionem me subscribo

CASIMIRUS etc. JANKOUSKI R. S. R. M.

A tergo habetur sic: Anno 1729, die 15 Junii Comparens personaliter Admo-

dum R. n. d. Pater Philippus Wollodkowicz,²⁶¹ Ordinis Divi Basilii Magni, Vice Rector Collegii Vladimiriensis praesentis Foundationis Inscriptionem pro Onofriowszczyzna ab Ill. mo et Rev. mo Leone Kiszka, Metropolita Kijovien. et totius Russiae ad Acta praesen. Castren. Vladimiriensis. per oblatam obtulit; suscepi - Josephus Malachowski B. C. V. - Reductum ad Acta Castren. Vladimiriensis.

Subscriptam Copiam ex Originali documento Polonico indiomate scripto, subscribo e sigillo communitio, transumptam et in latinum transpositam et collationatam cum praedicto suo Originali concordare attesto. In cuius rei fidem praesentes subscripsi et sigillo Ill. mi et Rev. mi Domini Alberici ex Comitibus de Archinto, Archiepiscopi Nicaeni et Nuncii Apostolici in Regno Poloniae ²⁶²communivi. Varsaviae in Cancellaria Nuntiaturae Apostolicae, hac die 15 Mensis Octobris, Anno Domini 1746.

PETRUS JASTRZEMSKI, Publ. Auth. Apost. Notarius
et Nuntiat. Apost. in Regno Poloniae Vice Cancellarius (mpp).

114.

Kupieczow, 10. - XI - 1728.

Petit, ut Archiepiscopus Polocensis expediatur Roma ob necessitates Ecclesiae Unitae in patria.

ASV, Nunz. di Polonia, vol. 158, fol. 382.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine Patrone Colendissime.

Periclitanti, ob absentiam triennalem pastoris, Dioecesi Polocensi ²⁶³ corde animoque opem ferre licet efflagito, modum tamen invenire non possum; ipse etenim continua debilitate, semper maiori, gravatus, ultimum in horas expecto vitae momentum. Proxima Polocensi Dioecesis Smolenscensis vacat,²⁶⁴ ac vicinior Episcopus non est praeter Illustrissimum Pinscensem qui propriae Dioecesi invigilare debet, in nostroque Ritu Episcopi Suffraganei, praeter Ordinarios, non sunt, quapropter nullus potest mitti cum hac auctoritate, peto Illustrissimam, Excellentissimam Dominationem Vestram, scribere ad Sanctissimum Dominum Nostrum, ut Illustrissimus Archiepiscopus Polocensis expediatur Roma, pastor ad ovile suum, ne oves pretioso sanguine Christi Domini redemptae pereant potius, quam bona, de quibus tot annis litigans moratur, quod repetitis precibus exorans maneo pro semper.

Illustrissimae, Excellentissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae

Servus humillimus
LEO, Metropolita (m.p.)

Ex Kupieczow, 10 9-bris 1728.

²⁶¹ Ab anno 1730 Episcopus Chelmsensis (usque 1756), dein Vladimiriensis (1758-1778), et Coadiutor Metropolitae, in qua successit anno 1762. Obiit anno 1778.

²⁶² Albericus Archinto (1746-1754).

²⁶³ Florianus Hrebnykyj, Archiepiscopus (1716-1762), tunc temporis Romae commorabatur promovens causam bonorum a PP. Collegii Polocensis Soc. Jesu possessorum.

²⁶⁴ Post obitum Laurentii Druckyj Sokolinskyj, ultimi eius Archiepiscopi (1709-1727). Exinde usque ad annum 1736 vacat.

EPISTOLAE ATHANASII SZEPTYCKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS
(1729-1746)



ATHANASIVS SZEPTYCKYJ, METROPOLITA KIOVIENSIS

ATHANASII SZEPTYCKYJ BIOGRAPHIA

Antonius Athanasius in Religione Szeptyckyj natus est an. 1686, in famosa familia Szeptyckiorum, patre Alexio, matre Antonia- Barbara de Wyzpolska, in pago familiae haereditario Vočsŷynci, in Ucraina occidentali. Pater eius partem habuit in vita publica et politica Regni Poloniae, in cuius dominio tunc temporis Ucraina occidentalis inveniebatur. Sub influxu Barlaami Szeptyckyj, Archimadritae Unioviensis, et dein Episcopi Leopoliensis (1710-1715), fratris Alexii, iuvenis Antonius statum ecclesiasticum vitamque religiosam nec non Ritum Ruthenum adamare cepit. Studiis mediis absolutis, in Archimandriam Unioviensem ingressus est, ubi, votis emissis, nomen Athanasii assumpsit, anno vitae decimoseptimo. Dein, verosimiliter, studuit philosophiae et theologiae in Seminario Pontificio Leopoliensi Armenorum et Ruthenorum, sub directione PP. Theatinorum, ubi anno 1710 sacerdos ordinatus fuit.

Iam ut iuvenis monachus, patruo suo Barlaamo, Archimadritae Unioviensi et Episcopo Leopoliensi, variis distracto negotiis Eparchiae, in administratione Archimandriae Unioviensis pro coadiutore erat. Anno 1713, a Barlaamo, Archimadria resignata, Privilegium regium in favorem Athanasii obtentum fuit. Iussu Metropolitanæ Leonis Kiszka, ipse Barlaam Athanasium in Archimadritam benedixit. Simul cum Archimadria Barlaam ei etiam Coadiutoriam in Eparchia Leopoliensi cum futura successione procurare studebat, cui tamen iuvenilis aetas Athanasii obstabat. Sed Barlaamo anno 1715 vita functo, Athanasius nominationem ad Eparchiam Leopoliensem obtinuit, duobus vel tribus mensibus post obitum Praedecessoris sui et patru. Die 13 Septembris, Leopoli, in ecclesia Confraternitatis Stauropigianae e manibus Metropolitanæ Kioviensis consecrationem obtinuit episcopalem, regimenque spirituale et temporale in Ucraina occidentali inchoavit, per triginta integros annos duraturum.

Usque ad an. 1720, i. e. ad Synodum illam famosam Zamostianam, Athanasius multum in Eparchia sua laborare debuit; cognitis necessitatibus Eparchiae et Ucrainae occidentalis in genere, in paranda Synodo Metropolitanæ Kioviensem Nuntiumque Apostolicum Varsaviensem adiuwabat. In Synodo illa partem habuit cum aliis 25 sacerdotibus duabusque personis laicis ex Confraternitate Stauropigiana, Actaque Synodi quintus ordine Episcopus subscripsit. Synodo absoluta, multum adlaborare debuit, ut dispositiones Zamostianas ad effectum deduceret in sua praesertim Eparchia, quae a viginti tantummodo annis vitam vixit catholicam. Modo speciali reformatio cleri regularis eum tangebatur. Septem subsequentibus annis zelo suo, prudentia pastoralis et bono regimine Eparchiae sibi animum Metropolitanæ Kioviensis ita conciliavit, ut anno 1728 in Coadiutorem Metropolitanæ cum futura successione adscitus fuit, in oppositione ad candidatum praecedentem, Florianum Hrebnyckyj, Archiepiscopum Polocensem.

Anno 1729 confirmationem in Metropolia Kioviensi a Sede Apostolica obtinuit,

qua obtenta manum apposuit, ut totam Provinciam Ecclesiasticam Kioviensem aetati aureae adduceret. Liturgiam ordinare studebat editione librorum correctorum; monachos in unam reduxit Congregationem; iura et bona ecclesiastica strenue defendit; de bono regimine Eparchiarum assidue curavit invigilabatque; relationes interrituales melioravit; et imprimis de privilegiis et libertatibus nec non educatione Cleri sui multum curavit. Hisce et similibus negotiis occupatus, Metropoliam suam revera ad summam conduxit prosperitatem spiritualem et etiam temporalem. Anno eius mortis Provincia haec Ecclesiastica revera in summo evolutionis suae historiae vertice inveniebatur, totam fere Europam vere orientalem, usque ad flumen Dnipro comprahendens.

Tandem anno 1746, antequam de Coadiutore Metropoliae provideret, qua de re iam antea cogitabat imo longo iam tempore antea meditabat, die 30 Novembris, festo S. Andreae, Leopoli, apud suam Cathedram obiit, anno vitae sexagesimo, meritis plenus tum pro Eparchia Leopoliensi tum pro Metrpolia Kioviensi.

DOCUMENTA BIOGRAPHICA ROMANA

Varsavia, 27 . IX . 1728.

Excerpta biographica ex processu consistoriali in occasione promotionis in Coadiutorem Kiowiensem.

ASV, *Processus Consistorialis* vol. 115, fol. 369r-382v.

Processus informativus.

Super vita, moribus, idoneitate caeterisque requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis, et Camenecensis, Ritus Graeci Unitorum, dandi in Coadiutorem cum futura successione (si placuerit Sanctissimo Domino Nostro) Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chioviensi, et Haliciensi; idque ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae nec non super statu ipsius Ecclesiae Metropolitanae Chioviensis et Haliciensis; coram Ill.mo ac Rev.mo Domino Camillo Paulutio, Archiepiscopo Iconiensi, et Nuntio Apostolico in Regno Poloniae etc. fabricatus.

In Nomine Domini. Amen.

Anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vigesimo octavo, indictione Romana sexta, die vero vigesima septima mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri, Domini Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIII, anno quinto.

Varsaviae.

Coram Ill.mo ac Rev.mo Domino D. Camillo Paulutio, Sacrosanctae Lateranensis Ecclesiae Canonico, utriusque Signaturae Referendario, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopo Iconiensi, Sanctissimi Domini Nostri D. Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIII, Praelato domestico et Assistente eisdemque, et Sanctae Sedis Apostolicae apud Serenissimum Augustum Secundum Poloniae Regem Potentissimum, totumque Regnum Poloniae, et Magnum Ducatum Lithuaniae, cum facultatibus Legati de latere, Nuntio¹ compares, personaliter Rev.mus Dominus Athanasius Szeptycki, Episcopus Leopoliensis et Camenecensis Ritus Graeci Unitorum, exposuit. Quod cum Ill.mus ac Rev.mus Dominus Leo Kiszka, Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien. et Halicien. eiusdem Ritus Graeci Unitorum, ob propectam suam aetatem, atque debilem valetudinem, ac etiam alias ob causas, ad regimen Pastorale Coadiutore sui Archiepiscopatus Metropolitanus indigeat, et ad

¹ Camillus Paulutius Merlino (1728-1738).

eum finem per suas patentes literas in personam sui comparentis consenserit, seque Comparentem in huiusmodi Coadiutorem cum futura successione elegerit, ac pro sic electo Ser.mus Rex Poloniae decreverit supplicare et supplicaverit Sanctissimo Domino Nostro Papae pro sui Comparentis in Coadiutorem deputatione, et approbatione, ideo, ea, qua decet, reverentia institit apud Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam, ut Processum Inquisitionis super vita, moribus, et idoneitate, aliisque requisitis eiusdem Rev.mi Domini Comparentis, et super statu, situ, et qualitate ac circumstantiis eiusdem Metropolitanae Ecclesiae Chiovien. et Halicien. formare dignaretur, iuxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, et constitutiones fel. record. Gregorii XIV, ad hoc, ut Sanctitas Sua bene informata, ex eius, et Sanctae Sedis Apostolicae benignitate, et gratia, de Coadiutore Archiepiscopatus Metropolitanani Chiovien. et Halicien. possit, et valeat providere.

Qui Ill.mus ac Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus antedictus petitionem huiusmodi, utpote rationi consonam, admisit, et cum sibi constet de praedictis electione, et consensu Ill.mi ac Rev.mi Domini Archiepiscopi Metropolitanani Chiovien. et Halicien., ut in folio, nec non de supplicatione Ser.mi Regis, dictum Processum confici, Juramenta, et Depositiones Testium per Dominationem Suam Ill.mam et Rev.mam ex officio vocandorum, et super interrogatoriis porrigendis examinandorum, recipi caeteraque omnia necessaria, et opportuna fieri et per me Notarium et Vicecancellarium infrascriptum rogari ac omnia et singula in publicam formam et in publicum Instrumentum, et Documentum redigi mandavit, ut ita redacta, suis loco, et tempore, ad praefatum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam transmitti valeant.

Interrogatoria ex officio facienda Testibus secreto vocandis, et examinandis super qualitate, et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliens. et Camenecen., Ritus Graeci Unitorum, dandi (si Sanctissimo Domino Nostro placuerit) ad supplicationem Ser.mi Regis Poloniae, in Coadiutorem cum futura successione Ill.mo et Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitanano Chioviensi et Haliciensensi

- 1-um: An, quomodo, et a quo tempore Testis cognoscat Ill.mum et Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Metropolitanum Chioviensem et Haliciensensem?
- 2-um: An sciat ipsum adversa valetudine, aut aetate impediri, quominus exequi possit, quae sui officii sunt? et quae sit causa scientiae?
- 3-um: An, et ob quam causam necessarium existimet, ut illi detur Coadiutor in dicta Ecclesia Metropolitana Chioviensi et Haliciensensi cum futura successione?
- 4-um: An idem Testis cognoscat Rev.mum Dominum Athanasium Szeptycki, Episcopum Leopoliensem et Camenecensem Ritus Graeci Unitorum, in Coadiutorem, ut supra, dandum, quomodo, a quo tempore citra; an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus, vel odiosus?
- 5-um: An sciat, ipsum consecrationis munus suscepisse, et quae sit causa scientiae?
- 6-um: An sciat, per quot annos fuerit Episcopus Leopoliensis et Camenecensis et quae sit causa scientiae?
- 7-um: An sciat eum in suis Leopoliensi et Camenecensi Ecclesiis et Dioecesibus assidue residere, et quae sit causa scientiae?
- 8-um: An sciat eum diligenter, et saepe dictas suas Leopoliensem et Camenecensem

Ecclesias, et Dioeceses visitasse, opportune omnibus necessitatibus accurrisse, et providisse, eiusque Decreta et Mandata debitae executioni demandari curasse, et quae sit causa scientiae?

- 9-um: An sciat eum saepe solemniter celebrasse, ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse; confirmationis Sacramentum ministrasse caeteraque Pontificalia exercuisse et quae sit causa scientiae?
- 10-um: An sciat eum pietatis, charitatis, et prudentiae in gubernando specimen dedisse, et verbo ac exemplo profecisse, et quae sit causa scientiae?
- 11-um: An sciat eum prudenter ubilibet, et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, protegendis jurisdictionibus spirituali, et temporali, iuribus ac bonis omnibus suarum Ecclesiarum, et quae sit causa scientiae?
- 12-um: An sciat vere ea doctrina ipsum ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?
- 13-um: An sciat, quod eo tempore, quo Ecclesiae a qua est transferendus, praefuit, et toties quoties debuit visitaverit limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ad formam Constitutionis rec.mem. Sixti Papae Quinti, anno 1585, XV Kalend. Januarii, pontificatus sui anno primo editae, et quae sit causa scientiae?
- 14-um: An sciat, quod idem Rev.mus Transferendus seu Coadiutor deputandus adimpleverit omnia Decreta, quae in Bullis suae Provisionis fuerunt iniuncta, et an utrumque Sacrarium sacra suppellectili sufficienter instruxerit, vel Ecclesiarum Cathedralium, seu domuum Episcopaliu[m] reparationibus pro viribus incubuerit, aut Praebendam Theologicalem seu Poenitentiarum, vel Seminarium instituerit, Montemque Pietatis erigi curaverit, et quae sit causa scientiae?
- 15-um: An dignum eum existimet, qui deputetur in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien. et, an censeat (si casus contigat) eius successionem ipsi Metropolitanae Ecclesiae Chiovien. et Halicien. utilem, et proficuum fore, et quare ita censeat, et existimet?

Interrogatoria super Statu Ecclesiae Chiovien et Halicien *omissa*.

Die vigesima octava Septembris 1728.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum Nuntium Apostolicum, in camera solitae audientiae suae Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Adm.Revd.us Pater Theodosius Rudnicki,² Archimandrita Kanioviensis Ordinis Divi Basilii Magni Ritus Graeci Uniti, aetatis suae annorum triginta, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per D.nationem Suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui, delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae ac Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis et Camenecensis, Ritus Graeci Uniti, deputandi (si Sanctissimo Domino Nostro placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien., dixit et deposuit, prout infra, videlicet :
Ad 1-um: R.t: Cognosco Ill.mum ac Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Metropo-

² Theodosius Rudnyekyj, Archimandrita Kanioviensis (fortasse primus ordine, nam Stebelskyj incipit seriem solummodo ab anno 1746, ab Athanasio Szeptyckyj, iuniore), dein Episcopus Luceoriensis (1731-1751).

litanum Chiovien. et Halicien. a quatuordecem annis, occasione, qua ipsum vidi Leopoli de tempore funeris defuncti Barlaami Szeptycki,³ Episcopi Leopoliensis, et deinde pluries ipsum vidi, et respective allocutus sum, nec non ab eodem in Archimandritam fui benedictus.

Ad 2-um: R.t: Scio ipsum esse in mala valetudine constitutum, ab ipso enim audivi morbo paralysis laborare, doloribus affici per mediam et sinistram corporis partem, et ulteriorum ab ipso audivi, quod post adhibita medicamina sibi a medicis praescripta, nullum juvamen senserit, et ex hac mala valetudine, credo, quod sit impeditus, quominus exequi possit, quae sui officii sunt. Supradictus Ill.mus Leo Kiszka agit annum sexagesimum primum.⁴

Ad 3-um: R.t: Censeo dandum ipsi Coadiutorem cum futura successione in dictis Ecclesiis Metropolitanis Chioviensi et Haliciens, attenta eiusdem virium debilitatione, nec non mala valetudine, ut superius innui.

Ad 4-um: R.t: Cognosco a quatuordecem annis Rev.mum Dominum Athanasium Szeptycki, Episcopum Leopoliensem et Camenecensem Ritus Graeci Unitorum, occasione supra dicti funeris, de quo tempore adhuc non erat Episcopus Leopoliensis, sed Archimandrita Unioviensis;⁵ subsequenter vero eundem pluries vidi, et cum eo conversatus, postquam iam assumptus erat ad praedictum Episcopatum, ipsique celebranti, et peragenti alias sacras functiones adstiti, et ab ipso fui etiam in Diaconum ordinatus. Non sum consanguineus, nec cognatus, sed solum affinis in remotissimo gradu. Non sum nimis familiaris, non inimicus, non aemulus, nec odiosus.

Ad 5-um: R.t: Scio ipsum fuisse consecratum ab Ill.mo Domino Leone Kiszka, moderno Metropolita, quia, cum de illo tempore essem Leopoli in Seminario,⁶ audivi a Patribus Missionariis praesentibus dictae consecrationi peractae in dicta civitate.

Ad 6-um: R.t: Cum fuerit consecratus anno millesimo septingentesimo decimo quinto, scio eum a tredecim annis esse Episcopum Leopoliensem et Camenecensem.

Ad 7-um: R.t: Scio ipsum assidue habuisse residentiam in suo Episcopatu Leopoliensi, de tempore enim, quo eram in Seminario Leopoliensi, per sex annos fui spectator de visu; deinde vero hoc mihi innotuit de auditu; et si aliquando contigit quod Leopolim me contulerim, vidi semper ipsum in sua residentia commorantem.

Ad 8-um: R.t: Scio pluries visitasse utramque Dioecesim Leopoliensem et Camenecensem, et una vice in visitatione Camenecensis Ecclesiae, et Dioecesis assistentiam ipsi praebui, et tempore diverso audivi a fide dignis saepe saepius, quod visitationes dictarum Ecclesiarum complevisset, et ea diligentia quae Episcopum decet. In supra

³ Anno 1715.

⁴ Natus, verosimiliter, anno 1668. Cfr. supra in eius Biographia.

⁵ Archimandrita Unioviensis ab an. 1713, dein Barlaamo Szeptycky in Cathedra Leopoliensi successit (1715-1746).

⁶ Ut videtur, in Seminario Pontificio Armenorum et Ruthenorum Leopoliensi, sub directione Theatinorum.

- dicta visitatione, cui, ut dixi, fui praesens, et in aliis de auditu a fide dignis constat mihi praedictum Rev.mum Szeptycki opportune Dioecesum necessitatibus occurrisset, et providisse, nec non Decretorum executionem demandasse, atque curasse.
- Ad 9-um: R.t: Pluries vidi eum Pontificaliter celebrantem, me aliquoties ipsi assistente, et ordinationes iuxta exigentiam habuisse; Confirmationis vero Sacramentum non ministravit, quia in Ritu nostro non ab Episcopis, sed a Presbyteris, ex Apostolica dispensatione, immediate post baptismum confertur. De aliis vero Pontificalibus muneribus nihil certi possum asserere.
- Ad 10-um R. t: Vidi in visitatione, de qua supra, cui adstiti, pietatis, charitatis, et prudentiae specimen dedisse, et similiter ex fama publica et a viris fide dignis audivi in praedictarum Dioecesum gubernatione se gessisse, quinimo verbo et exemplo profecisse. Causa scientiae ut supra.
- Ad 11-um: R.t: De auditu scio ipsum se vigilem gessisse in defendendis, conservandis ac protegendis iuribus tam spiritualibus, quam temporalibus ac bonis omnibus suarum Ecclesiarum in Tribunalibus ecclesiasticis et saecularibus.
- Ad 12-um: R.t: Ex evidenti emendatione suarum Dioecesum mihi optime cognita, quia meum monasterium parum distat a Dioecesi Leopoliensi, colligo, eum praeditum esse doctrina quae in Episcopo requiritur, ut et alios possit edocere, praecise ex quo Unionem in praedictis Dioecesibus firmiter stabilivit.
- Ad 13-um R.t: Nescio quod a dicto tempore, quod Ecclesiis supra dictis praefuit, umquam per seipsum, sive per alios visitaverit limina Apostolorum Sanctorum.
- Ad 14-um: R.t: Cum mihi non constant contenta in Bullis suae Provisionis,⁷ nescio an eadem adimpleverit. De Sacrario Ecclesiae Leopoliensis de visu testor sufficienter sacris suppellectilibus illud instruxisse, nempe Casulas, Dalmaticas, Mitram pastorem, Baculum, et caetera, quae requiruntur ad Pontificalia, de novo comparasse, nec non quae pro simplicibus Sacerdotibus necessaria erant. De Sacrario vero Camenecensi, quomodo sit instructum, nihil possum asserere. Scio pariter, quia vidi, nonnullas reparationes in Ecclesia Cathedrali Leopoliensi ab ipso sumptibus propriis factas. De residentia vero Episcopali Leopoliensi ex quo est lignea, audivi ab ipso in votis habere, eam ex muro construere. De Camenecensi vero Ecclesia et Residentia, ut supra, nihil possum asserere. De Seminario tantum possum dicere, quod eiusdem foundationem meditetur. De praebenda Theologica seu Poenitentiarum, nihil mihi costant, praeterquam quod apud se habeat R. P. Innocentium Lipnicki,⁸ Basilianum, qui munere sui Theologi, et auditoris fungitur. Nescio autem de Monte Pietatis, cum iste apud nos non sit in usu.
- Ad 15-um: R.t: Ex rationibus, et qualitatibus supra relatis et praecise ex quo strenue decertaverit pro recepta Unione stabilienda, dignum eum existimo, quo deputetur in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino moderno Metropolitae, et censeo, si

⁷ Provisio sua erat iure metropolitano, ex vi Bullae Clementis PP. VIII, « *Decet Romanum Pontificem* », an. 1596; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 266, nr. 152.

⁸ Iure antiquo, habendi apud monachos Basilianos ad latus ut confessarios, theologos, Vicarios generales ect.

casus contigerit, eius successionem ipsi Metropolitanae Ecclesiae Chioviensi utilem, et proficuum fore toti Hierarchiae Ruthenae.

Et tunc finito examine Ill.mus et Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus testem licentiavit, et dimisit iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur.

Ego Theodosius Rudnicki, Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandrita Kanioviensis deposui supradicta pro veritate. (m. p.).

Die prima Octobris.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum, quem supra, et ubi supra, Rel.us Pater Hieronymus Rudnicki,⁹ Sacerdos Ordinis Divi Basilii Magni, Ritus Graeci Uniti, aetatis suae annorum triginta circiter, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per Dominationem Suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae ac Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate, et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis. et Camenecensis. eiusque Ritus Graeci Uniti, deputandi (si Sanctissimo Domino N. placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien., dixit, et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um: R.t: Cognosco a viginti circiter annis Ill.mum ac Rev.mum D. Leonem Kiszka, quia ab ipso de tempore, quo erat Provincialis nostrae Religionis, recepi habitum monasticum, et subsequenter cum eo tractavi, et conversatus sum, cum sum professus in monasterio Suprasliensi, cuius ipse est Abbas.¹⁰

Ad 2-um: R.t: Credo ipsum agere annum circiter octuagesimum, ex quo sit tremulus, prout vidi, et tactus paralyti, prout audivi, et ulterius animadverti, quod curvus et semiclaudus incedat, baculo semper innixus. Dubito tamen an attentis ipsis narratis, possit necne ea omnia explere, quae sui numeris sint.

Ad 3-um: R.t: Ipsum indigere Coadiutore, attenta eius senectute, atque supradictis impedimentis.

Super reliquis interrogatoriis omissum fuit examen, ex quo dictus testis non habuerit cognitionem Rev.mi Promovendi, nisi a die hesternae.

Et tunc finito examine Ill.mus ac Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus supradictus Testem licentiavit, ac dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Hieronymus Rudnicki, Ordinis Divi Basilii Magni, (m. p.).

Eadem die.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum, quem supra, et ubi supra. Ill.mus ac Rev.mus Dominus Stanislaus Hosius,¹¹ Episcopus Camenecensis, Abbas

⁹ Simplex monachus ex famosa familia Rudnickiorum, quae Theodosium (1731-1751) et Silvestrum (1752-1777) Episcopos Luceorienses edidit.

¹⁰ Leo Kiszka dignitatem abbatialem Suprasliensem inde ab anno 1711 possidebat, quando Cathedram Volodimirensem obtinuit.

¹¹ Stanislaus Hozyjusz, Episcopus Kameneccensis (1722-1733), dein Posnaniensis.

commendatarius Cervenensis, Testis ex officio vocatus et per Dominationem suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae ac Rev.mae tacto pectore iuravit, ad opportunas interrogationes super idoneitate, et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis. et Camenecensis., Ritus Graeci Uniti, deputadi (si Sanctissimo Domino N. placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien. deposuit, ut infra.

Ad 1-um : R.t: A septem annis circiter cognosco Ill.mum ac Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Metropolitanum Chiovien, dum interfuit Comitibus, et allis functionibus factis tempore Residentiae Regiae in civitate hac Varsaviensi, tum, quia saepius ille me visitavit, et respective eidem visitationem reddidi.

Ad 2-um : R.t: Licet quoad eius malam valetudinem nihil possum asserere, mihi tamen constat, ratione eius provectae aetatis (agit enim supra septuagesimum annum, ut suppono) ipsum esse minus aptum ad ea, quae pastoralis ministerii sunt opportune et commode adimplere. Causa scientiae: quia ipsum cognosco.

Ad 3-um : R.t: Cum, ut superius innui, eiusdem aetas summe ingravescat, et de alieno auditu constet mihi, quod saepe sit indispositus et debilis, censeo dandum esse illi Coadiutorem in dicta Ecclesia Metropolitana cum futura successione, ut vices ipsius gerere possit, praecipue, cum explere non velet per se ipsum sine gravi incommodo visitationes in sua Dioecesi, ad quas tenetur ratione sui officii.

Ad 4-um : R.t: Cognosco a sex annis Rev.mum Dominum Athanasium Szeptycki, Leopoliensem Episcopum, eo quod cum eo saepissime conversatus sim Leopoli et alibi. Non sum eiusdem consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.

Ad 5-um : R.t: Quia ipsum vidi Pontificaliter assistentem funeri Ill.mi Domini Castellani Cracoviensis in civitate Brezanensi, nec non quia omnes Presbyteri Rutheni ipsum recognoscunt pro Episcopo Leopoliensi, non dubito, quia sit consecratus in Episcopum.

Ad 6-um : R.t: A tempore, quo ipsum cognovi, ut superius dixi, scio ipsum esse Episcopum Leopoliensem et Camenecensem.

Ad 7-um : R.t: Scio ipsum ut plurimum residere in Dioecesi Leopoliensi, ex quo ibi bona ecclesiastica possideat, et ex quo, quando ad ipsum frequenter scripsi, semper mihi ex illis partibus respondit; asserere vero non possum, quod in Dioecesi Camenecensi a tempore, quo ipsum cognosco, residerit.

Ad 8-um : R.t: Super hoc interrogatorio hihil possum respondere, audivi tamen Ecclesias Dioecesum Leopoliensis. et Camenecensis. per se ipsum visitasse, quod vero etiam praedictas visitationes expleverit per deputatos, mihi certe constat, quia isti in mea Dioecesi Camenecensi apud me fuerunt, tempore harum visitationum.

Ad 9-um : R.t: Scio ex auditu a personis fide dignis, quod frequenter solemniter celebraverit, et quod ordinationes habuerit scio ex Ruthenis, qui sunt in mea Dioecesi, et qui se contulerunt Leopoli, praevia mea licentia, ac libertate servitutis ut a praedicto Rev.mo Athanasio Szeptycki ordinarentur, sicuti de facto ab ipso fuerunt ordinati. Private vero ipsum celebrantem semel vidi. De ceteris autem nihil respondere possum. Mihi tamen videtur, quod Sacramentum

Confirmationis non ministraverit, eo, quod apud Ruthenos a simplicibus Sacerdotibus conferatur immediate post baptismum.

- Ad 10-um: R.t: Audivi a pluribus fide dignis, qui ipsum laudaverunt, circa pietatem, caritatem, prudentiam, et alios pios actus suo episcopali caractere convenientes.
- Ad 11-um: R.t: Audivi occasione variarum controversiarum, et praecipue in causis immunitatis ecclesiasticae diligenter se gessisse in defendendis iuribus Ecclesiae nec non peculiari. Audio incubuisse pro conservatione rerum ac bonorum suarum Ecclesiarum.
- Ad 12-um: R.t: Non dubito quod ea polleat doctrina, quae in Episcopo requiritur, ut alios etiam possit docere, quia in sermonibus cum eo habitis ipsum inveni satis, superque instructum super materiis ad Episcopum pertinentibus.
- Ad 13-um: R.t: A tempore, quo ipsum nosco, et dictis Ecclesiis praefuit, nescio an unquam visitaverit limina Sanctorum Apostolorum.
- Ad 14-um: R.t: Nihil prorsus possum affirmare.
- Ad 15-um: R.t: Censeo eum dignum esse, ut in Coadiutorem deputetur Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, et si casus contigerit, eius successionem ipsi Metropolitanae Chioviensi et Haliciensi Cathedrali reputo fore utilem, et proficuum, cum sit doctus, pius, prudens, et exemplaris, et in summa aestimatione habetur ab omnibus sui Ritus.

Et tunc finito examine Ill.mus ac Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus supra dictus Testem licentiavit, et dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Stanislaus Hosius, Episcopus Camenecensis, Abbas Commendatarius Cervenensis (m. p.).

Die secunda.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum, quem supra, et ubi supra, Adm. Rev.dus Pater Antonius Szyrnia, Societatis Jesu, Praepositus Domus Professae, et Rector Collegii Varsaviensis, eiusdem Societatis, aetatis suae annorum sexaginta septem, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per Dominationem Suam Ill.mam ac Rev.mam secrete examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae ac Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate, et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis et Camenecensis, Ritus Graeci Uniti deputandi (si Sanctissimo Domino N. placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chioviensi et Haliciensi, dixit, et deposuit, prout infra, videlicet:

- Ad 1-um: R.t: Ab annis circiter sexdecem cognosco Ill.mum ac Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Archiepiscopum Metropolitanum Chioviensem, ex quo a dicto tempore pluribus vicibus cum eo sim conversatus, praesertim Grodnae, Varsaviae, et Suprasli.
- Ad 2-um: R.t: Scio ipsum agere annum supra sexagesimum; a duobus circiter annis, ex publica fama, esse morbidum, et similiter anno praesenti paralysi fuisse

tactum, ex auditu; ideoque in Domino credo ipsum imparem ad exequenda, quae sui officii sunt.

Ad 3-um: R.t: Ex supra dictis rationibus iudico ipsi necessarium esse Coadiutorem cum futura successione in praedicta Ecclesia Metropolitana Chioviensi et Haliciensis.

Et ex quo nihil particulare potuit Testis deponere circa personam Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, nisi quod, de auditu, sit vir insignis, et commendatione dignus, deventum est ad interrogatoria suer statu Ecclesiae Metropolitanae Chioviensis et Haliciensis (*omissa*).

Eadem die.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum, quem supra, Adm. Rev.dus Pater Stephanus Puzyna,¹² Societatis Jesu, in Collegio Varsaviensi Sacrae Theologiae, et Sacrorum Canonum Professor, aetatis suae annorum sexaginta unius, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per Dominationem Suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui, delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae ac Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis et Camenecensis, Ritus Graeci Uniti, deputandi (si Sanctissimo Domino N. placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chiovien. et Halicien. dixit, et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um R.t: Ab annis viginti, et ultra, cognosco Ill.mum et Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Metropolitanum Chiovien.; pluries enim cum eo sum conversatus hic Varsaviae, et ulterius litteras ipsi dedi, et respective ab eo recepi pluries.

Ad 2-um: R.t: Scio ipsum esse fere septuagenarium, et audivi eum debilem esse ex senio, ita ut non possit de per se, quae muneris sui sunt adimplere.

Ad 3-um: R.t: Ex praedictis rationibus, et ut melius administretur Ecclesia, et Diocesis Metropolitana, censeo illi dandum esse Coadiutorem cum futura successione.

Ex quo vero idem testis non habuerit cognitionem personae Rev.mi Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis, ideoque deventum est

ad interrogatoria super statu Ecclesiae Metropolitanae Chioviensis et Haliciensis (*omissa*).

Die quarta.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum, quem supra, et ubi supra, Adm. Rev.dus Pater Franciscus a Vilna, Ordinis Minorum S.ti Francisci Cappucinatorum, Ex-Lector, Concionator, et pro nunc Vicarius Conventus Varsaviensis, aetatis suae annorum quinquaginta, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per Dominationem Suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis

¹² Puzyna Stephanus, Soc. Jesu, geographus, praedicator et theologus insignis. Natus an. 1667, obiit Vilnae an. 1738. Praeter opera theologica et orationes edidit in lingua latina et polona *Geographiam universalem*, Lublini 1730.

nis Suae Ill.mae ac Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Episcopi Leopoliensis et Camenecensis. Ritus Graeci Uniti, deputandi (si Sanctissimo Domino N. placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Chioviensi et Haliceni, dixit, et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um: R.t: Cognosco prope a quadraginta annis Ill.mum ac Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Metropolitam Chioviensem, prima vice quando erat concionator in sua Basiliana Religione, et subsequenter cum ipso conversatus sum plurimis vicibus.

Ad 2-um: R.t: Cum sit senio confectus et attingat quasi septuagesimum annum, et cum audiveram a nonnullis Ruthenis, ob praedictam senectutem imparem esse ad exercenda, quae sui ministerii sunt, censeo et ego ex causis praedictis talem esse.

Ad 3-um: R.t: Propter rationes superius enumeratas necessarium existimo, ut illi detur Coadiutor cum futura successione.

Ad 4-um: R.t: Cognosco ab undecim annis, nimirum ab anno 1717, Rev.mum Dominum Athanasium Szeptycki, Episcopum Leopoliensem et Camenecensem, primum enim notum habui, cum essem concionator in civitate Leopoliensi, per tres annos, quo tempore saepe saepius eum vidi, et bis apud ipsum fui. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, non nimis familiaris, non inimicus, non aemulus, nec odiosus.

Ad 5-um: R.t: Cum ter vidi solemniter eum celebrantem pontificaliter, credo ipsum consecrationis munus suscepisse.

Ad 6-um: R.t: Nescio in quo tempore praecise sit Episcopus; a tempore enim praedicto, quo ipsum novi, iam erat Episcopus Leopoliensis et Camenecensis.

Ad 7-um: R.t: In triennio supra dicto, quo fui Leopoli, vidi ipsum in dicta civitate frequenter residentem.

Ad 8-um: R.t: An, necne expleverit visitationes in suis Dioecesibus affirmare non possum, audivi tamen a pluribus, quod sit zelosus, decorem Domus Dei amet, et cultum promoveat, nec non reformationem sui Cleri.

Ad 9-um: R.t: Ut superius innui, per tres vices vidi eum celebrare solemniter, et audivi etiam in aliis Ecclesiis idem explevisse. De ordinationibus vero non possum deponere; tantum mihi innotescit, quia ordinavit unum Presbyterum, quem novi. Reliqua mihi non constant.

Ad 10-um: R.t: Ut superius innui, pietatis, charitatis, et prudentiae in gubernando specimen dedit, et in omnibus actibus suis nihil vidi, quod cuiusquam offenderet affectum, quoniam semper se praebuit praeditum iis virtutibus, quae Episcopum decent.

Ad 11-um: R.t: Nescio.

Ad 12-um: R.t: Suppono ex praedictis, et ex publica fama, quod pollet ea doctrina, quae in Episcopo requiritur, ad hoc ut alios etiam possit docere.

Ad 13-um: R.t: Non mihi constat ipsum visitasse limina Sanctorum Apostolorum, sive per se, sive per alios.

Ad 14-um: R.t: An adimpleverit Decreta omnia iniuncta in Bulla suae Provisionis, mihi non constat. De Sacratio tamen et Ecclesia Cathedrali Leopoliensi asserere

possum, ut supra dixi, de tempore in quo moratus sum Leopoli, bene instructa et ornata fuisse, cum Domus Dei decorem summopere diligit. Hoc idem assero de ipsius Episcopali Domo, quae de eo tempore nulla indigebat reparatione, sicut et Ecclesia praedicta. De caeteris, super quibus fui interrogatus, nihil respondere possum.

Ad 15-um: R.t: Censeo ex supra relatis, et ex quo polleat omnibus qualitatibus requisitis a Divo Paulo, dignissimum esse, ut in Coadiutorem deputetur Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Metropolitano Chioviensi, et ex consequenti, eiusdem successionem praedictae Ecclesiae Metropolitanae utilem, et proficuum futuram esse.

Et tunc, finito examine, Ill.mus ac Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus supradictus Testem licentiavit, et dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate, ego Frater Franciscus a Vilna, Cappucinus, Ex-lector, Concionator, et pro tunc Vicarius Conventus Varsaviensis (m.p.).

Die quinta.

Examinatus fuit per Ill.mum ac Rev.mum Dominum, quem supra, et ubi supra, Adm. Rev.dus Pater Theophilus Lacewicz,¹³ Ordinis Divi Basilii Magni, Ritus Graeci Uniti, Superior Residentiae Varsaviensis, aetatis suae annorum quinquaginta quatuor, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per Dominationem Suam Ill.mam ac Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda; prout in manibus Dominationis Suae Ill.mae ac Rev.mae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki Episcopi Leopoliensis. et Camenecensis, eiusdemque Ritus Graeci Uniti, deputandi (si Sanctissimo Domino N. placuerit) in Coadiutorem Ill.mo ac Rev.mo Domino Leoni Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano Chioviensi et Haliensi, dixit, et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um: R.t: A triginta annis cognosco Ill.mum ac Rev.mum Dominum Leonem Kiszka, Metropolitanum Chioviensem, cui inservivi, antequam Religiosae Familiae nomen darem. Postea vero diversis vicibus cum eo sum conversatus, et praecise in Synodo Zamosciana.¹⁴

Ad 2-um: R.t: Cum Ill.mus Dominus reperitur in aetate supra sexaginta annorum, et audiverim ipsum tactum esse paralysi, suppono quod impar sit ad sua munia exercenda.

Ad 3-um: R.t: Ex causis praedictis, suppono necessarium illi esse Coadiutorem in dicta Ecclesia Metropolitana, cum futura successione.

Ad 4-um: R.t: A quatuordecem annis nosco Rev.mum Dominum Athanasium Szeptycki, Episcopum Leopoliensis. et Camenecensis, de tempore quo adhuc erat Archimandrita Unioviensis, et subsequenter aliquando cum eo sum conversatus, praecise in Synodo Zamosciana. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimis familiaris, nec inimicus, aemulus, aut odiosus.

Ad 5-um: R.t: Scio ipsum esse consecratum, quia fui praesens eiusdem consecra-

¹³ Fortasse ex Archimandria Suprasliensi, quae tunc temporis Varsaviae habuit Residentiam sibi subiectam.

¹⁴ An. 1720.

- tioni, per Ill.mum Dominum Leonem Kiszka in civitate Leopoliensi expletae.¹⁵
- Ad 6-um: R.t: A tredecim annis scio fuisse electum et consecratum Episcopum Leopoliensem et Camenecensem. Causa scientiae, ut supra.
- Ad 7-um: R.t: Scio ipsum quasi assiduam residentiam habuisse in civitate Leopoliensi. Partim enim eum vidi, et partim audivi ibi residentem.
- Ad 8-um: R.t: Nihil possum respondere super hoc interrogatorio.
- Ad 9-um: R.t: Vidi una vice eum pontificaliter in civitate Leopoliensi celebrantem, et hoc idem audivi pluries fecisse de tempore Synodi Zamosciana; audivi pluries ordinationes fecisse. Quo vero ad Sacramentum confirmationis, cum apud nos Episcopi potestatem impertiantur Presbyteris, in die Caenae Domini, quolibet anno hoc Sacramentum post baptismum conferre, per eosdem semper administratur. An vero exercuerit alia munia Episcopalia, nescio.
- Ad 10-um: R.t: Nihil possum respondere, quod viderim, solum audivi, praedictum Episcopum charitative, et cum pietate se gessisse.
- Ad 11-um: R.t: Audivi tantum, quod curam habet de omnibus, quae spectant ad suam iursidictionem.
- Ad 12-um: R.t: De auditu scio, quod polleat ea doctrina, quae in Episcopo requiritur, ut alios possit docere.
- Ad 13-um: R.t: Nescio, quod unquam per se, vel per alios, visitavit limina Sanctorum Apostolorum.
- Ad 14-um: R.t: Nescio, quod adimpleverit Decreta iniuncta in Bullis suae Provisionis. Scio tantummudo, quod Sacrarium, et Ecclesia Cathedralis Leopoliensis sint bene sacra suppellectili instructa, quia ipsam vidi, a tredecim annis, ut dixi, a quibus vidi Ecclesiam et Domum Episcopalem, nulla tunc temporis indigebant reparatione. Vidi etiam, ni fallor, unum Presbyterum, qui fungebatur munere Poenitentiarum. Sed mihi non constat, an adsit aliqua fundatio pro hoc officio. De Seminario vero, ac de Monte Pietatis, nihil possum asserere.
- Ad 15-um: R.t: Ex quo commendetur a viris fide dignis, quod sit bonis qualitatibus praeditus atque exemplaris, imo ab ipsomet Metropolita fuerit supplicatum pro ipso in Coadiutorem habendo,¹⁶ suppono ipsum dignum, ut in talem deputetur, et attentis qualitatibus usque nunc in eodem perpensis, suppono eius Coadiutoriam Ecclesiae Metropolitanae utilem, et proficuum fore.

Deinde ventum fuit ad Interrogatoria super Statu Ecclesiae Metropolitanae Chioviensis et Haliciensis (*omissa*).

Et tunc, finito examine, Ill.mus ac Rev.mus Dominus Nuntius Apostolicus Testem dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscribat, prout fecit, ut infra:

Ita deposui pro veritate, ego Pater Theophilus Lacewicz, Ordinis Divi Basilii Magni, Residentiae Varsaviensis (mp).

Supradictis Testibus plenam fidem adhibendam esse censeo, et de Coadiutore deputando bene iudico. In quorum fidem etc. C. Archiepiscopus Iconiensis, Nuntius Apostolicus etc.

¹⁵ Consecratus mense Septembri an. 1715, Leopoli.

¹⁶ Cfr. inter epistolas Metropolitanae Kiszka, an. 1728.

Literarum consensus, seu electionis, in originali productarum, tenor est qui sequitur.

NOS Leo Kiszka, Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien. Halicien. et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Kiovo Peczarensis et Suprasliensis Archimandrita, caeterique Episcopi Ritus Graeci cum Sancta Romama Ecclesia Uniti, Provinciae Roxolanae, et Abbates Monasteriorum Vladimiriā congregati, notum omnibus, quorum intererit, per praesentes facimus. Quod dolendis edocti in praeteritum exemplis, post fata Archiepiscoporum Metropolitanorum magnam ruinam bonorum mobilium, et immobilium direptionem, ac rapinas ingentes, quae turbulentias et violentias subsequutas fuisse, et litigiorum causas inde exortas maximo damno Unioni Sanctae: Volentes futuris occurrere malis, maxime vero cum tot laboribus et viribus plane paroxismi periculosi, non solum debilitatus, sed quasi destitutus, et nunc auxilio indiget, visum est in Domino, ut e Collegio nostro Episcopali aliquem unanimi consensu adsciscamus, et Coadiutorem nominemus, uti revera tanto munere dignum, sanguinis nobilitate, et praeclarissimis in Regno Poloniae Familiis colligatione conspicuum, doctrina, scientia et prudentia, caeterisque qualitatibus in Episcopo requisitis, morumque suavitate praeditum, a Primariis Regni Senatoribus commendatum, Ill.mum et Rev.mum Dominum Athanasium Szeptycki, Episcopum Leopoliensem et Camenecensem, Abbatem Unioviensem, tanto muneri dignum, in Coadiutorem Archiepiscopatus Metropolitanī Chioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, cum Sancta Romana Ecclesia Unitae assumpsimus,¹⁷ et votis omnium concordibus elegimus, Sanctae Sedi Apostolicae supplicantes, ut haec nostra vota futuris profutura Unionis Sanctae manutenere, confirmare, et approbare dignetur, et Apostolicum suum praebeat assensum, muneri tanto benedicendo. Dantes itaque plenam potestatem, caetera, quae ad firmandum hoc officium requiruntur, instrumenta procurandi, et totaliter sese in hoc munere stabiliendi cum futura, seris utinam fatis, moderni Archiepiscopi successione; obligantes modo, quatenus pro viribus suis negotia Unionis Sanctae promovere, tueri, et in omnibus Seni et debili Coadiuto suo auxilio adesse velit, et conetur. Quod ut firmiter robur ubique habeat, circa subscriptiones manuum nostrarum sigillo Metropolitanō muniri iussimus. Datum in Vladimiriensi Cathedra, die prima Martii, millesimo septingentesimo vigesimo octavo anno.

Leo Kiszka, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

(Loco † sigilli Metropolitanī)

Joseph de W. Wyhowski, Exarcha totius Russiae, Ep.pus Luceorien. et Ostrogien. (mp).

Hieronimus Ustrzycki, Ep.pus Praemisliensis, Sanocen. Samborien. (mp).

Josephus Lewicki, Episcopus Chelmen. et Belzen. (mp).

Theophilus de Godzieba Godebski, Ep.pus Pinscen. et Turovien. (mp).

Innocentius Piechowicz O. D. B. M., Abbas Mielecensis (mp).

Theodosius L. Rudnicki O. D. B. M., Abbas Caniovien. (mp).

¹⁷ Assumptio haec conditionata erat consensu Episcoporum et Ordinis Basiliani, nec non pendebat a confirmatione Sedis Apostolicae per Bullas provisionis danda.

Innocentius Charkiewicz, suo et totius Communitatis Suprasliensis nomine, Vicarius (mp).

Quibus omnibus et singulis, ut supra, gestis, idem Rev.mus Dominus Athanasius Szeptycki Episcopus Leopoliensis et Camenecensis, Ritus Graeci Uniti, petiit supra scriptum processum, seu illius Copiam in forma authentica extradi, et sigillo munitam consignari ad effectum, ad almam Urbem transmittendi. Omni etc.

Quocirca nos, Camillus Paulutius, Archiepiscopus Iconiensis et Nuntius Apostolicus antedictus, Processum clausum, et sigillatum, seu verius copiam illius in publica et authentica forma, concedendam et extradendam esse duximus, decernentes praedictis omnibus et singulis tamquam rite et legitime gestis ubique locorum plenariam et indubitam fidem ab omnibus et singulis, in iudicio et extra adhibendam esse. In quorum praemissorum fidem, et testimonium, praesentes manu nostra, ac infrascripti Notarii Vicecancellarii nostri subscriptas, sigilli nostri impressione communiri fecimus.

Datum Varsaviae, die quinta mensis Octobris, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo octavo.

C. Archiepiscopus Iconiensis, Nuntius Apostolicus etc. (mp).

Et quia ego Stephanus Skwarczynski, Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius et Ill.mi ac Rev.mi Domini, D. Camilli Paulutij, Archiepiscopi Iconiensis, et Nuntii Apostolici in Regno Polonoae etc. Vicecancellarius, memoratae Inquisitioni et Testium examini per eundem Ill.mum ac Rev.mum Dominum Nuntium Apostolicum habitae et recepto personaliter requisitus interfui, nec non iuramenta Testium praenominatorum eri vidi, et audivi, eorumque dicta in his scriptis fideliter Idcirco, hoc examen, et totum hunc Inquisitionis Processum propria manu scriptum subscripsi. Datum die quinta mensis Octobris, Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo octavo.

Stephanus Skwarczynski, Notarius et Vice Cancellarius, qui supra (mp).

Ex deductis in praesenti processu dictum R. P. D. Athanasium Szeptycki, Episcopum Leopoliensis et Camenecensis. dignum censeo, qua ad Metropolitanas Ecclesias Kioviensem et Haliciensem Ritus Graeci invicem unitas

A. Cardinalis S.ti Clementis.

Franciscus Ep.pus Ostien., Cardinalis Barberinus.

. . . . S. Laurentii in Lucina, Presbyter Cardinalis

B † S. M. in Diaconus Cardinalis Pamphilius.

Kioviensis et Haliciensis Ritus graeci, 1729.

**EPISTOLAE ATHANASII SZEPTYCKYJ,
EPISCOPI LEOPOLIENSIS, METROPOLITAE KIOVIENSIS
(1729-1746)**

1.

Leopoli, 10 . V . 1718.

Gratias agit pro renovato decreto de non transitu ad Ritus Latinum.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali* vol. 614, f. 455.

Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine Patrone Colendissime
et Benefactor Ampl.me.

Inter alias, de quibus haec mea Dioecesis gloriatur gratias se derivare a clementia Eminentiae Vestrae Reverendissimae totiusque Sacrae Congregationis Eminentissimorum et Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, Benefactorum meorum, hanc peculiariter sibi adnumerat: Nimirum Decretum eiusdem prohibitivum transitus ad Ritus Latinum,¹ a tanto tempore emanatum, et toties per hanc meam Dioecesim per publicationem renovatum. Quapropter cum ab hoc unico dependeat conservatio, et incrementum ipsius, sicut etiam bonum pacis, ad hoc ut unusquisque Pastor cognoscat oves suas, sicut et ipsae Pastorem, hinc est, quod humillime supplico Eminentiae Vestrae Reverendissimae, Sacraeque toti Congregationi, ut omnino Decretum praedictum conservatum sit in suo robore; et si quae aut porrectae sunt, aut in futurum porrigentur supplicationes Eminentiae Vestrae Reverendissimae, Sacraeque Congregationi pro impetrando a quibusvis personis huiusmodi transitu, quocumque tempore, et sub quovis titulo, aut praetextu, a quacunque persona, dignetur et sua gratia et clementia hanc permissionem et licentiam denegare; cum haec non nisi (si semel concedetur) in summum meae istius Dioecesis, quae indiget etiam pro stato spirituali subiecta habere, detrimentum cederet et damnum. Dum ergo hoc negotium particulari gratiae Eminentiae Vestrae Reverendissimae (f. 455v) recommendo, simul et me singularissimae eius protectioni insinuo, uti ille qui sacratam Eminentiae Vestrae Reverendissimae exosculando fimbriam maneo inconcussa fide et irrevocabili professione

Eminentissimae et Reverendissimae D.nis Vestrae, Patroni mei Colend.mi et Benefactoris Amplissimi

humillimus Servus et Exorator

ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis Ritus Graeci Unitus.
Leopoli, die 10 Maii 1718.

¹ Ex temporibus Urbani PP. VIII, anno 1624, die 7 Februarii, Cfr. *Acta S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. I editionis romanae an. 1953, sub anno 1624.

2.

Varsavia, 23 . VI . 1720.

Respondit Nuntio Apostolico Varsaviensi de Synodo celebranda Provinciali, deque in eo tractandis, qua in re omnia ad Metropolitanum Kioviensem remittit.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mose., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 116rv.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone
Colendissime et Benefactor Amplissime.

Gratiosissimas Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae literas, Varsavia ad me ordinatas, recepi cum ea, qua par est, observantia atque submissa veneratione die 12 Iunii, ob distantiam pro tunc residentiae meae. In quibus intellexi, Sanctissimum Dominum Nostrum ex paterna sua erga gentem nostram protectione, atque innato patrocinio subesse eo, quo nullus maior favore et beneficio, ut scilicet Synodus nostra Provincialis in praesentia et autoritate Illust.mae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae intimari et celebrari possit. Gloriamur certe et laetamur in Domino, quod nobis ea, quae per tot saeculorum anfractus cessere, nunc restaurantur et ad pristinum reducuntur statum. Publica semper confessione Clementis Sanctissimi Domini Nostri beatissimum Nomen adoramus, clementiam ergo quasi ex deserto clamantes, in conspectu Sanctitatis Eius invenire valuimus; quae licet prima vice ratione determinationis Synodalis innotuit mihi ab Illustrissima, Excellent.ma et Reverend.ma Dominatione Vestra, attamen eo diuturniorem in praecordiis meis eadem praeoccupat stationem, quo dexterem in rebus nostris et negotiis speramus protectionem et discernentiam. Cum autem dignatur Illustrissima, Excellentissima et Reverendissima Dominatio Vestra gratiose inquirere de his quae necessario sunt proponenda et statuenda in hoc Synodali Congressu,² ad eandem requisitam Illustrissimae, Excell.mae et Reverendissimae Dominationis Vestrae demandationem cum debita respondendo submissione, me in omni referre arbitrator ad Illustrissimum Dominum (f. 116v) Metropolitanum, ad cuius enixam supplicationem cum a Sanctissimo Domino Nostro determinari haec Congregatio nostra censeatur, credo itaque sine omni mora ex primatiali sua dignitate Illustrissimum Dominum Metropolitanum luculentissime de omnibus et singulis punctis dare relationem Illustr.mae, Excellentissimae et Reverendissimae D. Vestrae. Ego vero quasi primus determinate sciens de hac Sacra Synodo proxime celebranda, considerabo et attente advertam, quae interveniant proponenda ex parte mea et interesse Dioecesis. Putarem tamen pro vili sensu meo, non aliter necessarium esse hoc Synodale Capitulum nostrum, nisi ad restaurandum et redintegrandum id, quodcumque ex orbita Constitutionum et Conciliorum in genere disciplinae et morum declinari videatur. Consumata autem et probata in rebus agendis dexteritas Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae, quaecumque occurrerint pro maiori Unionis Sanctae stabilimento eo facilius resolvere potest, quo clarius ex cardinibus Synodalium monitorum eadem resolveri patebant. Non deero in remonstratione eorundem, quae indigent resolutorio et autoritate Synodali; nunc vero cum demisso

² Agitur de Synodo Provinciali proxime celebranda in civitate Zamostia.

poplite sacratam Illustrissimae, Excellentissimae Dominationis Vestrae oxosculando
 Purpurae fimbriam, maneo cum perennatura votorum sponsione
 Illustrissimae, Excellentissimae et Rev. mae D. nis Vestrae,
 Patroni mei Colendissimi et Benefactores Amp. mi
 obsequentissimus Servus et Exorator
 ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopopolitanus.
 Varsaviae, die 23 Jun. 1720.

3.

Univ, 19 . VII . 1720.

Transmittit quaedam puncta et desideria, quae in Synodo Provinciali Ruthenorum tractari deberent.

APF, *Serit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., e Rutheni*, vol. 4, f. 146rv.

PUNCTA

Desideriorum nonnullorum, quae necessario sunt proponenda in Synodo Provinciali
 Leopoliensi proxime celebranda.³

1mo: Adinveniendus est modus salvandi Cleri et liberandi ab inexplicabili et
 varia gravaminum sorte, quae si per aliquod iustum et adaequatum medium non
 eradicetur, nunquam possumus habere subiecta digna et ad promovendum cultum
 Divinum aptissima.

2do: Ecclesiae, quae nullam habent Foundationem tam ex agris quam ex aliis
 Provisionibus, quapropter sunt immundes et miserabiles, ut tollantur.

3tio: Aspirantes ad Statum Spiritualem ut non iniciantur Sacris Ordinibus do-
 nec non habebunt bonam erectionem et provisionem victus et amictus, tum libera-
 tionem ab omnibus oneribus moderno tempore practicatis, officiose inscriptam et
 roboratam.

4to: Statuendum erit in Synodo Provinciali, ut duo aut tres Sacerdotes alias
 Parochi ad unam Ecclesiam et Parochiam non ordinentur, quoniam ob plurabilita-
 tem Parochorum maior est disordo et abusus in administrandis Sacramentis, propter
 contentiones varias intervenientes, nisi in aliquibus locis multitudo Populi exigeret
 subsidium per modum Vicarii, non vero Parochi; hoc tamen arbitrio et sollicitudini
 loci Ordinarii relinquatur.

5to: Dioecesium dislimitatio omnino est necessaria, ut vel secundum limites Ter-
 rarum et Districtuum, aut Dioecesium latinarum constituatur, ne eveniant contentiones
 inter Episcopos, moderno saeculo practicatae,

6to: Adhibendus est modus tollendae abusivae et simoniacae collationis, quae
 tum a Magnatibus tum a Nobilitate confertur, non respiciendo subiectum, sed quan-
 titatem pecuniae; quapropter quasi Iure haereditario et successivo Sanctuarium Domini
 invadant.

³ Synodus revera locum habuit in Zamostia, ob pestem in regione Leopoliensi grassantem.

7mo: Confraternitates Stauropigianae,⁴ praecipue Leopoliensis in mea Dioecesi (f. 146v) existens, Calculationem faciat Proventus Ecclesiastici et Expensarum, tum det rationem cum approbatione cuius typo imprimuntur libri varii, in quibus plurimi inveniuntur errores, et sine pretio constituto ad libitum cum extorsione immensa venduntur; ex his ergo illicitis et abusivis intervenientiis instituendus erit melior ordo et dispositio in Synodo Provinciali.

8vo: Cathedraticum aut Synodaticum in omnibus Dioecibus simile in quantitate constituatur, si quidem prae caeteris Dioecibus in mea Dioecesi est discretissimum, prout suo tempore patebit.

9no: Transitus de Ritu Graeco Unito ad Ritus Latinum, prohibitus per Decretum Sanctissimi Domini Nostri felicitis recordationis Urbani Octavi,⁵ minime observatur, quoniam Religiosa universitas et saeculares Sacerdotes Ritus Latini ad mutandum Ritus proprium personas unitas variis modis compellunt et sollicitant, quapropter in Synodo Provinciali debet institui sermo, obviando contraventioni Decreti eiusdem.

10mo: In celebrandis Missis et admistrandis Sacramentis, tum in reformatione cleri quoad vestitum et munditiem, prout in parte in Dioecesi mea mandavi, debet institui uniformitas.

Ad extremum. Plurima colligentur puncta, quae propter bonum ordinem et Regimen Ecclesiarum erunt discutienda; haec autem compendiose congregata et ad trutinam Illustrissimo, Excellentissimo et Reverendissimo Domino Nuncio Apostolico cum omni debitae submissionis homagio, proposita et porrecta, pro maiori fide manu propria subscribo.

Unioviae, die 29 Iunii, 1720 Anno.

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leop.

4.

Univ, 21 . VII . 1720.

Rectori Leopoliensi de Synodo celebranda.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Msc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 493.

Exemplum Epistolae Rev.mi Episcopi Leopoliens., Ritus Graeci Uniti,
ad R. P. Trombetti.⁶

Religiosissime et Reverend.me Domine, Domine et Frater Observandissime

Circa regressum meum Vladimiria Unioviam, non intermitto expressionem debiti cultus et observantiae Rev.mae Dominationi Vestrae simulque ea deferre, quae in conferentia habui cum Ill.mo Metropolitanano; nec in minimo puncto potui intel-

⁴ Confraternitates, quae ex iurisdictione Episcoporum locorum exemptae erant auctoritate patriarchali; Confraternitas vero Leopoliensis, postquam unionem ecclesiam anno 1709 acceptavit, immediate Sanctae Sedi Apostolicae subdita erat, Nuntiusque Apostolicus Varsaviensis supervisionem eius activitatis habuit.

⁵ Decretum omisum fuit die 7 Februarii an. 1624, et postea die 7 Julii 1624 ad solos restrictum fuit Ecclesiasticos.

⁶ Rector Pontificii Collegii Leopoliensis Armenorum et Ruthenorum (1706-1723).

ligere sensum eius, anonime tantum se habuit, quod necessariam hanc Synodum ex variis circumstantiis iudicavit. Puncta quae habet Rev.ma Dominatio Vestra ab Ill.mo Palatino Russiae⁷ sunt proposita ab Eminentissimo Domino Nuntio, quia ostendebantur mihi ab Ill.mo Metropolitano eadem; ut haec Synodus celebretur in Collegio Pontificio, ullo modo non vult concedere Dominus Metropolitanus, et dixit mihi, quod iam scripserat ad Rev.mam Dominationem Vestram in hoc negotio;⁸ et rogabit ut non procul ab Illustrissimo Domino Nuntio haberet stationem; explicavi ipsi quod prope non est; cum omni commoditate omnia, Deo iuvante, procederent bene, ut tantum a pestilentia Leopoli sit libera. Ego hodie migro Rohatiniam et Rohatinia quo me vertam nescio, si quidem iam semi unum miliare distat ira Domini⁹ Uniovia; expectabimus commiserationem divinam in quali dispositione nos vult esse conservaturos. Ob casum pestis Leopoli, Zamosciae celebraretur ista Synodus, ita iam quasi est constitutum. Plura non habeo ad deferendum, hoc tantum superaddo, quod sum Religiosissimae et Revd.mae Domin.nis V.

Frater et Servus Observandissimus
A. SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis.

Unioviae, die 21 Iulii 1720.

5.

Univ, 21 . IV . 1722.

Petit, ut penes P. Trombetti conservetur officium Rectoris Leopoliensis, propter bonum Ecclesiae Unitae, modoque speciali Eparchiae Leopoliensis.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 308rv.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini, D.ni S. R. E. Principes
Cardinales, Domini, Patroni Colendissimi et Benefactores
Amplissimi.

Licet in Synodo Provinciali Zamosciensi ex consensu totius Status nostri Hierarchici inter alia desideria et id statuendum esse duximus, et Eminentissimis Dominationibus Vestris supplicandum cum submissa veneratione censuimus, quatenus Reverendissimus Pater Trombetti, Collegii Pontificii Leopoliensis actualis Praefectus, ad vitae suae tempus eadem gaudeat praefectura,¹⁰ attamen nulli prodest tam particulare desiderium videre et audire protinus hocce interesse, ex favorabili Eminentiarum Vestrarum respectu effectuatam, quam mihi, quoniam in mea Dioecesi Seminarium nostrum existere considero, quod certe sine ulla laudis copia, sed veritati perhibendo testimonium, maioribus in dies erigitur foundationibus, per singularem curam ac sollicitudinem Reverendissimi Patris Praefecti, tam egregii et omni exceptione maioris subiecti; cuius praesentia si transferri disponderetur, multum nobis molestiae et in rebus bene caeptis variationis adesset. Nullus enim tam exacte potest subesse bono ordine,

⁷ Joannes Jablonowski (1703-1731).

⁸ Cfr. epistolas Metropolitanae Leonis Kiszka.

⁹ Pestis grassans Leopoli et in viciniis.

¹⁰ Revera usque ad suam mortem an. 1723 permansit Leopoli.

et regimine quam ille, qui a viginti sex annis suam continuando in Collegio residentiam, omnium Magnatum, et Procerum Regni huius in se traxit affectus, quod est maxime proficuun nobis, et Seminario nostro; pro fundatione cuius ulteriori et auctione nonnulli Illustrissimi Domini Episcopi, prout Luceoriensis, Premisliensis, et ego cum ipsis synodaliter polliciti sumus certam summam, quam hucusque haesitamus (f. 308v) cui nam debeamus concedere, dum non existimus certi de positiva declaratione Eminentiarum Vestrarum, ratione mansionis ulterioris Reverendissimi Patris Praefecti, qui ut magis condecoret et augeat Seminarium nostrum non dubito Illustrissimos Dominos Episcopos recurrere suis cum remonstrationibus et submissis postulatis ad Eminentias Vestras; ego autem pro principali Dioecesis meae hoc negotium ducendo necessitate, provolvor ad amplexum pedum Eminentiarum Vestrarum, enixissimis precibus supplicando, quatenus ex particulari erga Dioecesim meam protectione non alium, sed hunc virum benemoratam et omni aestimatione dignum pro continuatione boni ordinis in eadem Praefectura benigne declarare dignentur. Praestita eo in passu superna Eminentiarum Vestrarum clementia consolabitur cunctos, et conducet ad immolanda quaevis obsequiorum officia, cum quibus ut et mea vox in nexu perpetuae obligationis promulgata admitti valeat supplico, simulque desideratissimam expectando effectuationem et sacratas tum de Vaticano Murice purpureas Eminentissimarum Dominationum Vestrarum osculando fimbrias, maneo inconcussa fide atque nunquam desidero cultu.

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum
humillimus Servitor, et indefessus Exor.

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episc. Leopol., Halic., et Camenecen.

Unioviae, die 21 Aprilis, 1722 Anno.

6.

Leopolis, 22 . V . 1722.

Commendat Nuntio Apostolico Rectorem Leopoliensem, P. Stephanum Trombetti.

APF, *Scrirt. rit. n. Congregazioni Generali*, vol. 636, f. 453.

Illustrissime, Excellentissime, et Reverendissime Domine,
Domine Patrone Colend.me et Benefactor Amplissime.¹¹

Reverendus Pater Trombetti arripiendo iter Varsaviam et intendens ibi comparere in conspectu Excellentiae Vestrae, dat mihi motivum ad renovanda humillima mea obsequia Excellentiae Vestrae, et magno eius nomini pleno obligationis nexu debita, quae dum hoc literali contextu exarare non desino, concomitor mea interpositione Reverendissimum Patrem Praefectum, rogando enixe Excellenciam Vestram, quatenus eundem sua benevolentia protegat, et per declarationem Sacrae Congregationis, ut suam continuet residentiam in hoc Collegio, nos omnes compotes votorum reddat et faciat. Quo in puncto ego prout inter alios ego id summopere desidero, ex urgentissima Dioecesis meae necessitate, ita me particulari Excellentiae Vestrae insinuo

¹¹ Ad Nuntium Varsaviensem Hieronymum Grimaldi (1712-1720).

respectui, et negotia mea per Reverendissimum Patrem Trombetti exponenda incessanti protectioni dum recomendo, maneo nunquam desituro cultu et obsequio.

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae D.nis Vestrae

Servus obsequentissimus et Exorator.

A. SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliens. Halicien. et Camenen.,
Abbas Univ. (mpr) Leopoli, die 22 Maii, 1722 Anno.

7.

Leopolis, 8 . VII . 1722.

Exponit Causam suam cum Confraternitate Leopoliensi, petitque ut haec Confraternitas ad subiectionem reducatur Episcopi Leopoliensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 636, f. 73rv, 76.

Eminentissimi, et Reverendissimi Domini, S. R. E. Principes Cardinales,
Domini Patroni Colendissimi, et Benefactores Amplissimi.

Nullibi sane in convulsione iurisdictionis meae reperio adverteoque praesidium et tutamen, nisi sub clypeo protectionis Eminentissimarum Dominationum Vestrarum, quarum particularis benevolentia cunctis in Orbe Christiano cum nitescere appareat, concuro et ego ad eandem, simulque negotium meum cum Confraternitate ad Ecclesiam Leopoliensem Assumptionis in Coelum Beatissimae Virginis Mariae sita reasumo et in efficacissima Eminentissimarum Dominationum Vestrarum dispensandae gratiae colloco tuitione. Haec enim nomine non re Confraternitas, in qua quinque solum numerantur personae, antiquissima stante adhuc disunione semper erat loci Ordinariis Episcopis Antecessoribus meis subiecta, tandem post obitum immediati¹² pie defuncti Illustrissimi Szumlanscii, Episcopi Leopoliensis, *vacante Sede Episcopali* in contrarium procedendo successoribus Episcopis Bullam Pontificiam in anno 1709 obtinere procuravit,¹³ per quam non solum a loci ordinaria potestate exemptam se esse sentit, verum etiam et visitationem Ecclesiae Parochialis denegandam remonstrat. Quapropter non minus Ecclesia haec patitur detrimentum, per dispersionem notabilis Proventus Ecclesiastici, et pro usu commodoque proprio conversionem. Nulla est in tota Polonia et Lithuania tantae praerogativae Confraternitas tam in Latino quam in Graeco Ritu, licet digniora subiecta et magis ad decus Ecclesiae, et emolumentum apta, variis in Dioecibus inveniuntur, unica solum haec Leopoliensis tanto Apostolici respectus gloriatur favore, quae nec in minimo puncto etiam in spiritualibus (f. 73v) obedire conatur, quandoquidem et Iubilaeum cum Christi Fidelibus absolvere renuit, neque scio quidnam sentire et cogitare praesumat, dum gloriando Apostolicis Beneficiis, ea non videtur observare, quae pro salute animarum a suprema conferuntur potestate.

¹² Revera Confraternitas haec usque a secunda medietate saec. XVI erat stauropegiaca, id est Patriarchae Constantinopolitano subiecta. De sua iurisdictione in hanc Confraternitatem omnes fere Episcopi Leopolienses contendebant, sed nunquam plenum habuerunt successum.

¹³ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, sub dat. 5. IV. 1709.

Intermitto et alia quaequae opposita, sufficit mihi enarrare constitutionem Synodalem Zamosciensem, quatenus nulli typo imprimantur libri in Typographio eiusdem Confraternitatis sine scitu loci Ordinarii et correctura, quam minime apprehendendo, tot libros varii operis in publicum emisit, non requirente correctione. Ista ergo uti amicus veritatis, exonerando conscientiam meam, defero, enixe Eminentissimis Dominationibus Vestris supplicando, quatenus ex benignitate et patrocinanti respectu suo dignentur hos illicitos Confraternitatis ausus discutere, et eandem, ut melius de potestate mea loci ordinaria sentiat disponere, simulque cum aliis Illustrissimis Episcopis (qui nullam in suis Dioecesibus exceptionem advertunt) me coaequare, et Confraternitatem memoratam secundum Jus liquidum et antiquum iurisdictioni meae incorporare.

Quidcumque eo in passu Eminentissimae Dominationes Vestrae favoris et animadvertendae considerationis praestare non denegabitis, restaurabitur per hoc medium avulsae dotis ecclesiasticae fructus, meaque loci ordinaria potestas sua cumulabitur redintegratione, (f. 76) quae novos mihi subministrabit stimulos ad repraesentandum id, quod me singularissima Eminentissimarum Dominationum Vestrarum complectatur beneficentia, quarum nutibus et obsequiis cum totam meam immolo vitam, maneo inconcussa fide

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum, Patronorum meorum Colendissimorum

humillimus et obsequentissimus Servus et Exorator
ATHANASIUS SZEPTICKI, Episcopus Leopoliensis, Halicien.,
et Cameneceni, Abbas (mpr).

Leopoli, die 8 Iulii, 1722 Anno.

8.

Leopolis, 14 . VII . 1722.

Iterum de Causa Confraternitatis Leopoliensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 636, f. 74 - 75.

Religiosissime et Reverendissime Pater,
Pater et Frater Observandissime.¹⁴

Licet distantia loci separat Rev. mam Paternitatem Vestram a continua mea correspondentia, attamen non dubito, ut separet praeconceptum Rev. mae Paternitatis Vestrae erga personam meam affectum; in virtute cuius . . . cum ea qua par est observantia simulque non desino exprimere ea, quae iam Admodum R. ndus Pater Caetanus Cottone, actualis Theologiae in Collegio Pontificio Leopoliensi Lector, deferre nomine mei dignatus est. Maximam enim et vix explicabilem in dies patior iurisdictionis meae convulsionem, a Confraternitate Leopoliensi in civitate sita collatam, quae gloriando Bulla Pontificia, vacante Sede Episcopali post illustrissimum Szumlan- scium anno 1709 obtenta, non solum praeviderat Ecclesiae in dispersione Dotis eius-

¹⁴ Videtur ad Stephanum Trombetti, Rectorem Pontificii Collegii Leopoliensis (1706-1723).

dem, et in usum proprium conversione, verum etiam in spiritualibus obedire nequit. Nuperna enim die contra transgressores ieiunii excommunicationem publicare unus ex Confraternitate, cognomine Hrebenda, ausus est assurgere verbis laesivis et scommaticis contra auctoritatem meam loci ordinariam (f. 74v) et originale excommunicationis de manibus Monachi publicantis eripuit, illudque postposuit, et non catholica sed haeretica verba publice in Ecclesia, cum scandalo totius congressus devotioni adstantis proferendo, declaravit, se non solum tempore ieiunii, sed et feriis sextis non observare praeceptum Ecclesiae. Iubilaeum eadem Confraternitas non absoluebat, imo in contemptum faciendo cum choreis et saltibus dies illas paenitentiarum peregerat. Libros, in quibus errores etiam contra Fidem Catholicam inveniuntur, typo impressos tot in publicum edidit, nulla facta requisitione de correctione. Plus supprimo, ne inferam taedium in legendo R.mae Paternitati Vestrae, nam inique facta referre longa mora esset; sufficit mihi commemorare R.mae Paternitati Vestrae, bene scienti statum istius Confraternitatis, in qua quinque tantum numerantur vilissimae personae, et tanta moliri audet. Scripsi ergo nupera Posta ad Eminentissimos Dominos Cardinales de Propaganda Fide, quam epistolam cum manibus R.mae Paternitatis Vestrae per Rnd.mum Patrem Caietanum Cottone praesumserim confidere, deprecor Rd.mam Paternitatem Vestram, rogando (f. 75) ne id mihi vitio vertere dignetur, imo dexteritate sua, qua pollet, apud Sacram Congregationem interesse velit, ut haec Confraternitas, quae ad sinistram informationem Bullam obtinuerat, prioretur eadem, et ad corpus gremiumque ovilis mihi concrediti incorporetur, ne per hanc exceptionem et exemptionem detur eius sceleri et detrimentum Ecclesiae. Praestita favorabilis R.mae Paternitatis Vestrae in hoc puncto gratia, subministrabit mihi novos stimulos ad quaevis obsequiorum meorum officia simulque ad repraesentandum quod sim nunquam desitura aestimatione et cultu

Religiosissimae et Reverendissimae Paternitatis Vestrae

Servus obsequentissimus et Frater observandissimus

ATHANASIIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoli.

et Camenecen. Ritus Graeci.

R.ma Paternitas Vestra bene scit, quod Ecclesia in civitate existens non est Monasterium, sed Parochialis, quam pro informanda Sacra Congregatione, ut optatum effectuaret Confraternitas desiderium in obtentione Bullae, Monasterium depinxit nec nominando quod sit Ecclesia Parochialis, quae contra Concilium Tridentinum est modo exempta a mea iurisdictione.

Leopoli, die 14 Iulij, 1722 Anno.

9.

Leopolis, 10 . III . 1723.

Refert de morte P. Stephani Trombetti, Rectoris Leopoliensis, petitque ut officium hoc concedatur P. Caietano Cottoni.

APF, *Seritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 65, f. 165rv.

Eminentissimi et Reverendissimi D.ni, S. R. E. Principes Cardinales,
Domini Patroni Colend.mi et Benefactores Amplissimi.

Non sine sensu doloris ex morte Reverendissimi Patris Trombetti,¹⁵ Collegii Pontificii Leopoliensis Praefecti, proventientis incumbit mihi magnam Eminentissimis Dominationibus Vestris Collegii istius deferre iacturam, quae nullo modo potest aliter recompensari, nisi per gratum aliquem Successorem. Verum est, quod Reverendissimus Pater Caietanus Cottone,¹⁶ emeritus et omnium dignarum qualitatum vir, potuisset habere in sua dispositione hoc Collegium, quoniam sex annis continuando suam hic residentiam edocuit easdem tam in spiritualibus quam, in temporalibus, quas habuit Reverendissimus Pater Trombetti gubernandi species, sed quando ex speciali Eminentissimarum Dominationum Vestrarum mandato iam pridem arripere iter debet (nisi ingentia hac transeunte hyeme obstassent frigora:), ergo visum est mihi ex statione mea iustis et adaequatis motivis excussam instantiae meae tabulam porrigere Eminentissimis Dominationibus Vestris, cum enixissimo postulato, quatenus memoratum Reverendissimum Patrem Caietanum Cottone, ex respectivo suo erga Seminarium nostrum favore, in hac Praefecturae Superioritate benigne conservare dignentur. (f. 165v) Quidcunque hoc in passu Eminentissimarum Dominationum Vestrarum accedet favorabilis declarationis, id totum bonae in regendo Collegio consequentiae substituet documenta. Quapropter definitivam Eminentissimarum Dominationum Vestrarum expectando decisionem et resolutionem, delector hoc proposito et voto, quod sim indefesso cultu et submissa veneratione

Eminentissimarum et Reverendissimarum D.num Vestrarum, Patronorum meorum Colendissimorum

humillimus Servitor et indefessus Exorator
 ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis, Halicien,
 et Camenecensis ac Abbas Unioviensis Ritus Graeci
 (manu propria)

Leopoli, die 10 Martii, 1723 Anno.

10.

Leopolis, 22 . VIII . 1725.

Iterum de Causa cum Confraternitate Leopoliensi: explicat statum rei, petitque ut malis provideatur, eiusque conservetur iurisdictio.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 72, f. 88-89.

Emin.mi et Reverendissimi Domini, S. R. E. Principes Cardinales,
 Domini Patroni Colend.mi et Benefactores Amplissimi.

Licet Causa Ecclesiae Leopoliensis cum Confraternitate in lite pendens, ex speciali Eminentiarum Vestrarum dispositione, in Tribunali Nuntiaturae in nonnullis punctis, obsectis perplexitatibus, et abusibus est discussa, et terminata, attamen cum in maiori et essentiali circumstantia, ratione exemptibilis Bullae, sit devoluta et remis-

¹⁵ Obiit anno 1723, postquam summa cum laude officium Rectoris inde ab anno 1706 obibat. Bene meritus de Ecclesia Unita, et praesertim de Eparchia Leopoliensi. Archiva Romana S. Congregationis de Prop. Fide plena sunt epistolarum et informationum ab eo scriptarum.

¹⁶ Duo fratres ex familia nobili Cottone tunc temporis Leopoli commorabantur, ut Lectores in Pontificio Collegio Leopoliensi; origine erant italica, et Congregationis Theatinae membra.

sa ad Sacram Eminentiarum Vestrarum Congregationem, ergo nihil aliud necessarium esse arbitror, nisi tabulam humillimae supplicationis meae porrigere valem, pulsando apostolicum Eminentiarum Vestrarum pectus, quatenus solitum, et per Universum christianum Orbem extensum dispensandae gratiae obtinere possim respectum; ut quatuor laicae personae et quidem vilissimae conditionis, in praedicta Confraternitate existentes, per Bullam anno 1709, vacante Episcopatu et per consequens non audito Episcopo, procuratam, exemptae, non gaudeant tali Privilegio, ut se praesumant esse renitentes, nec subesse loci Ordinario; hac enim immunitate sua abutendo, tum a longe circumspeditionem Eminentiarum Vestrarum minime considerando, meamque iurisdictionem totaliter vilipendendo, (f. 88v) ingentia Ecclesiae intulere damna, quae prima inter nostras Ecclesias fere in tota Polonia numerata, modo cum miserrimis et tenuissimis Ecclesiis vix non comparata, quoniam non solum in piis legationibus, inscriptionibus, et Testamentariis dispositionibus est devastata, verum etiam aliis proventibus ex Typographio, per venditionem librorum quotidianam procedentibus, totaliter spoliata; sunt tot et tantae Confraternitates in Ritu Latino, quae stupent et mirantur animadvertendo scandalosissimam hanc bonorum Ecclesiae dispersionem per quatuor personas peractam, quae semet ipsas de bonis iisdem ditando, nec pro Ecclesiae necessitate quidquam curando, ultima eandem consignarunt ruina. Ut itaque aperti et sole meridiano clariores abusus istarum personarum evellantur, et eradicentur, requiritur Vaticanum Eminentiarum Vestrarum Oraculum, a quo ut et mea iurisdicatio episcopalis collapsa redintegretur, et in suo esse, cum plena potestate, uti loci ordinaria conservetur, enixe et submissee ad Eminentias Vestras supplicare non cesso, simulque plenam in his omnibus intervenientiis a Tribunali Nunciaturae dandam esse Eminentis Vestris (f. 88) Informationem existimo. Ego vero singularissimis favoribus hoc negotium recomendando, tum sacratas Eminentiarum Vestrarum Purpurae fimbrias deosculando, maneo intra sphaeram continui obsequii, ut possim semper declarari

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum
 humillimus Servus et Exorator perpetuus
 ATHANASIIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis,
 Haliciensis et Camenecensis Unitus
 (mpr).

Datum in Cathedra mea Leopoliensi, die 22 Augusti, 1725 Anno, etc.

11.

Leopolis, 1 . X . 1726.

De Causa Leopoliensi Confraternitatis eiusque subiectione iurisdictioni Episcopi.

APF, *Scr. rit. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 53rv.

Emin.mi ac Rev.mi Domini, S. R. E. Principes Cardinales,
 Domini, D.ni Clementissimi.

Quam semel tentavi fortunam, hanc iteratis animi mei votis in sinu gratiae Eminentiarum Vestrarum quaerere cogor, nec minime tandem me hanc obtenturum de-

spero.¹⁷ Sacrum equidem ago Tribunal, nec aliud cursui meo pono bravium, quam ut diuturnis exagitata procellis Leopolitanae Ecclesiae cymba, optabilem e coelo vestro nanciscatur Zephyrum; coeptumque in conspectu Vestro iam iam dudum certamen ad felicis Sponsae Domini Regimen praeoptatam delibet coronidem. Prodigos Leopoliensis Ecclesiae evoco Confratres, impiumque eorum consilium in dilapidanda ecclesiastica fortuna iustissimo Emin.rum Vestrarum proponens iudicio, inexcusum altae Protectionis expecto clypeum. Perorant enim in dies Sacraria, pioque applicatae usui suppellectiles vix non sensato proclamant cordolio, quam magno subiaceant vilipendio, quam grandi per manus vix non sacrilegas sint proximae ruinae. Nec concredita curae meae Iurisdictio toti impracticabilem Universo Divini Numinis tacet iniuriam, quin potius vos solos Dominicae Ecclesiae agnoscens cardines, firmissima e solo Vestro praestolatur subsidia. Discernite itaque Principes Em.mi Vestro subiectam solio Leoburgicae Ecclesiae causam, opportunaque (f. 53v) Iudicii Vestri remedia inveteratae iacientis controversiae, iniquo non plus ultra ponite consilio. Ego vero Sacram Eminentiarum Vestrarum exosculando fimbriam, dum meam a laico fastu vindicandam spero Iurisditionem, indefessum meum obsequium usibus Eminentiarum Vestrarum subicio.

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum, Dominorum, Dominorum Clementissimorum

humillimus Servus et Exorator indefessus

ATHANASIUS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliens., Halic.
et Caminen., Abbas (mpr).

Leopoli, die 1 8bris, 1726 Anno.

12.

Leopolis, 9. IV. 1727.

De Confraternitate Stauropigiana Leopoliensi eiusque subiectione iurisdictioni Episcopi loci.

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 88rv.

Eminentissime ac Reverendissime D.ne et Patrone Col.me.¹⁸

Sortem quisquis volet inquirat aliam, correspondentem votis meis fortunam porrecta meritis Emin.tiae Vestrae agnoscere Praelatura devictiori libuit animo. Augur enim hinc non vanus ero, ut novo donatum Praeside Sacrum Emin.morum Principum Tribunal novis gratiarum fluentis Christi conspergat Vineam. Allidet certe ad firmam magni nominis Petram Leopolitana Dioecesis meae Ecclesia, quae tot adversis exagitata fluctibus, tot inimicis obruta remoris, vix vix ultimum non patitur naufragium, nec eousque queribunda a gratioso recedet scopulo, donec peroptatum experta favorium, sese exspoliantium Confratrum praedam finali Emin.tiae Vestrae declinet oraculo. Dabit tamen praetensae veritati pondus plus quam trecentis dime-

¹⁷ Agitur de Causa cum Confraternitate Leopoliensi Stauropegiana agitata de eiusdem Confraternitatis subiectione Episcopo loci. Cfr. *Indicem nominum et rerum: Confraternitas*.

¹⁸ Agitur de novo Praefecto S. Congregationis de Prop. Fide, Vincentio Petra (1727-1747).

titus philuris (:a Perill.ri vero Mieloruci septem Romanis subiciendus collibus:) legalis hac in re processus. Ego vero Sacram Eminentiae Vestrae (f. 88v) exosculando fimbriam, profundissima animi mei demissione exiguam concludo paginam.

Emin.mae et Revd.mae D. Vestrae Patr. mei Cold.mi

obsequen. Servus et Exorator
A. SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliens.

Leopoli, die 9 Aprilis, 1727 Anno.

13.

Leopolis, 15. X. 1727.

Iterum de Causa cum Confraternitate Leopoliensi agit.

APF, *Scrirt. rif. n. Congregazioni Parvicolari*, vol. 72, f. 90rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini,
Domini et Patroni Colendissimi.

Gratiosa Eminentiarum Vestrarum pectora ubi plus quam geminatis vicibus pulsare cogar, ibi evangelica aperiendorum promissa minime reperio. Quam enim non arripui viam! uti in processu meae cum Leopoliensi Confraternitate causae optabilem attingam scopum, quam non tentavi fortunam? ut dilapidata a binis Confratribus ecclesiastica fortuna pristinae restituatur integritati. Ast ubi non exigui vultus mei sudores iucundiores deberent polliceri messem, ibi versutiora Adversantium capita minus serenam ominantur diem. Loquitur enim publica fama finale illudque minus favens meae, et ecclesiasticae parti emanasse sancitum, sed ubi Adversantes prolato in partem suam gloriantur Decreto, ego minime consternor, certus enim maneo, quod non modico sumptu, sanguineoque sudore conscripta, per manus vero Perillustri et Rev.mi Mielorucij, Canonici et Archidiaconi Leopoliensis iam dudum Romam transmissa documenta, benignas Eminentiarum Vestrarum aures penitus laterint. Addam solum (f. 90v) prae finali laborum meorum coronide dispersos vix non in universum errores, quos in Leopoliensi Typographia ex incuria Confratrum subortos, a Rev.mo vero Policarpo Philipowicz,¹⁹ Archimandrita Lescinensi, non sine notabilibus expensis meis nunc primum censuratos, altissimo Eminentiarum Vestrarum porrigo iudicio; spem non incertam hinc concipiens, ut si particularis Sponsae Domini ruina opportunum e caelo vero non meretur subsidium, communia saltem in Ovili Christi damna illud e gratioso Eminentiarum Vestrarum exposcant sinu; quemque ut Pastorem agnoscere rebelles recusant animi, illum saltem benigna Tribunalis Vestri dispositio verum Eminentiarum Vestrarum agnoscat Clientem.

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum
humillimus Servus et indefessus Exorator
ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis
Haliciensis et Camenecensis Unitus

Datum Leopoli, die 15 Octobris, 1727 Anno.

¹⁹ Polycarpus Fylypovyč, Procurator in Urbe (1690-1701), dein nominatus Vicarius Apostolicus Mukačoviensis cum tit. Ep. Bodonensis (1710); sed ad Eparchiam Mukačoviensem ab Aula Viennensi non admissus, ad dispositionem erat tum Episcopi Peremyšliensis tum etiam Metropolitanæ Kioviensis. Vir doctus, rerum orientaliū et liturgicarum peritus.

14.

Varsavia, 5 . X . 1728.

*Professio fidei catholicae novi Coadiutoris Kioviensis.*ASV, *Processus Consist.*, vol. 115. fol. 382.

Ego Athanasius Szeptycki, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis Podoliae:

Firma fide credo, et profiteor²⁰ omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem Factorem Caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et saepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuus. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et Vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter, Corpus, et Sanguinem, una cum anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque inte-

²⁰ Professionem hanc solitam Urbani VIII hic imprimere utile putavimus, ut omnia documenta reperibilia Metropolitanae colligamus.

grum Christum verumque Sacramentum sumi. Constante teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuari. Similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo, tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas ego pariter damno, reicio, anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subbitis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem Athanasius Szeptycki Ep. pus Leopoliensis etc. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego infrascriptus supra positam fidei professionem ab Ill. mo Domino Athanasio Szeptycki, Episcopo Leopoliensi et Camenecensi Ritus Graeci Unitorum, de verbo ad verbum in manibus meis emissam recepi, et eam testor mm. pp.

C. Archiepiscopus Iconiensis, Nuntius Apostolicus etc.²¹

IN NOMINE DOMINI AMEN. Omnibus et singulis, quorum interest, fidem facio et attestor ego infra scriptus, quod anno a Nativitate Eiusdem Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Indictione Romana sexta, die vero quinta mensis Octobris, constitutus personaliter Rev. mus Dominus Athanasius Szeptycki, Episcopus Leopoliensis et Camenecensis Ritus Graeci Uniti, coram Ill. mo ac Rev. mo D. Camillo Paulutio, Archiepiscopo Iconiensi, et Nuntio Apostolico in Regno Poloniae etc. flexis genibus et Sacrosanctis Evangeliiis, quae prae manibus habebat, tactis, medio iuramento, retrospectam fidei professionem, de verbo ad verbum, prout iacet, in manibus eiusdem Ill. mi ac Rev. mi Domini Nuntii Apostolici emisit, et in locis, ubi nomen dicti Rev. mi Domini Athanasii Szeptycki scriptum est, propria manu scripsit, praesentibus Adm. Rev. do Patre Theodosio Rudnicki,²² Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandrita Kaniovien. et Nobili Antonio, Officii Stabuli Praefecto, Ill. mae ac Rev. mae Dominationis Suae Nuntii Apostolici Domestico et familiari, Testibus ad praemissa vocatis, habitis, atque rogatis.

Actum Varsaviae, anno, mense, die, quibus supra. Et in fidem me subscripsi, signoque mei Notariatus publici communivi.

²¹ Camillus Merlino (1728-1738).

²² Dein Episcopus Luceoriensis (1731-1751). Cfr. supra, nota 2, in *Documentis Biographicis Romanis*.

Stephanus Skwarczynski, Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius, et Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae Vice Cancellarius (mp.)

(L. S.)

(Stella mihi dux est, crux salvat, tela tuentur).

15.

Varsavia, 9 . X . 1728.

Refert de confectione Processus informativi in suam personam, promovendam ad Coadiutoriam Kioviensem.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, f. 173rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi Sacrae Romanae Ecclesiae
Principes, Domini et Patroni Colendissimi.

Portum desideriorum suorum raro attigit, qui gratiosum Vicariorum Christi pulsans Ostium firma Eminentiarum Vestrarum subsidia praestolari negligit. Non enim me latet vigil Eminentiarum Vestrarum sollicitudo, quae adeo maximis Universi prospicit negotiis, ut in ea ordinatus Ecclesiasticae Reipublicae vertatur cardo. Quamobrem non incertam spem concipio, ut quem de Persona mea Processum Sacrum Legati Apostolici formavit Tribunal,²³ benigna quoque Eminentiarum (f. 173v) Vestrarum Patrocinia adunato probent consilio. Quod ut ipsa etiam SS.mi Domini Nostri praestet clementia, dum auxiliatrix Eminentiarum Vestrarum praeibit gratia, perenne in corde meo exarabit votum, ut humile sacris Purpuris depones osculum immutabiliter maneam

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum, Patronorum meorum Colendissimorum

humillimus Servus et Exorator

ATHANASIVS SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis.

Varsaviae, die 9bris, 1728 Anno.

16.

Leopolis, 26 . X . 1729.

Conqueritur de ex Protoarchimandrita Basilianorum, de retentione bonorum etc.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 5, fol. 255rv.

Religiosissime et Rev.me in Christo Pater,
Patrone Colendissime.

Magno de ingratitude Rev.mi Protho Archimandritae Ordinis D. Basilii Magni²⁴ percussus dolore, opportuna a Rev.ma Paternitate Vestrae remedia exposcere co-

²³ Cfr. partem huius processus supra, in *Documentis Biographicis Romanis*, depromptis ex Actis S. Congreg. Consistorialis.

²⁴ Lebeckyj Cornelius (1727-1729). Revera obtinuit nominationem ad Eparchiam Volodimiriensis (1729), post obitum Leonis Kiszka (1728). Sed hoc eodem adhuc anno obiit.

gor. Postquam enim in exportanda pro Persona eiusdem Rev.mi Protho Archimandritae ad Episcopatum Vladimiriensem²⁵ S. Regiae Maiestatis Nominatione non modicam meam impendi curam, mox adeo notabiliter auctoritati iurisdictionique meae recalci-trantem eundem adveni, ut non solum integrum Ecclesiae Metropolitanae apparatus argentarium, et summam per pie defunctum Metropolitanum ex certis bonis Metropolitanis levatam, in Monasterio vero Suprasliensi depositam (ipsis praefati Monasterii Religiosis non solum non negantibus (f. 255v) sed ultro fatentibus, et tantum de quantitate summae tum mobilium disceptantibus:), ad multiplicem requisitionem meam, nescio quo praetextu, extradare recuset, verum etiam cum non modica iurisdictionis meae postpositione sine praevia ad Episcopatum consecratione Bullisque, iuxta praescripta SS.mi Domini Nostri Clementis VIII, a solo Metropolitano pro tempore existente obtinendis, possessionem bonorum praefati Episcopatus Vladimiriensis attentare et arripere praesumpserit, quin imo Iura in Roxolana Ecclesia usu antiquata, sacris canonibus comprobata, maxime vero circa renovatam unionem de consecrandis et investiendis a solo Metropolitano Episcopis, a Sancta Sede Apostolica Ruthenis indulta, per procurandam ab alio quam a Metropolitano suae Personae consecrationem infringere et annullare iactaverit. Quoad ne id forte apud Sanctam Apostolicam attentet Sedem, solitam Rev.mae Paternitatis Vestrae exposco gratiam, ut huic malo experta occurrere faveat dexteritate, me semper profitente, quod omni cum obligatione maneam

Religiosissimae et Revd.mae. Paternitatis V. Frater etc. etc.

A. SZEPTYCKI, Archiep. Metropolit. totius Russiae.

Leopoli, die 26 8bris, 1729 Anno.

17.

Leopolis, 2 . X . 1731.

Conceditur facultas transeundi ad Riturum Latinum quodam Sacerdoti rutheno, ut posset ingredi Ordinem Eremitarum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 670A, f. 433.

Athanasius in Szeptyce Szeptycki, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis ac totius Russiae, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis, Archimandrita Kijovo Peczarensis et Unioviensis.

Dilecto nobis in Christo Theodoro Komarnicki, salutem in Domino sempiternam. Cum, ut nobis ex posuisti, a viginti circiter annis Riturum Romanum amplexus es, quamvis ex Ritus Graeci Parentibus sis progenitus, ob solidas, variasque rationes iterum redire cupias ad Riturum Latinum, in quo christianae humilitatis et perfectionis, Divina tribuente gratia, a saeculi fluctibus ad solitariam Eremitarum vitam, velut ad tranquillum salutis portum transferri intendas,²⁶ nobis supplicas, ut ex parte nostra te tam ex iurisdictione nostra dimittamus, quam etiam de Graeco Unito Ritu ad La-

²⁵ Ab anno 1730-1756 Eparchiam hanc habuit Theophilus Godebskyj, qui Carnelio Lebeckyj successit.

²⁶ Ratio hic adducitur valida: nempe maior perfectio in vita eremitica obtinenda.

tinum Rítum transire permittamus. Nos idcirco supplicationi tuae benigne annuentes, tibi Rítum Latinum amplecti et in eodem servire Altissimo (:dummodo id Sacrae Congregationi de Propaganda Fide consentaneum visum fuerit:) quantum ex nobis possumus facultatem damus et impertimur. In quorum fidem etc. Dabantur Leopoli ad Cathedram nostram, die 2 8bris 1731 Anno.

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius
Russiae (mpr).

18.

Univ, II . III . 1732.

Conqueritur de concessa facultate transeundi ad Rítum Latinum Alumno Leopoliensi, periculaque exinde promanantia explicat.

APF, *Scrítt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Rutheni*, vol. 5, fol. 445rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Principes,
Domini et Patroni Colendissimi.

Praesentato mihi Sacrae Congregationis Eminentiarum Vestrarum Decreto pro transitu ad Rítum Latinum Basilio Zurakowski, Alumno Seminarii Leopoliensis, sub die 7ma Januarii anno praesenti emanato, et facultati concessae neque debeo neque possum inficias ire, imo omni veneratione me submittere gloriam obsequiis quaerendo Catholicae Professionis documentum praebere obligationis meae duco.²⁷ Liceat tamen Fidei Catholicae detrimentum per labefactandam Unionis Sacrae propagationem Vestris Eminentis remonstrare tantisper. Quis ignoret, et nisi sit passionatissimo corde in nostris his partibus non demonstret, quanta sit copia Cleri latini, et quanta inopia Ministrorum Ruthenorum Catholicorum; pergimus indies ultra, accedunt Ecclesiae, et populus ad suave iugum Domini, qui dirigant apparent pauci vel maxime scientiis destituti. Unicus sperabatur tanquam equus Traianus submissurus Heroas locus Seminarii Leopoliensis. Elusit spem et vota nostra idem supra memoratus Alumnus deditque viam omnibus secuturis subterfugendi Apostolicos labores. (f. 445v.) Transitus enim hic nec proximorum salutis zelo, nisi bene se habendi, pinguiora beneficia tenendi, et intentioni Fundatorum eludendi est circumdatus. Plura pro cordolio totius Russiae Vestris Eminentis explanare non video commodum, magis supponens praevidendam fore a S. Eminentiarum Vestrarum Congregatione Unionis Sanctae in Russia iacturam et existentium in schismate Ritus sui tenacissimorum et per hanc Alumni unius sequelam praesentientum aversionem, quam ut ego explicare possim. Supplico itaque Eminentis Vestris nomine totius Hierarchiae nostrae, quatenus praevisis praevidendis, quod optimum videatur statuere dignentur. De caetero ego munere officii mei functus per hunc supplicem satis videor, dum sensum meum et cordolium cum summo obsequio parendi Eminentiarum Vestrarum sancitis humillime subiicio, et

²⁷ Cfr. *Acta S. Congreg. de Fide Prop. Fide*, vol. III, Romae 1954, pag. 254, nr. 1083, ubi S. Congreg. rescripsit: « Supplicandum SS. mo pro gratia, accedente consensu sui Ordinarii.

earundem sacras Purpurarum fimbrias debito veneror basio maneoque submississimo cultu et adoratione

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum
humillimus Servus et Exorator indefessus
ATHANASIVS SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Unioviae, die 11 Martii, 1732 Anno.

19.

Varsavia, 17 . III . 1732.

De prohibendo transitu uxorum ad Ritus mariti.

APF, *Scrit. rij. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 5, fol. 358rv.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, S. R. E. Principes Cardinales,
Domini et Patroni Colendissimi.

Gravia Ruteno-Uniti Ritus praeiudicata sicut pro munere meo observare teneor, ita dum eadem indies multiplicari comperio, non alio quam ad solam Fidei Ritumque Magistram pro remediis recurrere cogor. Sola itaque S. R. Clementis VIII declaratio est illa,²⁸ quam pro solis Calabriae, et Siciliae Provinciis Graecisque in iisdem degentibus datam, plures Partium nostrarum Ruthenae Mulieres, mala interpretatione ita in suas trathunt partes, ut proprio nativoque deserto Ritu, Latinum, marisque suis communem, amplecti passim praesumant. Sicuti tamen praelibata declaratio non aliud habuit fundamentum, nisi summam Pastorum Ecclesiarumque Ritus Graeci in Provinciis suprafatis penuriam, ita eodem fundamento, in partibus nostris maximam (f. 358v) Operariorum, Ecclesiarumque Rutheni Ritus copiam praeferentibus, penitus sublato, ipsa etiam superficies tolli debet. Alto igitur Eminentiarum Vestrarum iudicio commune hocce Ritus et Hierarchiae nostrae subiicio negotium, certo certius sperans, quod per piam Eminentiarum Vestrarum cooperationem et sacrosancta P. M. Urbani VIII Decreta, transitum de Graeco ad Latinum Ritum cuiusvetantia, ac eousque ab ipsis Unionis Sanctae primordiis immulabiliter observata,²⁹ Apostolica confirmabuntur autoritate, et praetensae, Ecclesiaeque nomini iniuriosae quo ad eundem transitum libertati omnis praecludetur via. Mihi vero cum toto Coepiscoporum meorum Collegio campus aperietur, ut circa osculum sacrae Eminentiarum Vestrarum Purpurae indesinenter sim.

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominatorum Vestrarum
humillimus et obsequiosus Servus

ATHANASIVS SZEPTYCKI, Archiep. Metropolit. totius Russiae (mp).
Varsaviae, die 17 Martii, 1732 Anno.

²⁸ Ex anno 1595. Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque auctorum*, in nostra Collectione.

²⁹ Ex anno 1624. Cfr. *Acta S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1953.

20.

*Ustja, 17 . VII . 1732.**Conceditur licentia cuidam Sacerdoti transeundi ad Riturum Latinum et ingrediendi in Religionem latinam.*APF, *Scrirt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 674, f. 30.

Athanasius in Szeptyce Szeptycki, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, et totius Russiae, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis, Archimandrita Kijovo-Peczarensis, et Unioviensis.

Dilecto nobis in Christo Stanislae Kozlowski, salutem in Domino sempiternam. Cum ut nobis exposuisti Religionem Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum ingredi intendas, utque tibi liceat transire de Ritu Graeco Unito ad Latinum (:quem a multis annis amplexus es:) ad nos recursum feceris, nos idcirco supplicationibus pro parte tua dignarum Personarum, et eo nomine porrectis inclinati, tibi transitum a Ritu nostro Graeco Unito ad Romanum (:dummodo id Sacrae Congregationi de Propaganda Fide visum fuerit:) permittimus,³⁰ et praesentibus Dimissorialibus nostris facultatem et licentiam damus, ac concedimus, servata tamen rigorosissime hac clausala, et conditione, ut omnino vota tua adimpleas, et in praedicta Religione Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum permanes, sinsecus aliter feceris, transitum hunc pro nullo reputaturi. In quorum fidem Praesentes manu propria subscripsimus et sigillo nostro communiri iussimus. Dabantur Usciae, die decima septima Iulii, 1732 Anno.

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
PAULUS SAMBORECKI, Pub. S. Auth. Apost. et Curiae
Ill.mi Exc. Illmi, ac Rev.mi D.ni Metropolitani
Kijovien. ac totius Russiae Notarius (mpr).

Facultas transeundi a Graeco ad Latinum Riturum.

21.

*(Leopolis), 20 . VIII . 1732.**Excusat se coram Nuntio Varsaviensi de quibusdam accusationibus.*ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 164, fol. 432.

Excerptum ex literis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Athanasii Szeptycki, Meropolitani totius Russiae, ad Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum, scriptis sub die 20 Augusti currentis anni 1732.

Quod vero toties inculcatum respectu Helenae Szijskowskae concernit interesse,³¹

³⁰ Licentia haec Ordinarii loci erat necessaria ad obtinendum decretum transitus a Sede Apostolica, quae semper quasi hanc conditionem apponebat. Cfr. supra, nota 27.

³¹ Fortasse agitur de transitu ad Riturum Latinum.

prout semel hoc totum supremae Sanctissimi Domini Nostri subieci dispositioni, ita nec in puncto eidem adversari officium meum audet, summopereque miror, quod per sinistram delationem (quasi quod dictam Helenam Szijskowskam ex eo respectu molestare permittam) acceptas Excellentiae Vestrae hac in re insinuationes non observare depingar, qui potius iisdem adamussim obsequi pro principali habeo obiecto. Et caetera.

22.

Leopolis, 1 . X . 1732.

Commendatur Alumnus, Romam proficiscens.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 5, fol. 443.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Properantem in adorationem Eminentiarum Vestrarum Venerabilem Caesarium Stebnouski,³² Basilianae Religionis filium, tanto promptius mea comitor expostulatione, quanto firmitus sperare possum, quod bona eiusdem properantis indoles, maioris in Sacris Literis profectus cupida, sibi sola in gratioso Eminentiarum Vestrarum sinu, favorabilem exoptabit accessum. Nec sterilestet (: ut vaticinor :) in hoc literarum amante protectrix Eminentiarum Vestrarum gratia, quinimo circa peculiarem eiusdem erga Eminentias Vestras devinctionem, cum praedicta Religione, me huic aeternae adstringet obligationi, ut circa osculum sacrae Eminentiarum Vestrarum Purpurae indesinenter sim

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimus et obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

Leopoli, die 1ma 8bris, 1732 Anno.

23.

Varsavia, 14 . V . 1733.

De impossibilitate promovendi Ignatium Kulczynskij ad Abbatiam Pustynensem.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 5, fol. 537rv.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, S. R. E. Principes Cardinales,
Domini et Patroni Colendissimi.

Singula Eminentiarum Vestrarum exequi mandata sicut particularis esse arbitror fortunae, ita et receptas de Reverendo Patre Ignatio Kulczynski Ordinis Divi Basilii Magni Procuratore Congregationis Sanctissimae Trinitatis,³³ respectu Promotionis

³² Alumnus Collegii Urbani ab anno 1732; anno 1734, die 5 Septembris, ordinatus Sacerdos in ecclesia S. Athanasii ab Episcopo Murranga. Dein Procurator in Urbe (1740-1744). Et in fine Archiepiscopus Smolenscensis (1756-1762).

³³ Procurator in Urbe (1729-1736), auctor historiae Ecclesiae Unitae: *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Romae 1733.

eiusdem ad Pustinensem et Onofriensem Archimandriam effectuare insinuationes, pro primo sortis meae reputarem obiecto, nisi expressa Zamoscianae Synodi statuta irremovibilem ponerent obicem. Ubi enim limites Archiepiscopatus Smolenscensis ita per Moschoviticam angustiati esse apparuerunt vicinitatem, ut nullus pene in iisdem pro residentia loci Ordinariorum locus restiterit, ibi Provincialis Zamosciana Synodus (:suprema id ipsum approbante potestate :) praefata, Pustynense et Onofriense Monasteria Smolenscensibus adiunxit Archiepiscopis, eorumdemque residentiae perpetuo addixit.³⁴ Licet autem praedicta Archimandria una cum Archiepiscopatu Smolenscensi aministratoriae Rev.di Patris Antonii Zawadzki, eiusdem Ordinis Protoconsul-toris, ³⁵ sit reddita dispositioni, ubi tamen primum a futuro (f. 537v) Regnante pro dicto Archiepiscopatu in personam alicuius expedietur Nominatio, mox eadem Monasteria nominato Archiepiscopo cedere debebunt. Spero itaque, quod in gratioso Eminentiarum Vestrarum pectore minime demerebor, dum circa promotionem praefati Rev.di Patris Procuratoris supremo Eminentiarum Vestrarum comendati suffragio in Synodali dispositione dispensare nequeo. Dumque ulteriorem mihi ad promovendum eundem Patrem Procuratorem reservo campum, circa osculum s. Eminentiarum Vestrarum Purpurae indesinenter maneo.

Eminentissimarum ac Revend.marum Domin.num Vestrarum

humillimus et obsequent.mus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiep. Metrop. totius Russiae

Varsavia, die 14 Maii, 1733 Anno.

24.

Leopolis, 29 . XI . 1735.

Adpromittitur promotio Ignatii Kulczynskij ad quamdam dignitatem in Ordine Basilianorum.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi : Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 119rv.

Eminentissimi ac Rev.mi D.ni, S. R. E. Principes Cardinales,
Domini et Patroni Colendissimi.

Singula Eminentiarum Vestrarum exequi beneplacita, sicuti muneris mei esse minime ignoro. Ita excepta per Rev.dum Patrem Ignatium Kulczynski, Congregationis SS.mae Trinitatis hucusque Procuratorem, Eminentiarum Vestrarum mandata, omni effectuare promptitudine, non postremam meam agnosco sortem. Addam igitur studiosissimos conatus meos, iunctisque cum ipso Admodum Rev.do Patre Prothoarchimandrita totoque Venerabili Consultorio viribus omnem meam impendam operam, ut non solum praelibatus Pater Ignatius Kulczynski in proximo eiusdem Congregationis Capitulo competentem officio suo locum obtineat, ³⁶ emeritisque praemiis quan-

³⁴ Ad sustentandam dignitatem episcopalem.

³⁵ Antonius Zavadskij, primum Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1719-1723, 1724-1727), dein varia alia munia in Ordine obibat.

³⁶ Cfr. M.M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958: *De Procuratore generali in Urbe*.

totius cumuletur, verum etiam contracta per quosvis Procuratores in Ecclesiam SS. Sergii et Bacchi, domumque eidem annexam, debita, et onera, omni meliori studio indilate deportentur. Interea totius suprafatae Congregationis nomine (f. 119v) Eminentissimis Vestris humillime supplico, ut substitutum in locum praedicti Patris Ignatii Kulczynski novum Procuratorem³⁷ solita benignitate excipere, ac circa ulteriorem praetactae Ecclesiae Domusque possessionem, hunc et alios Eminentia Vestrae manutenere ne dedignentur. Ex quo non alia in me accrescet obligatio, nisi ut cum tota praelibata Religione pro incolumitate Eminentiarum Vestrarum quotidiane ad Aras fundam suspiria, Sacramque Eminentiarum Vestrarum exosculando Purpuram indesinenter sim

Eminentissimarum ac Rev.marum Vestrarum Dominationum
humillimus Servus et Exorator indefessus
A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mpr).

Leopoli, die 29 9mbris, 1735 Anno.

25.

Leopolis, 9 . II . 1736.

De promotione Ignatii Kulczynskij ad Archimandriam Grodnensem.

APF, *Scrirt. rij. n. Congressi: Mose., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f.143rv.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, S. R. E. Principes Cardinales,
Domini et Patroni Colendissimi.

Gratiosis Eminentiarum Vestrarum compulsa mandatis Basiliana Congregationis SS.mae Trinitatis Religio, omnem illico adhibuit operam, ut et magna R.di Patris Ignatii Kulczynski, ultimi eiusdem Ordinis in Urbe Procuratoris, praemiaret merita, et contracta in Ecclesiam SS. Sergii et Bacchi domumque eidem annexam alleviaret onera; utrique igitur suae satisfecit obligationi, dum et praedictum Rev.dum Patrem Ignatium Kulczynski ad Grodnensem Abbatiam unanimi evexit voto,³⁸ et requisitam ad exsolvenda debita summam, per Rev.dum Patrem Maximilianum Zawadzki,³⁹ officio Procuratoris insignitum, in parte licet transmitters curavit, non dubiae certe innixa spei, quod non solum probata Eminentiarum Vestrarum gratia maximis sub hoc tempus parcendo calamitatibus non integrae praefatorum debitorum exsolutioni (f. 143v) tantisper indulgere favebit, verum etiam praelibatum Rev.dum Patrem Maximilianum Zawadzki, munus Procuratoris suscipientem, solita clementia excipere, singulisque eiusdem in desideriis, nomine totius Roxolanae Hierarchiae exponendis, benigne non dedignabitur praebere aurim. Augebit insuper magnas eiusdem Religionis obligationes paterna Eminentiarum Vestrarum bonitas, dum occurrenti in praedicta Congregatione maximae subiectorum indigentiae clementer succurrere non

³⁷ Maximilianus Zavadzkyj (1736-1740).

³⁸ Archimandrita Grodnensis (1737-1741).

³⁹ Novus Procurator in Urbe (1736-1740).

solumque unum ex eodem Ordine Alumnum in locum expediendi, verum etiam et alterum practicato anterius favore ad Venerabile Collegium suscipere dignabitur. De qua gratia uti cum tota praefata Religione Eminentis Vestris humillime supplico, ita circa osculum Sacrarum Purpurarum profiteri non desisto, quod cum omni devinctione sim

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimus Servus et Exorator indefessus

ATHANASIVS SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mpr)

Leopoli, die 9na Februarii, 1736 Anno.

26.

(Varsavia), Aprilis 1736.

Explicat concessionem dispensationis ab impedimento bigamiae.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 167, f. 128-28v.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

Requisitus gratos Excellentiae Vestrae literis, ut in negotio honesti Damiani, filii presbyteri Dernoviensis, pleniorer darem informationem, circa debitam Excellentiae Vestrae venerationem brevibus huiusce rei nucleum aperio. Antequam igitur cum aliis facultatibus etiam dispensandi in bigamia a Sancta Apostolica Sede obtinerem gratiam,⁴⁰ praedictus Damianus (qui cum spe Sacri Ordinis, mortua prima uxore secundam duxit) ad Sacram Congregationem de propaganda Fide institerat, ut super contracta ex hoc fonte irregularitate cum ipso dispensare non dedignetur. Quam primum tamen praelibatas facultates communicatas esse comperiit, mox ad me ipsum recursum fecit, quamque dudum praestolabatur gratiam, adductis validissimis in rem sui rationibus, sine mora obtinuit. Quae omnia dum Excellentiae Vestrae fidelissime expono, simul (f. 128v) profiteri non praetermitto, quod ad quaevis Excellentiae Vestrae mandata cum omni alacritate sim⁴¹

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae.

humillimus et obsequentissimus Servus

ATHANASIVS SZEPTYCKI,
Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

⁴⁰ Episcopi uniti regulariter fere hanc licentiam et facultatem petebant et obtinebant. Agitur praesertim de bigamia contracta ex eo, quod Candidati hi viduas saepe saepius sacerdotum defunctorum in matrimonium ducebant. Exinde quasi bigami considerabantur bigamia putativa, ob secundas nuptias uxoris.

⁴¹ Epistola haec prostat sine data. Nuntius transmisit eam sub dat. 16. V. 1736. Fortasse exarata fuit sub finem Aprilis vel prima medietate Maii.

27.

Leopolis, 13 . II . 1737.

De privilegiis Cleri uniti deque filiis sacerdotum unitorum, ut gaudeant privilegiis Status spiritualis. De obiectis contra filios sacerdotum et de favoribus sectae Philippianae a Dominis polonis concessis.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 250, fol. 445-46.

Excerptum literarum ab Ill.mo et Reverendissimo Domino Athanasio Szeptycki, Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, scriptarum ad Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum, sub die et anno infra scriptis.

Pro coronide afflictionum filios presbyterorum conantur pro subditis sibi appropriare haeredes, prout Excellentia Vestra mihi deferre non dedignata est, et ego non semel talem pretensionem in Comitiis Generalibus promotam expertus sum. Quapropter non referendo me ad Reverendissimos Dominos Episcopos Ritus nostri, quorum sensus iam pridem collegi hac in re, sine mora Excellentiae Vestrae insinuationi satisfacere et explanare unanimum mentem videtur mihi. Quod si filii presbyterorum declarati essent pro subditis Collatorum,⁴² inter alias persecutiones et praeiudicia, iam ultimae subiacerent ruinae, et detrimento ecclesiae nostrae, quae cum sint indotatae, et in sola fere providentia divina fundatae, nec habentes ob defectum proventus sacristianos, cantores et campanarios, solis ad servitium suum provisae filiis presbyterorum, de quibus nihil quidquam in Schismate dictum, et statutum erat; mirari itaque quis non praesumat, quare modo talis exorta praetensio nullam pro Unionis Sanctae opere habens reflexionem, et in vim gratitudinis compassivam recognitionem et distinctionem. Sunt Constitutiones Regni, quibus clerus noster liberatur ab omnibus oneribus, et a subditatu, cum ergo patres sint liberi, non debent esse filii mancipia. Est et Diploma Serenissimi Regis piae mae Augusti II circa accessum ad Unionem benigne collatum,⁴³ et per modernum Serenissimum feliciter regnantem iam approbatum,⁴⁴ declarans, ut clerus noster cum tota (f. 445v) familia sua libertate gaudeat. Obiectio autem asserta, quod filii presbyterorum Cossaccis iuncti arma moveant, et Dominis insidias struant, est nuda, nunquam probata, neque probanda, solam vexam, et meram calumniam in depressionem innocentiae demonstrans.⁴⁵ Satis dignum, et iustum est, ut talis zelus contrarius, et praesumptio convertatur in gentem Filippianam,⁴⁶ cuius impiissima haeresis est condemnata in Synodo Zamosciana. Haec enim advena, et peregrina natio a longo tempore habens suum receptaculum et domicilium in Palatinatu Podoliensi, Braclaviensi, tunc in parte

⁴² Abusus hic late invaluit in Regno Poloniae, non obstantibus instantiis Ruthenorum pro obtinendis privilegiis, quae Clero Ritus Latini spectabant.

⁴³ Agitur de Unione Eparchiae praesertim Leopoliensis (an. 1700).

⁴⁴ Augustus III Saxo (1733-1763).

⁴⁵ Accusatio haec saepius repetitur; responsionem ad similem accusationem dedit Hierarchia unita anno 1753, in ampla *Informations* de transitu ad Ritum Latinum (cfr. infra in Epistolis Floriani Hrebnyckij, sub dat. 17. II. 1753).

⁴⁶ Secta veterocredentium ab eremita Philippo denominata. In Synodo Provinciali Zamostiana an. 1720 fuit condemnata.

Kijoviensi ad aliquot millia hominum redacta, palpabiliter praeterita revolutione pervenit ad rebellionem, et movendo arma insimul cum Cosacis, ecclesias spoliavit, sacerdotes plures, Nobilesque morti tradidit, et enormissimos excessus patrare praesumpsit;⁴⁷ quae de congrua et iustitia deberet habere adaequatam repraehensionem, sed haec omnia, et alia nefanda crimina oblivione tractantur, et pro malis bona praestantur Philippinae haeresi, dum actualiter recipit favores cum periculo animarum catholicarum, et status in posterum Serenissimae Reipublicae, denuo in iisdem partibus locatur circa liberum suae sectae exercitium. Ad extremum, non postrema est ratio, et omni animadversione digna, si dato non concesso filii presbyterorum annexi essent plebe Dominorum haereditariorum iure subditatus, sequerentur spoliationes et devastationes ecclesiarum; patres enim ducti naturali amore et adhaesione, nihil curarent de rebus ecclesiasticis, et supellectilibus, haec omnia in eliberationem a subditatu filiorum applicarent, ut esset immensum chaos, ultimumque sanctuariorum Domini exitium. Considerandum est, ex hoc summum (f. 446) animarum detrimentum proveniendum fore, si subterfugiendo iugum servitutis filii presbyterorum ad Schismaticos abeant, et ibi mansiones sibi quaerant. Feliciores sunt ad ecclesias latinas existentes organarii, cantores et alii ministri, de quorum filiis nihil quidquam dicitur, et proponitur. Nonnulli Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi ritus latini, promoventes hoc interesse, non aliud forsitan habent motivum, nisi ut citius possit de hoc Regno eradicari, et extirpari Ritus noster, qui nullum recipit respectum in Officiis eorundem tum circa administrandam iustitiam, tum circa exequendum duplicatum Decretum Summi Pontificis cl. m. Urbani VIII, quo prohibitus est transitus nostris,⁴⁸ sed in dies suscipiuntur recedentes a proprio Ritu. Has omnes rationes et repraesentationes meas subiiciendo magnanimae Excellentiae Vestrae trutiniae, cum tota Hierarchia mea rogo enixe, et dimississime, quatenus status nostri infelicis synopsis deferre non intermittat Sanctissimo Patri, et per Vaticana Oracula praesidio, et tutamine Supremi Pastoris nos solari possit. Quam gratiam et felicitatem expansis manibus praestolando, maneo cum singulari veneratione.

Leopoli, die 13 Februarii 1737.

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
humillimus et obsequentissimus Servus
ATHANASIUS SZEPTYCKI, Archiepiscopus
Metropolitanus totius Russiae.

28.

Univ, I . VII . 1738.

De quodam monacho girovago dat explicationem Auditori Varsaviensi de modo agendi eiusque accusationes refutat.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 168, fol. 433-34.

⁴⁷ Haec connexio Philippianorum cum cosacis nobis videtur arbitraria; fortasse agitur de quibusdam solummodo membris saectae.

⁴⁸ Die 7 Februarii et die 7 Julii an. 1624.

Unioviae die prima Julii 1737 Anno.

Perillustris et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Observandissime.⁴⁹

Literas Perillustris Dominationis Vestrae, per manus Reverendissimi Patris Praefecti Collegii Pontificii Leopoliensis⁵⁰ ad me nuper directas, cum particulari recepi observantia, ex quibus cum informor quod monachus quidam⁵¹ ad Sanctissimum Dominum Nostrum recursum fecerit, et per suum supplicem libellum exposuerit, quasi quod ab Officio meo gravatus et spoliatus esse debeat; non alium hunc recurrentem esse colligo nisi illum, qui nescitur quo loco natus, habitu monastico indutus, nullum tandem de sui etiam in Diaconum ordinatione testimonium producens, per Dioecesim meam non sine scandalo Christi fidelium vagari, novum monasterium, vel (ut potius dicam) (f. 433v) speluncam latronum absque ullo fundamento, necessitate, absenteque a quovis Superiore consensu erigere, se eiusdem monasterii Superiorem contra praescripta Sacrorum Canonum propria authoritate constituere, ac demum, ut diutius licentiosam ducere posset vitam, per obtentam a Celsissimo Principe Czartoryski praesentationem, cum eversione iurium Religionis, ius advitalitium supra idem monasterium quarere ausus est et praesumpsit. Dumque maioribus occurrendo inconvenientibus talem vagum in monasterio Unioviensi absque ulla incarceratione detinere commisi, hic ulteriorem non expectando dispositionem, per consuetam insolentiam ex praefato monasterio (f. 434) aufugere, et quod ex aliquibus conquisitis spoliatus fuerit falso ac temerarie allegare et circumscribere non abhorruit, nec abhorret. Haec omnia fidelissime pro teneritudine conscientiae meae Perillustri Dominationi Vestrae expono, ut ipsum etiam Excellentissimum Dominum Nuntium plenarie hac in re dignetur informare, de me vero non aliter iudicare, nisi quod cum particulari obligatione sim Perillustris et Reverendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

29.

Leopolis, 2 . VIII. 1737.

De modo providendi necessitatibus Eparchiae Peremysliensis.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 168, fol. 507-508.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 692, f.185-186.

Ill. me, Execell. me et Rev. me D. ne, D. ne et Padrone Col. me.⁵²

Singulis Hierarchiae meae prospicere necessitatibus sicuti muneris mei esse minime ignoro, ita dum Praemisliensem Dioecesim nostram maiori in dies repleti

⁴⁹ Verosimiliter Auditori Nuntiaturae Varsaviensis, prout patet ex aliis documentis. Cfr. *infra*, sub dat. 3. XII. 1737.

⁵⁰ Jacobus Costa (1735-1738).

⁵¹ Cfr. epistolam sub dat. 3. XII. 1737, ubi de quodam Turezynovsky agitur.

⁵² Nuntius Varsaviensis, Camillus Merlino (1728-1738).

disordine dolens comperio, hunc ipsum Excell. Vestrae aperire ne quaquam praetermitto; et sane si e iustitiae administratione incipiam, hanc ita vacillare video, ut vix aliquis reperiri possit, qui in suo ad forum spirituale recursu vel penitus non satisfactus, vel graviter iniuriatus non recedat, nihilque saepius audire contingit, quam quod a praedicto gravati officio ad iudicia mea, vel ad supremum Excell. Vestrae Tribunal via appellationis cum summo incommodo, gravique fortunae suae dispendio recurrere cogantur. Si insuper iuratam Bonorum, et Fundorum Ecclesiarum mentionem et tutelam respiciam, haec adeo remissa esse solet, ut nulli prorsus Fundos et Bona praedicta avellent et aggravanti obsistere visa fuerit, ex quo fit, ut deservientes sacro Altari Ministri vel penitus absque modo sustentationis remanere, vel notabiles ex Fundis sacris pensiones cum summa sui et Ecclesiarum iniuria Saecularibus reddere debeant. Si denique in collatione Beneficiorum distributivam perpendam aequitatem, et illa raro certe Phaenix, dum capaciores et doctiores Personae nullam (f. 185v) prorsus nanciscuntur observantiam, rudes vero, et incapaces crebrius his praeferuntur, maioremque prae istis ad Officia et Beneficia Ecclesiastica habent accessum. Nec alia certe tantorum praeiudiciorum est ratio, nisi quod modernus Ill. mus praedictae Dioecesis loci Ordinarius, ⁵³ cum ipse notabili sit praegravatus senectute, vix aliquam pluribus ex causis proprio Ovili habere possit curam, in suo etiam officio minus capaces, et quae indigentis dioecesanis opportune consulere nequeunt, conservat Personas. Et licet toties eundem Ill. mum Praemisliensem pro munere meo convenerim, ut succurrendo integritati proprii Ovili vel Officiales suos mutare, vel de aliis salubrioribus remediis cogitare non tardaret, hae nihilominus persuasiones meae nihil profuere, nec ulla sane circa modernum praelibatae Ecclesiae statum melioris ordinis spes esse potest. Quamobrem dum haec omnia in exonerationem conscientiae meae Excellentiae Vestrae fidelissime expono, supplicare simul audeo, ut quemadmodum sola Excell. Vestra iam ab aliquot annis Coadiutorem praefato Ill. mo Episcopo necessario addendum esse iudicavit, mihi que iudicium istud sub tempus Grodnensium Comitiorum aperire non est dedignata, ita in effectu ipse languenti Praemisliensi Dioecesi succurrere, modernoque eiusdem Pastori Coadiutorem tanto muneri non (f. 186) imparem (in quem ipse etiam Dominus Episcopus per literas suas ad me directas expresse consentire videtur) addere, et ut addatur propriam auctoritatem interponere dignetur. ⁵⁴ Gratia haec Excellentiae Vestrae non tantum citatae Dioecesi particulare dabit solatium, ac ad aeviternam eandem obstringet obligationem verum ego etiam in onere meo levamen recipiens, in omni teneritudine profiteri non desistam, quod sim

Ill. mae, Excell. me et Rev. me Dominat. Vestrae

humillimus et obsequiosus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

Leopoli, 2da Iulii, 1737 Anno.

⁵³ Hieronymus Ustryckij (1715-1746).

⁵⁴ Agitur de Onuphrio Szumlanskyj, qui revera ab anno 1739 munere Coadiutoris in Eparchia Peremysliensi fungebatur, dein vero Coadiuto in Sede successit (1746-1762).

30.

*Leopolis, 3. XII. 1737.**Certioriat Nuntium de negotio monachi girovagi et de suo responso, dato Auditori Nuntiaturae.*ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 168. fol.590

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.⁵⁵

Non ita pridem a Perillustri Auditiore Curiae Excellentiae Vestrae requisitus fui, ut in negotio recursus per insolentem personam ⁵⁶ facti plenioram darem informationem.⁵⁷ Sicuti igitur requisitioni huic lubens parui, ita et soli Excellentiae Vestrae negotium istud enucleare non omitto, humillime rogans ut non solum fideli relationi meae Excellentia Vestra fidem dare dignetur, verum etiam ne similes in posterum attententur recursus autoritate et validissima representatione sua obviare faveat, mihi hanc gloriam relinquendo, ut indesinenter profiteri possim, quod cum peculiari devinctione sim

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
Leopoli, die 3-tia X-bris, 1737 Anno.

31.

*Leopolis, 3. XII. 1737.**Informatio de accusationibus et querelis cuiusdam monachi girovagi in Eparchia Leopoliensi, data Nuntio Varsaviensi.*ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 168, fol. 589-89v.

Responsio informativa ad supplicem libellum a quodam Turczynowski,⁵⁸ praetenso Ordinis S. Basilii Magni monacho, calumniose conscriptum et Sanctissimo Patri porrectum.

Antequam ad directam deveniatur responsionem, adnotandum est quod in Polonia circa limites Moscoviae et Valachiae reperiantur tales orae, quae omnium insolentiarum et criminum centrum non immerito dici possunt; ⁵⁹ quisquis enim in Regno

⁵⁵ Nuntius Apostolicus Varsaviensis, Camillus Merlino (1728-1738).

⁵⁶ Cfr. documentum sequens, ubi de quodam Turczynovskij agitur,

⁵⁷ Cfr. documentum sequens.

⁵⁸ Persona nobis non nimis nota, praesertim hic Romae, ubi nostram editionem parare cogemur.

⁵⁹ Agitur de regione Ucrainae meridionalis, versus flumen Dnister; Episcopus Leopoliensis hanc regionem administrabat ratione Eparchiae Kamenecensis, et ratione Decanatum Braclaviensium, quae etiamsi ad Eparchiam Metropolitanam spectabant, tamen anno 1720 Episcopo Leopoliensi in administrationem concessi fuerunt.

hoc et extra illud criminaliter delinquit, quisquis licentiosam et desperatam desiderat ducere vitam, ad has oras tanquam ad asylum omnium excessuum confugere solet passimque audire contingit, quod exorientes hisce in partibus rebelliones, tumultus et insolentiae vix per totam Rempublicam cum maxima difficultate in temporalibus etiam sedari possunt.

In his itaque oris praedictus Turczynowski (de quo ubi sit natus nescitur, cuius est fidei ignoratur, quo denique in loco monasticam emisit professionem et saltem ad diaconatus ordinem, ut solus asserit est promotus, plane non constat) ab ipsa forsitan iuventute vagus per orbem viator pseudodevotus ac si Divinae Glorae promotor ut facilius propriae voluntati consulere posset monasterium de nova radice, vel potius speluncam latronum absque ullo cuiusvis Superioris consensu, in ullo fundamento edificare, et ad eandem cavernam alios quoque similis farinae homines congregare proposuerat, ut vero promptiorem malae intentionis suae sortiretur eventum, Illustrissimum Comitem Czartoriensem seducere et ad malam informationem praesentationem in personam sui obtinere cum summo sae religionis praedicio ausus est et praesumpsit. Ad ultimum falso propalare non erubescit, quasi quod a quodam Daniele Ilnicki, Superiore eremitarum Ordinis S. Basilii Magni, pro obtinenda benedictione missus fuerit et quod omnia privilegia et documenta antiqua, ac si ab antecedentibus Archiepiscopis sibi data fuerint intercepta. Cum nec vestigium talium eremitarum in hoc Regno habeatur (singula enim monasteria in partibus illis existentia per personas a legitimis Superioribus designatas reguntur) nec praefatus Superior ulli sit notus, nec denique ulla literatoria (f.589v) documenta praeter citatam praesentationem contra obedientiam religiosam illegitime obtentam nullumque robur habente(m) visa fuerint. Haec quod ita se habeant testor, et in fidem me subscribo.

A. SZEPTYCKI

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.⁶⁰

32.

Univ, 8 . IX . 1738.

De necessitate dispensandi ab impedimento bigamiae, ad providendum ecclesiis ruthenis.

APF, *Sorit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 697, f. 294rv.

Unioviae, die 8. 7bris 1738.

Illustrissime et Rev.me Domine, Domine et Frater Observandissime.

Binis Ill.mae Dominationis Vestrae literis hac unica dum respondeo, quo ad negotium a Domino Episcopo Chelmensi ⁶¹ expositum non aliud perhibeo testimonium, nisi quod expetita ad dispensandum in bigamia facultas re ipsa sit necessaria. Cum enim

⁶⁰ Agitur de scriptura originali Metropoilitae, etiamsi sine data, quam tamen ex aliis epistolis colligere possumus.

⁶¹ Philippus Felicianus Wolodkovyč, Episcopus Chelmensis (1731-1758), dein Metropolita Kioviensis (1762-1778) et Episcopus Volodimiriensis (1758-1778).

in singulis Ritus nostri Dioecesibus satis numerosae reperiantur Ecclesiae, nec ita facile ad munus Parochorum obeundum capaces reperiantur Personae, hinc fit quod, attenta quarumdam Ecclesiarum indigentia, tales etiam qui impedimento bigamiae, ut plurimum tamen interpretativae solum, sunt irretiti, utpote qui inter alios passim capaciores esse solent, ad Sacrum Ministerium assumi debeant. Et sicuti ob rationes expressas similes facultates mihi ipsi non solum qua Archiepiscopo Metropolitano, verum etiam qua Leopoliensi tantum Episcopo (:ut ex annexis patebit:) non fuerunt denegatae, ita spero quod et (f. 264v) alii Domini Episcopi Ritus nostri circa interpositionem Ill.mae Dominationis Vestrae talium gratiarum reddentur participes; utrum vero in particulari iisdem Dominis Episcopis aliquae facultates ad praesens concessae reperiantur, plenior hac in re informationem accipere curabo, eandemque Ill.mae Dominationi Vestrae communicare non omittam; quin imo, Dominum Episcopum Chelmensem singulariter conveniam, ut non solum numerum et nomina eorum, cum quibus dispensandum esset, verum etiam Ecclesias, quibus praefici deberent, mihi vel soli Ill.mae Dominationi Vestrae specificae (:si opus fuerit:) exprimere non gravetur. Quo ad Personam D. Hozowski (:de quo per anteriores Ill.mae Dominationis Vestrae literas plenior Informationem dare requiror:), compertum esto hunc nullo Ordine ne quidem prima Tonsura vel habitu clericali insignitum esse, sed semper laicum extitisse et existere; hoc quoque sit indubitatum quod cum peculiari aestimatione sim Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

Frater et Servus observandissimus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

33.

Leopolis, 8 . IX . 1738.

Legalitas in quodam scripto.

APF, *Sorit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 697, f. 265.

Feria 5a, die 3 Iulii 1727.

Sanctissimus D. N. Dominus Benedictus Divina Providentia Papa XIII, cui per Assessorem S. Officii in solita Audientia relata fuerunt vota Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalium Generalium Inquisitorum, R. P. Domino Athanasio Szeptycki, Episcopo Rutheno Ritus Graeci Leopolis facultatem concessit, cum triginta sex Bigamis Ritus Graeci Unitis super irregularitate ob bigamiam per ipsos incurta, ut ad Sacros Ordines promoveri possint, dispensandi, dummodo tamen bigamia contracta fuerit ante susceptos Ordines et non alias.

ANTONIUS LANCEONUS S. Romanae et Universalis
Inquisitionis Notarius

Concordat cum Originali.

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae

(LS.)

34.

*Perehinsko, 19 . I . 1739.**De malefactis Officialis Leopoliensis et de provisione ad ea sustulenda.*APF, *Scrirt. rit. n. Congressi: Mosc., Polonia, Ruteni*, vol. 6, f. 390-391.

Illustrissime, Excell.me et Revd. me Domine,
Domine et Patrone Colendissime.⁶²

Longior praesentis Residentiae meae a loco Cursoriarum distantia, me excusatum reddet, quod ad Litteras Excellentiae Vestrae, die 8va currentis expeditas, mihi vero hodie primum porrectas, citius non responderim, opportunamque ad instantias, nomine Religiosi Malski factas, non dederim informationem. Favebit tamen Excellentia Vetra iustissimo indulgere dolori, fidemque dare, quod praelibati Recurrentis Plenipotens sinistram ac veritati omnino adversam in Tribunali Excellentiae Vestrae expositionem fecerit. Sicuti enim ante annos aliquot pro mero beneplacito meo allegatum Religiosum e Dioecesi Luceoriensi, Monasterio vero Poczaiovien., in Officiale et Superiorem Cathedralem assumpseram, ita dum eundem limites Jurisdictionis suae excedere, avaritiae, nimiisque extorsionibus studere, Religiosos et Clerum saecularem variis gravaminibus opprimere, multos ex illis horrende et usque ad sanguinem in publicis ac sacris locis flagellasse, quinimo etiam, uti fertur, ad mortem non nullorum per nimiam in flaggellando saevitiem cooperasse, nec demum in praemissis omnibus, post crebras admonitiones, emendari comperii et adinveni, hunc ipsum officio ad beneplacitum collato privavi, et ad suprafatum Monasterium Poczaioviense, tanquam ad locum Professionis, cum Socio remisi, hanc olim Superiori ejusdem Monasterii dando praecustoditionem, ut diligenter invigilare et observare vellet, ne saepedictus vir ambitiosus ad Schismaticos Pastores et Superiores profugeret, cum iisdemque (:uti promptus est:) correspondere auderet. Falso proinde narratur, qua nominatus (f. 390v) Recurrens ex eo indignationem meam incurrerit, quod cum aliis Religiosis opus novae Provinciae, vires eiusdem plane excedens, sibi minime incumbens in se assumpserit, cum potius ego ipse ab aliquot annis meos hanc in rem impendam conatus, iamque plene apud me constituerim, ut inauditis etiam nonnullorum Episcoporum contradictionibus, Congregationem imminenti vere intinem, ac ad praescriptum Synodi Zamoscianae singula harum Dioecesium Monasteria uni Superiori, et Provinciali subdam. Nec ulli inicitur veritati asserta in memoriali pecuniae et supellectilium spoliatio; licet enim Recurrens Monasterio Cathedrali Leopoliensi (:cuius per plures annos Superiorem agebat:) multas iniurias et damna intulerit, nihilominus modernus huiusce Monasterii Superior eundem cum notabili summa, variaque supellectili, quamcumque solus accipere voluit et potuit, libere dimisit; unicum tantum milles florenorum polonicallium cuidam Civi pro usura datum, officioso ad ulteriorem decisionem innodavit arresto. Temere ad ultimum opponitur, quasi quod et cum altero Religioso, de cognomine Wysoczanski, similiter ut cum ipso, processerim, cum revera vir iste nunquam sub mea fuerit iurisdictione, nec scio certe quam a suo Superiore, videlicet Episcopo

⁶² Nuntio Varsaviensi, Fabritio Sorbelloni (1738-1746).

Luceoriensi, mercedem vel poenam receperit. Ex his omnibus facile Excellentia Vestra colligere poterit, quam futilis et insubsistens memorati toties Religiosi sit praesentio. Quis enim asseret religiosas Personas superioratu et officiis ad tempus collatis non aliter quam per adcitationem et publica Decreta privari debere? Vidi et audiui in (f. 391) variis Religionibus quotidianas pene Superiorum et aliorum Officialium subsequi mutationes; nunquam tamen sum expertus quod in talibus circumstantiis luridicus (:ut in casu praesenti praetenditur:) institueretur Processus. Ibunt sane in similes vias multi alii insolentes Religiosi, si expetita a moderno Recurrente gratia in Tribunali Excellentiae Vestrae facile concedetur; certoque certius Religiosa vacillabit Disciplina, nisi Excellentia Vestra pro solita pietate malis similium hominum conatibus in Urbe etiam (:in qua ego quoque supplices meas praesentare non omitam:) obviare dignetur. Quam gratiam dum ab Excellentia Vestra enixissime exposco, profiteri non desino, duod intra sphaeram continuae obligationis sim

Ill.mae Excell. mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitano
totius Russiae

Perehinski, die 19 Januarii 1739.

35.

Leopolis, 4 . II . 1739.

De iniuriis Ruthenis illatis a Latinis in Grodno, et de providendo, ne eiusmodi iniuriae repetantur.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, f. 213rv, 216.

Eminentissmi ac Rev.mi Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Gravior Hierarchiae nostrae iniuria per Rev.dum Slaweski, Praepositum Grodnensem, illata, non sine notabili doloris sensu in conspectu Eminentiarum Vestrarum me cogit comparere. Non latet enim (:ut pie credo:) Eminentias Vestras, quod allegatus Praepositus ad eam devenerit temeritatem, ut practicum semper in Ecclesiis nostris sub tempus Parasceves Maioris Hebdomandae secundum Ritus Latinum incidentis campanarum usum, anno immediate elapso impedire nisus fuerit; dunque hac ipsa die in Ecclesia nostra Grodnensi addictus eidem Ecclesiae Presbiter, accedente pro tunc magna Annuntiationis Beatissimae Mariae Virginis solemnitate, campanas pro solito more pulsare iussit, idem allegatus Praepositus aggregatis variae conditionis hominibus, cum armis summoque tumultu ac furore in praefatam Ecclesiam Ministros eiusdem concutere, companas destruere, claustrum Sanctimonialium in vicinitate manentium violenter aggredi, portisque excussis ingredi, Virgines Deo dicatas contumeliis afficere, ac demum Residentiam supradicti Presbiteri invadere, eidem concussionem et mortem (:nisi per fugam se salvasset:) minari multasque alias aggravationes (f. 213v) et violentias attentare ausus est et praesumpsit. Sicut itaque in communi hocce Ritus nostri negotio ad Tribunal Sacrae Nuntiaturae Apostolicae hoc in Regno subsistentis recursum feci opportunaque tanto malo remedia enixe expetii, ita solis etiam

Eminentis Vestris supplicare non praetermitto, ut non solum iniquum nominati Praepositi ausum iustius comprimere, verum etiam ne similes in posterum violentiae a quopiam attententur per favorabilem pro Ritu nostro decisionem occurrere non dedignentur. Maior equidem exinde Schismaticorum ab Unitis oriretur aversio, si contra antiquas Ecclesiae Graecae ceremonias, et libertates quoad suprafatum Campanarum pulsum quidquam innovari deberet. Et ut plus dicam, ipsa quoque pretiosa Unio, labore saeculorum Martyrumque sanguine acquisita, non modicum pati posset detrimentum. Si vero eiusdem Cultores hanc sibi Ecclesiisque suis Facultatem adimi viderent, quam proprius eorumque Ritus ipso Latino Ritu in hoc Regno antiquior, tanquam in nativo suo solio semper sibi vendicabant, et vendicat, suberunt haec omnia supremo Eminentiarum Vestrarum iudicio. Ego vero dum iterato Hierarchicum Statum nostrum protectrici Eminentiarum (f. 216) Vestrarum commendo gratiae, circa osculum sacrae Purpurae profiteri non cesso, quod omni studio et conatu sim

Eminentissimarum ac Reverendissimarum Dominationem Vestrarum
humillimus et obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.
Leopoli, die 4ta Februarii, 1739 Anno.

36.

Leopolis, 16 . IX . 1739.

Certiorat de celebratione Capituli s.d. Leopoliensis.

APF, *Seritt. rif. n. Congressi; Mosc., Polonia, Ruteni*, vol. 6, f. 420rv.

Illustrissime, Excell.me et Rev.me Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Sicuti ante dies aliquot de Congregatione Ordinis Divi Basilii Magni eiusdemque fortunato cursu veriore Excellentiae Vestrae exhibui notitiam, ita et nunc omni veneratione praemissa deferre non omitto, quod allegata Congregatio die 14 praesentis feliciter sit conclusa,⁶³ in eademque non solum novus Provincialis seu Proto Archimandrita ad mentem Synodi Zamosciana est electus,⁶⁴ verum etiam cuncta ad bonum Religionis ordinem spectantia sunt determinata et statuta. Id unicum restare videtur ut pro maiori praedictae Congregationis firmitate singulis eiusdem Actis (: quae futuris Cursoriis ad Urbem transmittentur:) Apostolicae Authoritatis robor adliiciatur (f. 420v) Pro qua obtinendo gratia dum Excellentiam Vestram suas addituram instantias certo... spero, solita simul cum contestatione profiteor, quod sim

Ill.mae, Excell.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
Leopoli, die 16 7mbris, 1739 Anno.

⁶³ Agitur de Capitulo s.d. Leopoliensi, celebrato anno 1739 ad unienda monasteria Ucrainae occidentalis in unam Congregationem Protectionis B.mae Virginis Mariae, seu Ruthenam. Electus fuit in Protoarchimandritam huius novae Provinciae Patritius Zypravskyj (1739-1741). Capitulum hoc et unio monasteriorum decreta fuerunt in Synodo Zamostiana. an. 1720.

⁶⁴ Cfr. notam praecedentem. Resignavit officio an. 1741.

37.

*Univ, 30 . XI . 1739.**Gravamina Ecclesiae Unitae contra Clerum latinum.*APF, *Scrith, rif n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, f. 188-189.

Emin.mi et Rev.mi Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Inter varias calamitates et angustias, quibus exoticae Disunitorum nos tangunt saepe saepius potentiae, millenaque in dies minantur pericula, de hoc vel maxime cum pusillo Unionis Grege querulari debemus, quod plurimi etiam in hoc Regno Patroni locorum innato quasi Ritum et Hierarchiam nostram odio prosequentes, innumeris pene nos premant gravaminibus, Ministros Ecclesiasticos ad insolitas contributiones et pensiones adigant, nulloque ad immunitatem, locis et rebus sacris debitam, habito respectu, insupportabilibus, et Spirituali Statui omnino adversis adstringant oneribus. Nec a laicis tantum Personis has patimur persecutiones, verum etiam ipse Illustrissimus Leopoliensis Ritus (f.188v) Latini Archiepiscopus⁶⁵ ad eum devenit fervorem, ut in despectum et vilipendium totius Hierarchici Status nostri inauditas hucusque quaestiones movere, liberisque Ecclesiae Clientibus novas obligationes satagat imponere. Quamobrem uti Procuratoribus nostris in Urbe degentibus,⁶⁶ contra tela eiusdem Illustrissimi Archiepiscopi et aliorum omnimodam defensionem commendavimus, tum ratione denegandi transitum a Ritu nostro ad Latinum, vigore Decreti duplicati Beatissimi Patris felicitis recordationis Urbani VIII, instantiam faciendum iniunximus, ita et Eminentissimis Vestris supplicare non intermittimus, ut tanquam aequales unius matris Filios non impari protectione nos prosequi dignentur, reiectisque (f. 189 minus iustis Adversariorum praetensionibus et conatibus, omni tranquillitate sacram Eminentiarum Vestrarum Purpuram exosculari, profiterique permittant, quod simus

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimi Servi et Exoratores indefessi

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae

THEOPHILUS GODEBSKI, Episcopus Vlad. et Brest. (mpr).

T. L. RUDNICKI, Episcopus Luceor. et... (mpr).

HIERONYMUS VSTRZYCKI, Episcopus P.S.S. (mpr).

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Episcopus Chelmen. et Belz. (mpr).

Unioviae, die 30. 9 bris, 1739 Anno.

38.

*Leopolis, 17 . VI . 1740.**Expeditur novus Procurator in Urbem et S. Congregationi de Prop. Fide commendatur.*APF, *Scrith, rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Rutheni*, vol. 6, f. 464rv.⁶⁵ Nicolaus Wyzzyki (1733-1757).⁶⁶ Zavadskij Maximilianus (1736-1740) ex parte Provinciae Lithuaniae SS. Trinitatis, et quidam monachus ex nova Provincia s.d. Ruthena.

Einm.mi ac Rev.mi Domini, S.R.E. Principes Cardinales,
Domini et Patroni Colendissimi.

Cum a Consultorio Patrum Basilianorum ad novam Congregationem spectantium ⁶⁷ specialis ad Urbem expediatur Procurator idemque mandatum acceperit, ut singula eiusdem Congregationis negotia magnae Eminentiarum Vestrarum subiiciat protectioni, sortis meae etiam arbitror esse in adorationem Eminentiarum Vestrarum hoc Emissario procumbere humillimeque exorare, ut allegatus Procurator suis in Postulatis (: quaecunque tam ipsius Religionis nomine, quam totius etiam Hierarchiae nostrae porrexerit:) benigne audiatur et exaudiatur. Gratia haec in (f. 464v) particularem Eminentiarum Vestrarum redundabit gloriam. Ego autem circa osculum S. Fimbriae semper profitebor quod cum demissione sim

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimus Servus et Exorator indefessus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus

Leopoli, die 17 Iunii, 1740 Anno.

totius Russiae (mpr).

39.

Leopolis, 27 . VII . 1740.

De dissidiis inter Provinciam Basilianorum Lithuanam et Ruthenam, nec non de praetensionibus Protoarchimandritarum Lithuaniae.

APF, *Scrith. rit. n. Congressi: Mosc., Polonia e Rutheni*, vol.6, f.468rv.

Emin.mi ac Rev.mi Domini, S.R.E. Principes, Domini Cardinales,
et Patroni Colendissimi.

Integer iam pene elabitur annus, a quo circa particularem meam (: si gloriari licet:) sollicitudinem, et curam, monasteria Patrum Basilianorum, in Russia degentium, uni Generali Capiti antea non subiectorum feliciter in unum corpus redacta ad mentem Synodi Zamoscianae, a Sancta Sede approbatae, novum Proto Archimandritam elegerunt,⁶⁸ et ut per eundem faustius ac firmius gubernari possent pro approbatione Capituli sui, et subsecutae in eo electionis ad Eminentias Vestras humillime institerunt; sed infelicem video hanc esse instantiam, dum non solum dolenda Beatissimi Patris fata favorabilem pro eadem resolutionem hucusque retardarunt, verum etiam invida tali ordini Lithuano-Basiliana Provincia nova obstacula praelibato Capitulo, eiusdemque approbationi per suum Procuratorem ponere intendit, et per id ipsum desideratam a multis annis inter Basilianos Russiae unionem perturbare, et rumpere sataget. Quisque enim non obscure perpendere potest, quod non alio fine allegata Provincia Lithuana novo electo monasteriorum in Russia existentium Capiti, titulum Protho Archimandritalem, per antefatam Synodum concessum et attributum, adimere, solique Capiti suo appropriare conatur, nisi ut hoc modo super

⁶⁷ Provincia seu Congregatio Protectionis B.mae Virginis Mariae, seu Ruthena, anno 1739 in Capitulo Leopoliensi erecta. Proprium habuit Protoarchimandritam Patritium Zyravskyj, et Consultorium generale.

⁶⁸ Patritius Zyravskyj (1739-1741). Cfr. M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 283-4.

novo erectam in Russia Congregationem maioritatem et superioritatem aliquam (: quae a subiectis huic novae Congregationis nullatenus tollerari potest:) sibi adsciscat. Nec ego quoque iniuriam meam (: quae memoratam Provinciae Lithuaniae praetensionem indubie consequitur:) reticere possum, cum certo videam, quod saepe dicta Provincia Lithuaniae meam super se iurisdictionem (:quam Sancta Summorum Pontificum et Sacrae Congregationis Decreta mihi competere agnoverunt (f. 468v) quam ipsa etiam modo citata Provincia in suis Generalibus Capitulis acceplavit, et hucusque reverebatur, quam denique Antecessores mei per effusos circa manutentionem negotiorum eiusdem Provinciae sudores sibi promeruerunt, et firmarunt, ac ego quoque promereri sperabam:) paulatim hac via excutere studeat, iamque non mihi, sed praetenso Generali una cum novo erecta Provincia Russiae immediate subesse velit. Spero tamen, quod Eminentiae Vestrae non solum me ipsum, verum etiam saepe iactam Russiae Congregationem ⁶⁹ experta protectione prosequi non dedignabuntur, ac eousque finalem hoc in passu decisionem suspendere favebunt, quousque cum novo constituto Patrum Basilianorum Consultorio ego quoque non exaudiar, utpote qui circa osculum Sacrae Purpurae peculiari cum devinctione sum

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum.

humillimus Servus et Exorator indefessus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mpr).

Leopoli, die 27 Iulii 1740.

40.

Leopolis, 5. VII. 1741.

De Causa Confraternitatis Leopoliensis.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol.72, f.431.

Religiosissime et Reverendissime in Christo Pater, Pater et Frater observandissime.

Ex annexis Literis Ill.mi Accoramboni, Sacrae Regiae Maiestatis Secretarii, et Ministri Status Saxonici, plane Rev.ma Paternitas Vestra intelliget, quod in partem Confraternitatis Leopoliensis a Serenissimo Regnante nostro nulla emanavit instantia. Quinimo, ab eodem Ill.mo Secretario ad Emin.mum Cardinalem Albani favore mei commendatoriae sunt directae. Circa has itaque inveteratam cum dicta Confraternitate Causam doctius Rev.ma Paternitas Vestra ⁷⁰ promovere poterit. Ego autem dum haec brevibus exprimo, indelebili cum observantia maneo

Religiosissimae et Rev.mae Paternitatis Vestrae

Frater et Servus observandissimus

A. SZEPTYCKI, Archiep. Metr. totius Russiae.

Leopoli, die 5ta Iulii, 1741 Anno.

⁶⁹ Russia hic sumitur in sensu stricto, seu de Palatinatu Russiae, seu de Ucraina occidentali, constans monasteriis Eparchiae Leopoliensis, Peremyshliensis et ex parte etiam Luceoriensis. Vocabatur Ruthena seu Protectionis B.mae Virginis Mariae. Anno 1743 in Capitulo Dubnensi in unum coaluit Ordinem Basilianorum simul cum Provincia Lithuana seu SS.mae Trinitatis.

⁷⁰ Videtur ad Procuratorem in Urbe.

41.

*Leopolis, 14 . VII. 1741.**De redivibus Confraternitatis Leopoliensis applicandis Collegio Pontificio Leopoliensi.*APF, *Scrirt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol.72, f.429.

Estratto di lettera di Monsignor Metropolitano, scritta a Monsig.

Lascaris, da Leopoli, li 14 Luglio 1741.

Ad petitionem Ill.mae D.V., an facta subiectione Confraternitatis Stauropigianae iurisdictioni Ordinariorum, possent aliqui redditus pro reparatione Collegii per aliquot annos exdividi, brevibus respondeo, quod nunc determinata talium reddituum quantitas mihi plene non est nota; non dubito tamen quod etiam in casu multo maiorum expensarum pro decore Ecclesiae, et sustentatione Ministrorum faciendarum, notabilis adhuc horum reddituum pars restaret, et circa dispositionem Sanctae Sedis allegatae Fabricae citra omnem iniuriam applicari posset. Hanc meam declarationem, cui opus fuerit, Ill.ma D. V. repraesentare poterit, et pro solita benignitate sua pleniores etiam informationes pro manutenenda iurisdictione mea subministrare dignabitur, pro qua gratia maiores semper assumam titulos, ut ad quosvis usus cum particulari promptitudine sim etc.etc....

42.

*(Leopolis), 13 . IX . 1741.**Exponitur status facti et iuris in negotio provisionis Archimandriae Dorohobuscensis.*APF; *Sritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 512rv.

Responsio informativa ad Memoriale per Patrem Procuratorem Lithuanum⁷¹
in negotio Abbatiae Dorohobuscen. porrecta.

Ad ostendendam irrealitatem huiusce Memorialis praemittitur: Quod Pater Procurator, qui istud Memoriale praesentavit, non est (: ut asserit:) Procurator Generalis omnium Basilianorum Ruthenorum in Regno Poloniae reperibilium, sed tantum est Procurator particularis Provinciae Lithuanae. Citatus vero ab ipso Pater Innocentius Lipnicki⁷² non spectat ad Provinciam Lithuanam, sed ad novo erectam hic in Russia; per consequens indebite et incompetenter idem P. Procurator acsi nomine totius Ordinis contra praefatum Patrem Innocentium Lipnicki querulatur, cum ab ipso in praeiudicium Provinciae Lithuanae nihil attentetur. Nec contravenit certe idem P. Innocentius Lipnicki Brevi S. M. Benedicti XIII,⁷³ cum ego ipse et omnes pene Monachi Basiliani in Russia reperibiles de tali Brevi eousque nullam prorsus habue-

⁷¹ Caesarius Stebnovskij (1740-1744).

⁷² Archimandriam hanc non obtinuit, secundum olonchum IGN. STEBELSKYJ, *Ostatnie prace Stebelskiego*, in *Scriptores rerum polonicarum*, vol. IV.

⁷³ Agitur de Brevi, quo prohibetur monachis Basilianis procurandi sibi dignitates, sine consensu Superiorum Ordinis. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 58, nr. 680, sub dat. 16. XII. 1728.

rimus notitiam et modo primum tale Breve in medium profertur. Et licet hoc Breve hactenus mihi fuerit ignotum, nihilominus quia Abbatia Dorohobuscensis a non multo tempore Provinciae Lithuanae qualiter taliter est incorporata, non prius allegato Patri Innocentio ad procurandam pro eadem Abbatia nominationem assensum meum praebui, quam de eodem negotio cum Patre Protoarchimandrita Lithuano fuerim collocutus, et ab ipso expressam Declarationem consensus in scripto transmittendi obtinuerim. Considerari hic etiam debet, quod in Nexu inter Provinciam Lithuanam et Metropolitanos Russiae in praesentia Nunci Apostolici a multis annis inuito⁷⁴ expresse cautum est, ut Abbatiae a Metropolitanis, consulto tantum Protoarchimandrita, conferantur; atque insuper per Diplomata Senerissimorum Regum, videlicet Vladislai IV, anno 1635, Michaelis, anno 1669, et Joannis III, anno 1676, emanata declaratum est, quod ad Episcopatus et Abbantias ipsi Metropolitanis, non autem Protoarchimandritae Personas capaces proponere et recommendare debeant. Cur autem Procurator Provinciae Lithuanae⁷⁵ supracitatum Sanctae Memoriae Benedicti XIII Breve, insciis Metropolitanis et secreto, procuraverit, ratio in promptu est haec, quod eadem Provincia Lithuana (f. 512v) a non multo tempore omnes modos adhibere cepit, ut se ab omni iurisdictione Metropolitanorum, a primordiis in Ecclesia Orientali practicata, et per se ipsum in multis Capitulis agnita, totaliter eximat. Nec miror sane quod contra saepedictum P. Innocentium Lipnicki P. Procurator Lithuanus Memoriale porrexerit; id enim non ex alia ratione fit, nisi quia eundem Patrem Innocentium inter alios novae Provinciae Patres vel maxime iniustis praetensionibus suis obstantem atque contrarium videt, et sic illicitis etiam mediis hunc ipsum deprimere studet. Haec pro informatione brevibus exprimo, et si quid ulterius exigetur, me adimpleturum declaro.

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

43.

Leopolis, 13 . IX . 1741.

Transmittit informationem supra allatam de provisione Archimandritae Dorohobuscensis.

APF, *Sritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 513.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Domine et Patrone Colendissime.⁷⁶

Quod praesentatum a Procuratore Lithuano Memoriale, una cum Copia Brevis S. M. Benedicti XIII, mihi quoque Excellentia Vestra communicare non dedignatur, particulari Excellentiae Vestrae favori id attribuo, infinitasque persolvo gratias. Ut autem clarius demostrem, quod a praedicto Procuratore minus iuste circumscribor, in seorsiva scheda demandatam informationem adnecto,⁷⁷ parendoque imperiis Excel-

⁷⁴ Anno 1686, in Capitulo Novogrodecensi, sub praesidentia Delegati Nuntii Apostolici, Thomae Ujejski, Soc. Jesu; agitur de s.d. « *Neru* » Zochovskiano.

⁷⁶ Patritius Zyravskyj (1726-1729).

⁷⁶ Nuntio Varsaviensi, Fabritio Sorbelloni (1738-1746).

⁷⁷ Deest haec informatio. Remansit, verosimiliter, in Archivo Nuntiaturae Varsaviensis.

lentie Vestrae nihil quidquam in negotio Abbatiae Dorohobusensis, ad ulteriorem Sacrae Congregationis decisionem, attentabo. Et dum ita declaro, me ipsum simul ulterioribus Excellentiae Vestrae commendo gratiis, ac aeviterna cum obligatione sum Ill.mae, Excellentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae

humillimus et obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus
Metropolitanus totius Russiae.

Leopoli, die 13. 7bris, 1741 Anno.

44.

Grodek, 16 . X . 1741.

De iure Metropolitanorum in Archimandrias et Archimandritas.

APF, *Sritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 517-518

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

Victus imperiosis Excellentiae Vestrae persuasionibus, a tribus circiter septimanis declarationem dedi,⁷⁸ quod in Ordine ad Archimandriam Dorohobuscensem (: quousque ulterior S. Congregationis, ac ipsius Excellentiae Vestrae non superveniet resolutio:) nullum actum in promotione novi Abbatis attentare debeam; certo siquidem sperabam, quod Lithuana Patrum Basilianorum Provincia supremam salutem S. Apostolicae Sedis agnoscendo et reverendo Authoritatem, Juribus Archiepiscoporum Metropolitanorum ad cunctas Abbatias se extendentibus, ac per eandem Sanctam Sedem approbatis, vim inferre non haberet in animo. Aliter tamen evenisse non sine gravi cordis mei comperio vulnere, dum praelibatae Provinciae Rectores (: non expectata Sacrae Congregationis decisione, nec attento eo, quod omnium Abbatiarum dispositio quo ad Institutionem Abbatum, et his vacantibus Administratorum (f. 517v) provisio non ad alium quam ad Metropolitanos Russiae ab immemorabili spectabat et spectat, quod ipsum nuper Sacra Congregatio Concilii in Causa Fiscalis mei contra ultimum Abbatem Mielecensem⁷⁹ instituta per Decretum suum expresse declaravit :), me non convento et prorsus inscio, ad praefatam Abbatiam Dorohobuscensem sibi visum Superiorem destinarunt, destinatum a me dictae Abbatiae Administratorem, Admodum Reverendum Marcianum Holovnia (: qui solus et unicus non sine abundantia per multos annos sudore hanc ipsam reduxit:) propria auctoritate relegarunt, totumque in eodem loco Regimen indebite et illegitime sibi ipsis appropriarunt. Iniuriosus certe hic est Patrum Lithuanorum progressus, nec alio collimat, nisi ut eo quo multas alias Abbatias contra mentem Fundatorum sustulerunt, et (f. 518) depresserunt, ita etiam saepedictam Abbatiam Dorohobuscensem sufferant et deprimant, hocque ipso Jurisdictionem Metropolitanam minuant, ac evellant. Sicut itaque pro defensione iurium meorum nonnullas iam feci diligentias, et pro manute-

⁷⁸ Cfr. epistolam praecedentem. Agebatur de promotione Innocentii Lipnickij.

⁷⁹ Fortasse agitur de Innocentio Piechowicz, quem Metropolita anno 1730 officio deposuit.

nendo allegato Administratore meas expedivi Literas, ita ad expertam Excellentiae Vestrae recurro benignitatem, ut temerariis Patrum citatorum ausibus remediari, hosque ipsos (: si opus fuerit:) Eminentissimis Patribus remostrare non dedignetur. Dumque hanc gratiam prestolor, perenni cum devinctione maneo

Ill.mae, Excellentissimae ac Rev.mae Dominationis Vestrae

humillimus et obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae.

PS. Responsum desiderasissimum cum thaedio Leopoli expectabo ex gratia Excellentiae Vestrae.

Datt. Grodeci in Volhynia, die 16. 8bris 1741.

45.

Leopolis, 12 . XI . 1741.

Instat pro concessione dispensationis ab irregularitate pro duobus sacerdotibus.

APF, *Srit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 716, f. 51,

Copia Testimoii Metropolitanae Russiae super casibus Patris Innocentii Boiarski et Presbyteri Eustachii Puchtaiewicz.

Plene sum informatus quod inter Patrem Innocentium Boiarski, Basilianum Ruthenum, et custodem sylvarum, de quo acclusae loquuntur praeces, nulla interior rixa et odium praecesserint, sic vero casu et inadvertenter, prout in hisce praecibus exprimitur, idem sylvarum custos mortaliter vulneratus extitit. Adest etiam in Dioecesi mea alter Presbyter saecularis Eustachius Puchtaiewicz, qui inter longas cum quodam Nobili rixas adeo notabiliter cum suo filio eundem Nobilem percussit, ut hic ipse Nobilis post aliquot septimanas ex ista concussionem mortuum praesumeretur. Sicut tamen ambo allegati Prasbyteni condignas pro delicto suo iam luerunt paenas et de praemissis sincere dolent, ita spero quod uterque obtinebit gratiam EE. VV., quarum dum sacras exosculor fimbrias, cum debita adoratione maneo

EE. VV. RR. DD. VV.

humillimus Servus

ATHAN. SZEPTYCKI, Arch. Met. t. R.

Leopoli, 12 Nov. 1741.

46.

Univ, 19. VIII. 1742.

Installatio Innocentii Lipnickij in Archimandritam Ovrucensem.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 718, f. 441.

Athanasius in Szeptyce Szeptycki, Domini et Apostolicae Sedis gratia

Archiepiscopus Metropolitanus Kiioviensis et totius Russiae, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis Podoliae, Archimandrita Kijovo-Pieczarensis, et Unioviensis.

Universis et singulis praesentes Litteras Nostras visuris, lecturis, legive auditoris, praesertim Venerabili et Admodum R.ndo Patri Vicario, caeterisque Riligiosis Patribus et Fratibus Ord. D. Basilii M. Conventus Abbatialis Ourucensis salutem in Domino.

Noveritis quia Nos ad Ecclesiam Abbatialem Ourucensem post Resignationem Perillustris et Admodum R.ndi in Christo Patris Andreae Bieniecki,⁸⁰ illius ultimi, et immediati Abbatis et Possessoris vacantem, Perillustrem et Admodum R.ndum in Christo Patrem Innocentium Lipnicki,⁸¹ Ordinis D. Basilii M. Provinciae Polonae Vicarium Generalem, Causarum Curiae Nostrae Auditorem, per Sacram Regiam Maiestatem, uti dictae Abbatiae Patronum et Collatorem legitimum nobis praesentatum hac die in ecclesia nostra Abbatiali Unioviensi, servatis omnibus de iure et consuetudine servandis, ac praemissa per ipsum iuxta praescriptum Sacrorum Canonum et Pontificalis fidei catholicae professione, tum iuramento de eadem fide tenendo et observando ac quod nobis et Successoribus nostris legitimis veram obedientiam praestabit nec Bona sine consensu nostro dictae Abbatiae infeudabit aut alienabit, sed immo alienata pro posse recuperare tenebitur, in Abbatem Ourucensem benediximus, Baculum Pastoralem ipsi tradendo, Annulum digito eius subarrhando, et Pectus Cruce exornando eundem ad praefatam Abbatiam instituimus, et per positionem in faldistorio intronisavimus. Mandantes Venerabili et Admodum R.ndo Patri Iudici nostro Surrogato Ourucen., quatenus ipsum in actuaalem, realem, et corporalem dictae Abbatiae Bonorumque eius possessionem inducat et ponat. Quocirca vobis suprafatis Religiosis Patribus et Fratibus nec non omnibus subditis ad dictam Abbatiam pertinentibus districte praecipimus et respective subditis sub poenis corporalibus mandamus, quatenus memoratum Reverendum Lipnicki pro Abbate et Superiore suo advitali recognoscant, eidem omnem debitam reverentiam exhibeant, et in cunctis obtemperent. In quorum fidem etc. Datt. Unioviae, die decima nona Augusti V.S. 1742 Anno.

A. Szeptycki, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae - Antonius Levinski, Cancellarius, mpr.

47.

(Leopolis), 24 . III . 1743.

De dispensatione cuiusdam Sacerdotis ab irregularitate.

APF, *Srit. rij. n. Congregazioni Generali*, vol. 715, f. 317.

⁸⁰ Andreas Bieniecki, Archimandrita Ovrucensis (ab an. 1728), translatus a Metropolita Szeptyckij ad Archimandriam Kobrinensem (an. 1741). Ei successit P. Innocentius Lipnickij an. 1742.

⁸¹ Hunc primum promovere intendebat Metropolita ad Archimandriam Dorohobuscensem, sed frustra. Tandem eidem hanc Archimandriam Ovrucensem procuravit an. 1742.

Articulus Literarum ab Archiepiscopo Ruteno Leopoliensi et totius Russiae Metropolitanano datarum ad S. Congregationem de Propaganda Fide, die 24 Martii 1743.

Causa R. Michaelis Thomicz, Ritus et Dioecesis meae Leopoliensis, Presbyteri Curati Belejoviensis, ratione per ipsum certae foeminae gravidae percussione, agitata fuit in meo iudicio, cui, cum compertum esset, dictam foeminam post violentam percussione, et protrusionem nocte immediate sequenti factum enixam fuisse mortuum, qui ex quibusdam indiciis praesumebatur iam esse animatum, eapropter dictus Presbyter pro irregulari declaratus, et pro agenda poenitentia delicto proportionata ad certum Monasterium fuit destinatus, quam iam adimplevit, atque pro posse Parti laesae satisfecit, si Sanctissimo Domino placuerit, et Eminentis Vestris ita visum fuerit, arbitror dispensandum fore cum ipso in praefata irregularitate, ne ob inopiam suam (est enim pauper) contra decentiam Status Clericalis panem mendicare cogatur, etc. etc..

48.

Dubno, 1743.

S.d « Nexus » inter Metropolitanum et Ordinem Basilianorum, in Capitulo Dubnensi an. 1743 compilatus.

BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 140rv,

Nexus Ill.mi et Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Archiepiscopi Metropolitanani totius Russiae, cum Religione Basiliana utriusque Provinciae, perpetuis temporibus observandus.⁸²

1. - Proto Archimandrita, post suam electionem, praestabit iuramentum, in manibus Metropolitanani, obedientiae tum Sanctae Sedi Apostolicae tum Metropolitanano. Insuper regiminis iuxta Constitutiones Ordinis, a S. Sede Apostolica approbandas.

2. - Ill.mus Metropolitanus relinquit Religioni eiusque Capiti, Rev.mo Proto Archimandritae, plene ordinem internum religiosum, servatis sibi infra annotatis.

3. - Rev.mus Proto Archimandrita in principalioribus negotiis Religionis, si opus fuerit consilio et auxilio Ill.mi Metropolitanani recursum faciet et a suo Hierarcha exposcat media.

4. - Capitula generalia intimabit Proto Archimandrita, consulto Metropolitanano, locus vero et tempus Capitulum generalium quod in praesenti Capitulo circumscribetur, indispensabiliter et firmiter observetur. Ita ut nulla prorsus necessitate aut legalitate dispensetur, nisi in hoc praevio consensu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, exposita eidem una cum Proto Archimandrita et Consultoribus utriusque Provinciae, solius grassantis (quod Deus avertat) pestis necessitate. Ideoque Ill.mo Metropolitanano gravissimis vel maxime Comitiorum generalium impedito legalitatibus, licitum erit alium in Praesidem Capituli generalis subdelegare. Quibus Capitulis generalibus si aliquis ex Episcopis adesse velit, ob aliquas rationes, poterit, non tamen obligabitur.

⁸² In Capitulo Dubnensi compilatus an. 1743, et dici potest Szeptyckianus.

5. - Rev.mus Proto Achimandrita visitabit omnia monasteria, sive per se sive per alium; ubi vero monasteria sunt abbatialia extendet iurisdictionem in personas tantum religiosas, non vero ipsos Abbates, qui directe subsunt, iuxta Constitutiones, tum Apostolicas tum Capitulares, uti habetur Congregatione Zyrovicien. XI, anno 1658, sess. 7, iurisdictioni Metropolitanae. Si quid vero a regimine Abbatum inveniat aliquid, sive in monasteriis, sive in monachis gravaminosum, Protoarchimandrita diferet Metropolitano.

6. - Promovendos ad aliquas dignitates advitales Episcopatus vel Abbatias, Protoarchimandrita cum Consultorio praesentabit personam qualitatibus dotatam Ill.mo Metropolitano, qui non adinventis impedimentis canonicis, praesentabit S. Regiae Maiestati.

7. - In casu obitus Protoarchimandritae, primus Consultor, cum scitu Metropolitanitani, reget Religionem. Pro Capitulo autem futuro, in tempore praescripto, convocabit Metropolitanus, una cum Consultore.

8. - Confessarium, Theologum, et alios, si quos lateri suo assistentes necessarios requiret, et habere voluerit, tam Ill.mus Metropolitanus quam Episcopi, providere et suppeditare obligabitur Proto Archimandrita, debitis qualitatibus pro eiusmodi muneribus obeundis praeditos, et idoneos.

49.

Univ, 2 . VII . 1743.

Querelae Metropolitanae contra machinationes quorundam Patrum, qui intendunt et contendunt annullare « nexum » Metropolitanae cum Ordine Basilianorum.

BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 114rv.

W Uniwie, die 2-da Julii 1743.

Reverendissime in Christo Pater, Pater et Frater Observandissime.⁸³

Po wyiezdzie moim z Dubna⁸⁴ mialem relacye zebyto Consulta w Klasztorze Dubienskim in praesentia Rev.mae Paternitatis Vestrae podczas ktorey X. Lisanski⁸⁵ solito more perversitatis suae proponowal slysze, aby X. Stebnowski⁸⁶ w Rzymie kontynuowal sprawe y vigore Decreti opponowal sie contra nexum cum iurisdic-

⁸³ Verosimiliter ad Protoarchimandritam Ordinis Basiliani, Polycarpum Myhunevyč (1743-1747). Littera haec scripta est lingua polonica tunc temporis, i.e. verbis nominibusque permixta latinis.

⁸⁴ Post conclusionem Capituli Dubnensis an. 1743, diebus 27 Maii - 12 Junii.

⁸⁵ Heraclius Lisanskyj, Alumnus Collegii Urbani (1725), Secretarius Protoarchimandritae Tomylovyč (1730), dein Secretarius Ordinis advitalis (an. 1736) et Superior Polocensis, Consultor Ordinis an. 1743, et in Capitulo Dubnensi 1743 Protoconsultor Provinciae Lithuaniae; ab anno 1747 Provincialis Lithuaniae, et an. 1751 Protoarchimandrita Ordinis (1751-1759). A. 1759 iterum Provincialis Lithuaniae, et anno 1762 nominatus Archiepiscopus Smolenscensis et Archimandrita Onuphriensis. Obiit die 14 Maii 1771. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 288.

⁸⁶ Caesarius Stebnovskyj, Procurator in Urbe (1740-1744).

tionē metropolitana inītum⁸⁷ et contra Acta Capitularia, naco iezeli W. Pan cum Consultorio suo zezwoliles radbym wiedzal tale sistema zlosliwie przez X. Lisanskiego proponowane zmierza non ad concordiam et tranquillitatem Religionis, ale do wielkiej klotni, ktoraby pewnie emergeret y ta praca nasza Dubienska bylaby daremna, gdyby illiciti conatus machinantibus byly a Rev.ma Paternitate Vestra acceptowane y approbowane, iako tedy iestes Rev.ma Patetnitas Vestra caput Religionis, tam chciey temu occurrere aby ta malignitas ustala, wszak iest to in Actis Capitularibus adnotatum, ze sie obydwie Provincye obligowali starac o approbate Constitutionum, a nie annihilowanie. Klasztory w Provinci y Litewskiej dosyc contrybucyami sa zlupione a ieszcze slysze X. Lisanski instabat azeby wedlug Consulty Wilenskiej residuitatem kontrybucy wydali, in quem finem mialo bylo byc racz Rev.ma Paternitas Vestra zwazyc. Oracz effrenatam licentiam u osobie tey comprimere auctoritate sua qua iestes insignitus. Czekam tedy na ten list moy responsu a Reverendissima Paternitate Vestra, oraz iestem

Rev.mae Paternitatis Vestrae

Frater et Servus observandissimus

A. SZEPTYCKI, Archiep. Metropolitanus totius Russiae.

50.

Leopolis, 30 . VII . 1743.

Metropolita explicat modum agendi Patrum Provinciae Ruthenae Basilianorum in Capitulo Dubnensi, in dando quasdam conditiones et praecustoditiones.

BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 106rv (cop.).

Ill.me, Ex.me et Rev.me Domine, Domine et Patrone Colendissime.⁸⁸

Sperabam et ego vix non certo quod, pro sincera et laboriosa cooperatione ad felicem Capituli Dubnensis finem, aliquam laudem simul cum aliis Dominis Episcopis tali Capitulo praesentibus reparare deberem. Sed aliter video hesternae Excellentiae Vestrae ominantur litterae, dum pro iisdem Capituli Actis quamdam Supremi Pastoris quaerimoniam ad me et Coepiscopos meos forte dirigendam timere iubent. Pro evictoribus tamen hac in re ipsum Ill.mum Episcopum Zenopolitanum,⁸⁹ Apostolicum pro tunc delegatum, et meam appello conscientiam, ac ab his fidele testimonium me accepturum non dubito, quod ea omnia ex concredito mihi Praesidentis munere egerim et promoverim, qua iam quasi apparentem praetacti Capituli annihilationem et intempestivam dispositionem amovere intentionemque Suae

⁸⁷ Cfr. supra, sub anno 1743, Dubno (praecedens documentum).

⁸⁸ Nuntio Apostolico Varsaviensi, Fabritio Sorbelloni (1738-1746).

⁸⁹ Georgius Hieronymus Lascaris, Theatinus. Primum Rector Pontificii Collegii Leopoliensis (1738-1741), dein Episcopus Zenopolitanus; Consultor S.C. de Prop. Fide in rebus Ecclesiae Unitae et Ordinis Basilianorum, primum in Polonia, dein vero Romae .Anno 1754 translatus ad Sedem tit. Theodosien. et an. 1762 ad Hierosolymitanam. Obiit Romae 11. XII. 1795. Cfr. *Hierarchia Catholica Medii et Recentioris Aevi*, vol. VI, Patavii 1958.

Sanctitatis ad executionem deducere poterant. Nec arguendi audentur de alicuius inobedientiae nostrae Patres Provinciae Ruthenae quod aliquas praecustoditiones et petitiones suas,⁹⁰ priusquam in effectu electo obedienti Generali, a S. Sede clementer decidendas et approbandas, debita cum humilitate, adiunxerint. Id enim non ex alio fecerunt motivo, nisi ut taliter expertam Patrum Lithuanorum quoad approbationem Capituli contradictionem et impedimenta evitare possint; constans tamen ipsorum mens est, omnia et singula quaecumque Vicarius Christi indispensabiliter adimpleri voluerit iurata cum observantia exequi et manutenere. Ut autem promptius id subsequi valeat, ulteriorem etiam huic rei operam cum aliis Coepiscopis meis me supradictarum declaro, et interim constanti cum submissione et obligatione sum

Ill. mae, Excel. mae et Rev. mae Dominationis Vestrae humillimus et obsequentissimus Servus

A. SZEPTYCKI, Archiepus Metropolitanus totius Russiae

Leopoli, 30 Iulii 1743.

51.

Leopolis, 29 . VI . 1744.

Certiorat de receptione Decretalis "Inter plures".

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 675rv.

Eminentissime ac Rev. me Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

Decretalem Supremi Pastoris Epistolam⁹¹ circa gratiosissimas Eminentiae Vestrae literas cum ea, qua par est, reverentia et inexplicabili cordis mei excep iubilo. Nec praetermittere possum debitam Eminentiae Vestrae gratiarum actionem, cum universa Ruthenorum Hierarchia diu exoptatum negotiorum suorum exitum, si cui, vel maxime protectioni certe Eminentiae Vestrae attribuendum agnoscat, et ea propter aeviterne magno Eminentiae Vestrae nomini se mancipatam esse fateatur. Quia vero aliam quoque Sanctissimi Domini Nostri Constitutionem, Graecos Melchitas respicientem,⁹² Eminentia Vestra mihi communicare non est dedignata, idcirco quoad hanc nonnullas reflexiones per procuratorem nostrum (f. 675v) iudicio Eminentiarum Vestrarum subiicere non omittam. Interim autem indesinentibus Eminentiae Vestrae gra-

⁹⁰ In Capitulo Dubnensi, antequam agnoscerent novum Protoarchimandritam et unionem monasteriorum. Explicatio haec Metropolitanae optima esse videtur, et animum Benedicti PP. XIV placare potuit.

⁹¹ Agitur de Decretali « *Inter plures* », de dat. 11. V. 1744, qua Ordo Basilianorum constituebatur, duobus constans Provinciis, nec non alternativa Officiorum maiorum constituebatur et quaedam quaestiones solvebantur. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 88, nr. 704.

⁹² « *Demandatum caelitus* », de dat. 14. XII. 1743; cfr. textum in DE MARTINIS R., *Iuris Pontificii de Propaganda Fide pars prima complectens bullas, brevia ...*, Romae; sub dat. 1743.

tiis me ipsum resignans, Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram devotissime exsculor et cum aeterna devinctione sum

Eminentissimae ac Rev.mae Dominationis Vestrae

humillimus Servus et Exorator indefessus

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mpr).

Leopoli, die 26 Iunii, 1744 Anno.

52.

Leopolis, 24 . VII . 1744.

De iure et necessitate gestandi collare, sacerdotibus latinis peculiare, etiam Clericis unitis.

APF *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 677, 678.

Beatissime Pater.

Athanasius Szeptycki, Metropolita totius Russiae, humillimus S. V. Orator, ea ex officio amovere curans, quae cleri sui quietem, et per consequens bonum Ecclesiae Catholicae perturbare possunt, in iis, quae protectionem auxiliumque S. Apostolicae Sedis exposcunt, ad S. Vestram recurrendum sibi esse existimat, non inani spe fretus fore, ut pro eo, quo S. Vestra Ruthenam Ecclesiam et Nationem complectitur amore, eandem ab oppressione, et molestia liberet. Vestiunt in Dioecesibus Russiae collaria non tantum Sacerdotes latini, sed armeni quoque, qui accolae, et advenae censendi sunt, imo ii ex Haebreis, qui medicinae artem exercent, vestiverunt ab antiquo, et modo pariter ea vestiunt Clerici, et Presbyteri Ritus nostri Rutheni; cum autem propter hoc nec Armenis nec etiam huiusmodi Haebreis ulla ingeratur molestia, adsunt nonnulli ex Clero latino, qui usum collarium Clericis, et Sacerdotibus Ruthenis denegare conantur. Movet inter alios hac super re quaestionem inutilem Archiepiscopus (f.677v) latinus Leopoli, sed res ipso in limine composita est, ad persuasionem sui Capituli, dicentis convenire Clero Rutheno collaria. Scandalum autem maximum nuperrime passi sunt nostri, imo etiam Schismatici, et Haeretici Vilnae in Lithuania; cum enim D. Radociewicz, Canonicus Vilnen. in Praesbyterum Ruthenorum in libera via incurrerit, gestantem huiusmodi collare, primo iurgiis eum contiatu est, dein ipsemet per collum arripiens, cum per se collari spoliare non posset, id servos iussit perficere, miserumque tamquam reum ad Tribunal Ritus Latini conducere; Episcopo Vilnen. facinus displicuisse auditur, sed conniventer habetur, inde nullum adhuc videtur satisfactionis remedium appositum. Respondent latini Sacerdotes, Presbiteros nostros uxores habere, et ideo non convenire illis usum collarium; quae ratio nullitatis est, quia Presbyteri Italogreci, in Sicilia et Calabria, uxorati sunt, nec propterea molestantur pro gestatione collarium; an tolerabilior erit usus collarium Iudaeorum medicorum, quam nostrorum Clericorum, (f.678) et Sacerdotum in propria patria? Accidit ad hoc, Beatissime Pater, facilius dignosci inter nostrum Clerum ex gestatione collarium huiusmodi Unitum S. Matri Ecclesiae a Disunitis, inter quos plerisque in locis, precipue in Lithuania, vivitur, et a quibus inibi

fere undique noster Clerus catholicus circumdatur. Supplicat itaque S. V. humillimus Orator, ut huiusmodi scandala, et perturbationes tollantur e medio Catholicorum per benignam S. V. vel S. Congregationis de Propoganda Fide declarationem, convenire usum collarium utrique Clero. Quod ex gratia... Quam Deus etc.

Rescriptum est tale:

Ex Audientia, die 24 Iulii 1744.

SS.mus remisit Oratoris preces arbitrio Nuncii Apostolici, cum omnibus facultatibus ad huiusmodi effectum necessariis, et opportunis.

(L.S.)

Secretarius.

53.

Leopolis, 27 . VII . 1745.

Littera Metropolitanae Szeptyckyj, sine subscriptione, ad P. Provinciale Prov. Ruthenae, in quibus exponitur negotium Vocalium Basilianorum.

BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 221-222.

Admodum Revd.me et Religiosissime Pater, Frater Observand.me.⁹³

Acta convocationis Antonopolitanae,⁹⁴ quae a Venerabili Consultorio per manus Adm. Rev.di Patris Kamczyc, Consultoris Ordinis, iam pridem fuerant mihi consignata, transmitters non intermisi, iuxta praescriptum Decretalis SS.mi Domini Nostri ad S. Congregationem de propaganda Fide, quae iis perlectis credibile non est quanto animi dolore intellexerit Provinciae Ruthenae repugnantiam in exequendis Sanctitatis Suae mandatis in eiusdem Decretali expressis, designando quadraginta Vocalium numero, qui futuris Capitulis generalibus pro respectivi Generalis electione interesse deberent. Summaque praesertim admiratione affecta est, quod eadem Provincia ad libitum differre se posse putaverit praedicti mandati executionem tam levibus difficultatibus rationumque momentis, quae nullam habent connexionem cum materia praesenti. Hos doloris et admirationis sensus placuit nedum S. Congregationi de Propaganda Fide in Literis sub die decima nona Iunii currentis anni 1745, verum etiam Sanctitatis Suae specialibus sub eadem die ad me datis, significare,⁹⁵ quibus suprema auctoritate sua me obligare dignantur, quatenus Paternitati Suae Adm. Reverendae Religiosissimae suae Provinciae declarem, mentem ipsius Sacrae Congregationis nec non SS.mi esse, ut remotis omnibus praetextuosis excusationibus condescendant quam primum ad normam Provinciae Lithuanae ad porrectionem schedae de modo stabiliendi praedictum numerum Vocalium, ut in pari et aequali cum Littuanis in-

⁹³ Ad Provinciale Provinciae Ruthenae, P. Hypatium Bilynskyj (1743-1747), qui fuit deinde Protoarchimandrita (1747-1751, 1759-1771). Cfr. M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pa . 286, ubi data inveniuntur biographica.

⁹⁴ Agitur solummodo de Consultatione Antonopolitana, in qua de monasteriis praesertim agebatur controversis inter utramque Provinciam aliisque rebus, quae remanserunt insolutae in Capitulo Dubnensi an. 1743. Hic etiam modificationes considerabantur, quae ex Decretali Benedicti PP. XIV, « *Inter ptures* », de dat. 11 . V. 1744, decretanda et applicanda erant.

⁹⁵ Breve Pontificium non invenimus. De littera S. Congreg. cfr. *Litterae S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. IV, pag. 174.

tervenire possint ad Capitula Generalia dehinc celebranda. Caeterum ne ex eo quod Provincia Littuanica in sua scheda aliqua porrexerit monasteria ex controversis ut inde numerus dictorum Vocalium ad Capitula generalia a se mittendorum completeretur ullum scrupulum de merito causae a Provincia Ruthena prompte relinquat in iisdem litteris declarat Sacra Congregatio, quod haec memoratorum monasteriorum controversorum designatio sicuti nullum addet in adiudicanda Causa ius Provinciae Littuanicae supra illud sibi serviens, sic nihil diminuet iuris ullius, quod supra illa monasteria habere potest Provincia Ruthena, nec ullomodo sperandum esse, ut SS. mus Dominus prius hanc causam dirimat, quam satisfactum sit eius de eligendis Vocalibus mandatis; quoad vero secundam rationem adductam a Venerabili Consultorio Rutheno ad differendam porrectionem schedae, nempe non esse adhuc reducta ad normam Decretalis monasteria minora, ita parvi fit a Sacra Congregatione, ut nullius esse ponderis asseret et si licet mihi aliquid supra haec addere, quod silentio praeteriit Sacra Congregatio, dicerem Venerabilem Provinciam Ruthenam satis facile omnibus incommoditatibus inde emergentibus, si quae sint, occurrere posse, quoties ad imitationem Provinciae Lithuanicae in sua scheda addet, quod si processu temporis aliquod monasteirum ex designatis, quod Deus avertat, in sua fundatione et sufficientia diminueretur, licitum sit eidem aliud ex non nominatis et melioribus subrogare, vel si ex nova fundatione aut antiquae melioratione monasterium non nominatum in scheda in numero subiectorum et sufficientia alicui iam nominato praevaleret, tunc illud huic posse praeferrī in praerogativa transmittendi ad Capitulum generale Vocalium. His igitur praemissis, non dubito Paternitatem Vestram Religiosam et Adm. Revd. suumque Consultorium tam absoluto Sanctitatis Suae mandato tandem obtemperaturam, et piaem eiusdem intentioni ut pareat responsuram, quod nedum eius nomine expono, sed etiam private, uti amicus consulo; verendum namque probabiliter esset, si secus fieret, ne Sanctitas Sua nimia resistentia fatigata eo perduceretur, ut supremae suae auctoritatis rigorem in inobedientes exerceret pontificiaque utens potestate supra dictae Vocalium aequalitati alio provideret modo. Rogo igitur sine dilatione manifestare velit, ut habito cum Rev. mo Patre Generali⁹⁶ consilio novam possim indicare convocationem ad hocce negotium terminandum, cui ego ipse in persona ex mandato Sacrae Congregationis praesidere et assistere intendo. Ut vero eius litterae ad me securius pervenire possint, peto ut illas per suos Religiosos ad proprias manus Rev. mi Patris Praefecti Collegii Pontificii Leopoliensis⁹⁷ reddere curet, sicuti ex eodem motivo, ne meae inconsulto perirent, ut ad proprias manus Relig. mi Officialis Leopoliensis ad Sanctum Georgium consignare mandavi. Hanc siquidem diligentiam necessariam arbitratus sum, ut melius et citius desideria SS. mi explerentur. Urget enim Universalis Ecclesiae Capituli mandatum. In desiderio autem prompte responsionis, omni cum existimatione maneo.

Datt. Leopoli, die 27 Julii 1745.

⁹⁶ Polycarpus Myhunevyč (1743-1747).

⁹⁷ Hieronymus Moro (1741-1760).

54.

Univ, 14 . XIII . 1745.

Attestatio Metropolitanae de pacifica possessione Episcoporum Peremyliensium Bonorum Straszewice et Busowiska.

(APF, *Scrutt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 728, fol. 429v.

Athanasius in Szeptyce Szeptycki, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kyoviensis, et totius Russiae, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis Podoliae, Abbas Kyevo - Peczarensis, et Uniovensis.

Universis, et singulis, quorum interest, intererit, aut quomodolibet interesse poterit. Praemissa pro exigentia uniuscuiusque obsequiorum nostrorum contestatione significamus, et attestamur tenore praesentium Illustrissimum, et Reverendissimum D. Hieronymum Ustrzycki⁹⁸ eadem gratia Episcopum Permysliensem, Sanocensem, et Samboriensem Ritus Graeci cum Sancta Romana Ecclesia uniti, Antecessoresque eius semper fuisse, ac esse in pacifica, ac ininterrupta possessione Bonorum Straszewice, et Busowiska, ac Monasterii Sanctissimi Salvatoris in Montibus,⁹⁹ nec recordamur quod unquam modernus Illustrissimus Episcopus, aut Antecessores sui, quorum meminimus, in huiusmodi pacifica possessione a quopiam fuissent turbati, aut quomodolibet molestati. Cui hoc nostro Testimonio, ut tam in Iudiciis, quam extra, plena, et indubitata adhiberetur fides, idem manu nostra propria, subscripsimus, et sigillo muniri iussimus.

Datum in Conventu Abbatiali Unioviensi, die 14 Decembris 1745.

A. Szeptycki, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
L. S. — Antonius Lewinski, Cancellarius (mp).

55.

Leopolis, 19 . VII . 1746.

De quibusdam disordinibus in Ordine Basilianorum, nec non de actis Procuratoris Romani.

APF, *Scrutt. rit. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 108-109.

Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Dies non multi transierunt, ut deplorabilem Hierarchiae Ruthenae ad praesens statum Eminentissimis Patribus dolens exposui, opportunaque crescentibus in dies malis remedia venerabundus imploravi; sed maxima demerita mea id effecere, ut praelibatae supplices meae apud eosdem Eminentissimos Patres nullam admissionem et

⁹⁸ Episcopus Peremyliensis (1715-1746).

⁹⁹ His annis Causa de his bonis agitari cepit tum Varsaviae tum Romae. Bona haec in viciniis oppidi Staryj Sambir sita erant.

fidem mererentur. Quamobrem iterato haec vulnera benigno Sanctitatis Vestrae obtutui profundissima cum adoratione praeponere compellor, faterique adigor, quod ex stabilita magnis laboribus meis inter Provincias Basilianas unione continuae inter easdem Provincias collisiones, totiusque Status Hierarchici graves emerterint perturbationes, dum associatus aliquot asseclis Pater Provincialis Lithuanus¹⁰⁰ non solum antiquam et per Oracula Sanctae Sedis firmatam Metropolitanorum Russiae Jurisdictionem incessanter impetere, verum etiam suae indulgendo ambitioni, figuram totius Ordinis immerito in se ipso praesentare, (f. 108v) independenter a suo Generali, quinimo contra expressas eiusdem dispositiones se gerere, per substitutum Procuratorem suum, citra scitum Procuratoris Generalis¹⁰¹ secreta omnisque irrealitatis plena memorialia porrigere, Patrem Generalem suum,¹⁰² virum meritis plenum, sinistre depingere, et ob privatos fines suos regiminis incapacem allegare, primumque Congregationis suae Generalem Consultorum, Nicanorum scilicet Ulinski, acsi Jurisdictioni Generalis et dispositionibus Sanctae Apostolicae Sedis ac huius Sanctae Nuntiaturae refractarius et inobediens esset, irrealissime deferre, nec non mandatum pro extendendis contra innocuum Religiosum istum poenis canonicis non sine notabili fraternae charitatis laesione efflagitare praesumpsit et praesumit. Nec video certo infelici ista Status nostri impositione aliud restare, nisi Sanctitati Vestrae humillime supplicare, ut pro innata Paterni Cordis bonitate pendentes adhuc de Abbatibus et Monasteriis quaestiones gratiose resolvere, auctoritatem Generalitiam, ad normam aliarum Religionum reducere, Procuratorem Generalem, ut talis re ipsa dici possit, suprema potestate solidare, mandata quaevis contra suprafatum (f. 109) Patrem Nicanorum Ulinski extensa clementer relaxare, contra Calumniatores Patris Generalis et dicti Patris Ulinski ac aliarum Personarum poenas promeritas extendere, et ne ulterius iurisdictioni Generalitiae recalcitrare praesumant, districte inhibere Sanctitas Vestra non dedignetur. Nisi enim humillimae preces istae in gratiosissimo Sanctitatis Vestrae pectore effectivam inveniant animadversionem, nunquam sane in Hierarchia nostra pax erit speranda, continuataeque lites et contentiones, cum scandalo aliarum Religionum, illusionem vicinorum Schismaticorum, et vix non certissimo fidei ac animarum periculo suum indies et momenta habebunt incrementum. Inclino circa haec caput meum ad oscula pedum Sanctitatus Vestrae et cum universo Grege meo pro felici Sanctitatis Vestrae regimine Divinam Maiestatem interpellare non desisto.

Sanctitatis Vestrae Domini mei Clementissimi

Scabellum pedum

A. SZEPTYCKI, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mpr).

Leopoli, die 19 Julii, 1746 Anno.

¹⁰⁰ P. Theodosius Koniacevskyj (1743-1747).

¹⁰¹ Athanasius Czarkovskyj (1744-1747).

¹⁰² Cfr. M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 170, de residentia Consultorum generalium.

56.

Leopolis, 10 . XII . 1746.

Testamentum temporale Metropolitanæ cum enumeratione summarum et rerum testatarum tum ecclesiis tum personis.

APF, *Scrutt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a.1748, vol.103, f.542-543v.

In nomine Domini, Amen. Praesenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum. Quomodo anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1746, Indictione Romana IX, Pontificatus SS.mi Domini Nostri, Domini Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIV, anno VII, die vero Sabbathi 10ma mensis Decembris, coram me, Publico Sacra Authoritate Apostolica Notario, Testibusque infrascriptis, decumbens quidem propter aegritudinem in lecto Ill.mus Excell.mus et Rev.mus Dominus D. Athanasius in Szeptyce Szeptycki, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijovien. et totius Russiae, Episcopus Leopoliens., Haliciens., et Camenecen. Podoliae, Archimandrita Kijovo-Peczaren. et Uniovien., mente tamen sanus existens, palam, sponte, libere, ac per expressum recognovit: Quia ipse quamvis sit mente sanus et perfectae recognitionis, cum tamen increscente debilitate Acta Castrensia personaliter adire non valeat, idcirco coram me et testibus infrascriptis hanc ultimam voluntatis suae dispositionem fecit, ac expressit. Et quidem, primo, quod respicit animam suam, hanc quemadmodum a Deo creatam, ita eandem Misericordissimo Deo et Redemptori suo commendavit, quae postquam ex beneplacito et dispositione Divina de hoc migraverit corpore, eandem piis orationibus iuvandam omnes suos amicos et consanguineos ac praesertim Clerum suum rogavit et obsecravit, corpus autem competenter in ecclesia sua Cathedrali Leopoliensi sepeliendum decrevit. Quoad Bona sua temporalia et Summas quasvis ubivis reperibiles has omnes taliter disposuit, et ante omnia respiciendo actus iustitiae, cum contraxerit varia debita et Summas Monasteriorum Ordinis S. Basilii Magni Provinciae Ruthenae penes se retentas habeat, videlicet: *1mo*, Religiosorum ad ecclesiam suam Cathedrali Leopoliens. Summam primam florenorum polonicalium viginti quatuor millium, iuxta obloquentiam seorsivae schedae, a se Rev.mo Innocentio Lipnicki,¹⁰³ Auditori suo, pro tunc Vicario Generali datae; secundam, triginta millium florenorum pollon. Rev.mi olim Georgii Pakowski,¹⁰⁴ Abbatis Zydzczynensis, a multis annis in manibus suis geren. per eundem Rev.mum Pakowski Patribus Basilianis ad Cathedralam suam pro studiis Religiosorum ante suam mortem dispositam; *2do*, Monasterii Wicynensis Summam flor. poll. *triginta millium*, ad manuale scriptum suum in quo, quae, qualiter, et unde summa provenit expressum; *3tio*, Monasterii Uniovien. Summam duodecim millium floren. poll. quae, qualiter, et unde, similiter scripto suo habetur expressum; *4to*, Religiosorum PP. Krylosiensium decem millia floren. poll. eisdem Religiosis per Ill.mum olim Szumlanski, Episcopum Leopoliens., legatam; *5to*, Monasterii Milecensis triginta millium floren. poll. per Rev.mum olim

¹⁰³ Tunc temporis iam Archimandrita Ovrucensis inde ab anno 1742.

¹⁰⁴ Georgius Pakowskyj, Archimandrita Zydyčynensis (1731-1746).

Marcianum Holownia,¹⁰⁵ Abbatem Mielecensem, ad manualem suam assecurationem sibi datam; *6to*, Summam decem millium floren. poll. Religiosi Josaphat Siedlecki.¹⁰⁶ Item, praeter recensitas Summas, Religiosis PP. Basilianis debitas, recognovit pariter apud se habere summas personarum saecularium, nempe Magnifici Stephani Wyszpolski, Subdapiferi Kijovien., Notarii Castren. Winnicen. Summam viginti millium floren. poll; Magnifici Michaelis Korytko, Pocillatoridae Mielnicensis (f.542v) Summam quadraginta trium millium floren. poll; Magnifici Romani Lisowski, Venatoridae Zydzaczovien. Summam (:praeter provisionem ut ex Regestris apparebit:) triginta trium millium floren. poll.; Religiosarum Monialium Benedictinarum Leopoliensium Summam una cum provisione viginti et unius millium quadringentorum floren. poll; Magnificae Susannae Lisowska, Venatoridis Zydzaczovien. in statu virginali existentis, sororis Magnifici Romani Lisowski, Summam decem millium octingentorum sexaginta unius floren. poll. et grossos viginti unius; Magnificae Annae de Lisowski Sieromska, Pocillatricis Drohicen. Summam decem millium. floren. poll.; Magnifici Francisci Denefelt, Venatoris Buscensis Summam circiter (:prout melius ex Regestris constabit:) quatuor millium floren. poll., qui Magnus Denefelt Summam uxorem suam Magnificam Petronellam de Lisowski Denefeltowa concernentem in integro ex manibus Suae Excellentiae percepit et levavit; item Magnificae Sophiae Denefeltowa, Viduae Consortis Magnifici Denefelt Colonelli, Genetricis autem Magnifici Francisci Denefelt Summam decem millium floren. poll., praeter provisionem ab hac summa debitam; Generosi Joannis Kaczorowski Summam sex millium floren. polon. Insuper debet Nobili pie defunctae Augustynowiczowa Dyrektorowa Summam triginta novem millium sexcentorum una cum provisione floren. poll. Item Infideli Icko, Mercatori Leopoliens., pro variis materiis et rebus propter Magnificam Roxaliam Turzanska, Pocillatoridem Zydzaczovien. ab ipso acceptis, Summam residuam sexcentorum quinquaginta duorum floren. poll. nec non honesto Theodoro Kedzierski, Gospodario Curio-lae suo in suburbio Haliciensis pro solutione Kamieniarzom za gozdzie do Uniowa¹⁰⁷ et aliarum rerum vigore quietationis de actu et die eius 13. 9bris anno curren. 1746, per Generosum Franciscum Zwolinski, Commissarium suum ipsi datae summam mille viginti novem floren. poll. et gross. 25. Item servis suis incipiendo a primo ad ultimum quidquid apparebit ex Regestris et adnotationibus in libro cui titulus: Gospodarz, his omnibus supra recensitis tam Monasteriis quam personis, et servis ac famulis suis repetitionem summarum respective suarum et deservitae mercedis ex Summis quibusvis signanter vero ex Summis super Bonis Pomorzany, Hodow, Laskowce, et Kosow, nec non ex Summa apud Magnificum Boguslaum Bulski, Vexiliferum Leopoliens., floren. 27500 poll. haerentibus assignavit et assecuravit. Summam vero super Bonis Horodyslawicze haerentem pro aedificatione inchoatae ecclesiae Cathedralis Leopoliens. totam et integram designavit et assignavit, et si quid ex huiusmodi Summa Horodyslawicensis remanserit, illud totum in Suffragia pro anima sua in dicta ecclesia Cathedrali peragenda disposuit. Ex rebus mobilibus, puz-

¹⁰⁵ Marcianus Holownia, Archimandrita Mielecensis (1730-1747).

¹⁰⁶ Josaphat Siedleckyj, tunc simplex Religiosus, dein vero Archimandrita Ovrucensis et Provincialis Prov. Ruthenae (1763-1772).

¹⁰⁷ Archimandria Unioviensis, quae erat in administratione Metropolitae. Agitur de variis expensis factis pro reparationibus huius Archimandriae.

dro srebra z misami, pulmiskami y talerzami, Ill.mo et Rev.mo Hieronymo Szeptycki,¹⁰⁸ Suffraganeo Luceorien., nec non eidem Crucem adamantinam pectoralem cum torque aureo. Religiosissimo Ambrosio Turzanski,¹⁰⁹ Ordinis D. Basilii M., Sororino suo, salatyрки srebrne dwie, waza, srebrne okrygle, y Krzyz pektoralny smaragdowy z lancuchem wdziezsy pierscien czerwony dedit, legavit et donavit. Item eidem Ill.mo Suffraganeo Luceorien.¹¹⁰ pierscien amatistowy biay assignavit. Reliqua vero argenta et clenodia iuxta taxam dividenda pro expensa funebrali et sacrificiis Missarum disposuit. Magnificae Rosaliae Turzanska, Pocillatoridae Zydaczovien., ex residuitate Summarum super Bonis Pomorzany et Laskowce haerentium pro solutione debitorum assignatis, ante omnia et ante schedam subdivisorialem ad proportionem Magnificae Barbarae Malinska, item Magnificis (f.543) Antonio Wyszpolski, Notario Terrestri Leopoliens., Nicolao Szeptycki, Vexilliferidae Laticzoviensi, et Simoni Szeptycki, Venatoridae Buscensi, de residuitate eiusdem supra recensitae Summae Pomorzanen. et Laskovecen. circa determinium triennii exsolvendae unicuique per decem millia floren. poll. assignavit. Item religiosissimo Turzanski karete szafirowe, z cugiem koni kasztanowatych y obicie szafirowe. Jam vero Ill.mo Hieronymo Szeptycki obicie czerwone disposuit; ogrody niedawno pod swiaetym Iurym nabyte do katedry Lwovskiej legavit. Pelles marmurki Magnifico Romano Lisowski, pelles sebellinas Rev. Ambrosio Turzanski designavit, reliquis vero pellibus idem Rev.mus Turzanski cum Rev.mo Leone Szeptycki,¹¹¹ Abbate Mielecensi, aequaliter se dividant iniunxit. Insuper Magnifico Antonio Wyszpolski, Notario Terrestri Leopoliens., zrzebiam kasztanowatego, iam autem Magnifico Romano Lisowski zrzebiam sokolowatowego w Zaskowcach bedace specificativit, srebro stolikowe, iako to krzyz, kalamarzy dwa, lichtarzyki stolowe, Rev.mo Ambrosio Turzanski donavit; eidem etiam sztuciec iedem nozow z grabkami y lyszkami srebrnymi assignavit. Reliquaria argentea, unum cum ligno Sanctae Crucis, aliud cum Reliquiis Sanctorum ecclesiae Cathedrali dedit et donavit. Bona vero quaevis stantia et alias res mobiles, uti pecora et pecudes, aequinea vulgo stada konskie aequali dispositioni proximorum reliquit, et proventibus rathae Pomorzanen., in compensationem fidelium obsequiorum, Generosis Francisco Zwolinski, Commissario suo, duo millia, Theodoro Strusiewicz, Secretario suo, unum mille floren. poll. dedit et assignavit; ex proventibus et rathis o Srodoposciu in anno venturo 1747 percipiendis ex omnibus Bonis, et ex venditione frumentorum Rev.mo Ambrosio Turzanski pro futura promotione quadringentos aureos hungaricales designavit et persolvi mandavit, Nobili Michaeli Hadziadzki, Converso ex turca, floren. centum pro ipsius obsequiis ex proventibus Grodecensibus persolvi enumerarique iniunxit. Pro Executoribus autem huius ultimae voluntatis et dispositionis suae Ill.mum

¹⁰⁸ Episcopus Ritus Latini, etiamsi de familia proveniebat Szeptyckiorum, quae tunc temporis plurima habuit insignia membra Ritus Rutheni. Anno 1739 nominatus Ep. tit. Saldicensis et Suffraganeus Luceoriensis; anno 1759 translatus ad Eparchiam Plocensem Latinorum. Obiit an. 1783, die 9 Augusti. Cnf. *Hierarchia Catholica*, vol. VI, passim.

¹⁰⁹ Turzanskyj, vel Turjanskyj, genere nobilis; ex Provincia Protectionis B.V. Mariae.

¹¹⁰ Hieronymo Szeptyckyj; Cfr. notam praecedentem.

¹¹¹ Leo Szeptyckyj, Archimandrita iam tunc Mielecensis (nominatus tantummod), sed nondum benedictus), dein Episcopus Leopoliensis (1749-1779) et Metropolitae Kioviensis (1778-1779).

Hieronimum Szeptycki, Suffraganeum Luceoriensem, Perillustrem Innocentium Lipnicki,¹¹² Abbatem Ourucensem, Magnificos Boguslaum Bielski, Vexilliferum Trembovlien. et Antonium Wyszpolski, Notarium Terrestrem Leopoliensem. eligit eosdem peramanter rogando, ut hanc suam ultimam voluntatem, dispositionem, in omnibus ad executionem deducere curent. Signanter vero, ut Summa super Bonis Horodyslavice locata et haerens in aedificationem ecclesiae Cathedralis Leopoliensem. de latere cocto extruenda assignata in eandem ecclesiam fideliter expendatur attendant, et animadvertant, ac ne aliter disponatur vel expendatur pro posse suo invigilent. Hanc itaque suam ultimam dispositionem, salva imposterum eius melioratione aut in toto immutatione, si supervixerit, una cum Testibus infrascriptis manu sua propria subscripsit, ut sequitur:

A. Szeptycki, M. t. R. (Locus Sigilli).

Hieronimus Szeptycki, Episcopus Saldicenus, uti praesens ultimariae huic dispositioni Ill.mi Metropolitanis, adhuc sanae mentis existentis, adfui, ita in majorem fidem me subscribo, ut testis specialiter rogatus, idem qui supra mpp. (Locus Sigilli).

Innocentius Lipnicki, Ordinis D. Basilii M., Abbas Ourucenus, ad hanc Testamentariam Dispositionem testis requisitus mpr. (L. S.).

Moyses Bohaczewski, Ord. D. Basilii M., Official. Generalis Leopoliensis.

Josephus Corradi, Medicinae Doctor, huius Dispositionis testis.

Hieronimus Zurakowski, Ord. D. Basilii M. mpr. (L. S.).

(543v) Super quibus petitum fuit a me, Publico Sacra Autoritate Apostolica Notario infrascripto, ut unum vel plura conficerem et extraderem Istrumentum seu Istrumenta. Acta haec sunt Leopoli in Residentia suprafati Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi Domini Archiepiscopi Metropolitanis, Anno, Indictione, Pontificatu, die, mense, quibus supra, praesentibus Ill.mo Perillustri et Venerabilibus ac Admodum R.endis Patribus, necnon Generoso Coradi, Testibus quibus supra ad praemissa habitis, rogatis et requisitis.

Et quia ego Antonius Lewinski, Publicus S. Autoritate Apostolica Notarius, ac Curiae Metropolitanis et Episcopalis Leopoliensis. Cancellarius, praemissa omnia sic fieri vidi et audivi, ideo praesen. etc.

* * *

B. In libro quotidianorum gestorum p. m. Illustrissimi et Reverendissimi Leonis Kiszka,¹¹³ Archiepiscopi Metropolitanis Kijoviensis et totius Russiae, Episcopi Vlodimiriensis et Brestensis, Anni 1720, sub die 19 mensis Octobris, inter alia reperiantur ingrassatae quoque litterae ad Sanctissimum Dominum et Sacram Congregationem de Propaganda Fide a Collegio Episcopali ex Synodo Zamosciana,¹¹⁴ cum expositione Resolutionis ad varia desideria, sub die 17 7bris script., inter quae desideria sub numero quarto hoc habetur: — 4to. An Episcopi Regulares testari possint absque consensu Sanctae Sedis Apostolicae, et in quorum favorem testari valeant tum de bonis acquisitis, tum de bonis patrimonialibus. Pro primae partis negativa militant

¹¹² Cfr. *Indicem nominum et rerum*: Lipničkyj.

¹¹³ Metropolita Kioviensis (1714-1728). Cfr. eius epistolas in prima parte praesentis voluminis.

¹¹⁴ Celebrata Synodus Zamostiae an. 1720, diebus 26 Augusti - 17 Septembris.

Canones, proinde expetit Collegium Episcopale, quatenus detur potestas Archiepiscopo Metropolitano Russiae praebendi facultates testandi Episcopis in Russia regularibus. Pro secundae partis decisione, quod nempe testari debeant ecclesiae suae adminiculantur Sacri Canones, penes quos manuteneri postulat Ecclesia Roxolana, et Episcopis serio inhiberi, ne secus et aliter facere praesumant; hoc enim pacto et Ecclesiae ditabuntur, et Seminaria de nova erigentur radice. — Manu propria pie defuncti Illustrissimi Leonis Kiszka.

EPISTOLAE FLORIANI HREBNYCKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS

(1748-1762)



FLORIANUS HREBNYCKYJ, METROPOLITA KIOVIENSIS

FLORIANI HREBNYCKYJ BIOGRAPHIA

Florianus Hrebnyckyj natus est parentibus nobilibus anno 1683, patre Michaële et matre Anna Kossowcova. Anno 1699 ingressus est Ordinem Basilianorum, Provinciae Lithuanae SS. Trinitatis adscriptus. Post studia primaria, ingressus est Academiam seu Collegium Vilmense an. 1705, ubi anno 1707 magisterio in philosophia, anno vero 1710 laurea in theologia potitus est. Studiis absolutis, lectorem philosophiae in monasterio Zyrovicensi agebat duo per annos; dein, praedicator in monasterio Polocensi designatus est. Hisce muniis rite functis, Superiorem agebat tum Vitebsci tum Vilnae, ut patet ex quadam notitia biographica anni 1727 (*cf. Documenta biographica, II*).

Anno 1716 designatus est, ut videtur, Coadiutor Archieparchiae Polocensis, cum titulo Episcopi Vitebscensis, et Coadiuto mox in Cathedra successit, fortasse iam anno 1717. Hac in dignitate constitutus, cum zelo vere iuvenili conversioni non Unitorum operam dabat, et revera cum fructu sat conspicuo. Anno 1720 partem habuit in Synodo Zamostiana eiusque decreta, mox approbata, executioni mandavit. Ut sortem suae Archieparchiae, praesertim per educationem cleri, meliorem faceret, cum PP. Soc. Jesus Collegii Polocensis litem de bonis ecclesiasticis recuperandis iniit, quam in variis subseliis agitabat. Causa hac Romam remissa, ipse anno 1727 Romam se contulit, ut iura sua defenderet. Iam ante suum iter romanum a Metropolita Kioviensi Leone Kiszka delectus fuit in Coadiutorem Metropoliae cum futura successione. Inde Florianum Romam prociscentem in Coadiutoria confirmandum Metropolita commendavit. Sed mox, viribus deficientibus, Metropolita alium sibi in Coadiutorem adscivit, Athanasium Szeptyckyj, Episcopum Leopoliensem, qui revera, vita functo Metropolita, administrationem Metropoliae obtinuit, frustra instante Romae Floriano, ut haec sibi concederetur.

Romae usque ad annum 1730 commoratus est, nihil tamem obtinuit, et ex mandato S. Congreg. de Prop. Fide in patriam redire debuit, ut Archieparchiam suam Polocensem ab insectationibus Episcopi schismatici Arsenii Berlo defenderet, quod et feliciter perfecit, Arsenio decreto regio Regno pulso.

Ulterius vita eius tota quanta ampliandae Unioni, defensionis ab impetibus Schismaticorum, recuperandis bonis ecclesiasticis dedita fuit. Hoc in labore,

viribus fractis, sibi Coadiutore, P. Jasonem Smogorzewskyj Romae exquisivit, sed non obtinuit.

Post obitum Metropolitae Athanasii Szeptycky an. 1746, administrationem Metropoliae primum potestate Synodi Zamostianae, dein etiam auctoritate apostolica assumpsit et electionem novi Metropolitae parare caepit, eiusdem electionis libertatem tum contra attentata Regis Poloniae, tum aliorum Episcoporum strenue defendebat. Tandem anno 1748, maioritate suffragiarum, ipse Florianus in Metropolitam Kioviensem electus fuit Novogrodecii, et Bullas provisionis, nec non nominationem regiam obtinuit. Hisce obtentis, cum fervore iuvenili necessitatibus Ecclesiae Unitae providere caepit, integritatem Ritus et Ecclesiae tum praesertim bonam Unionis famam coram Pontifice et Rege vindicando.

Assumpto sibi in Coadiutorem Episcopo Chelmensi, Feliciano Wolodkowycz. anno 1754-55. Florianus magis et magis internae Ecclesiae Unitae restorationi incumberebat, varia negotia hucusque suspensa ad felicem perducendo effectum. De his suis curis et successibus ample duobus praesertim vicibus Sanctae Sedi retulit, amplissimas exarando relationes de statu tum Metropoliae tum Archieparchiae (1752, 1756). Plus quam septuagenarius iterum de Coadiutore in Archieparchia cogitare caepit in persona sui Generalis Vicarii, Jasonis Smogorzewskyj, quam gratiam, tria fere post lustra instantiarum, tandem aliquando obtinuit, iam fere in extremis constitutus. Obiit revera iam medio anno 1762, plenus meritis de Archieparchia Polocensi totaque Russia Alba nec non de Metropolia. Erat vir rebus ecclesiasticis et religiosis deditus, devotus, pacificus, vere quaerens gloriam Dei, et quidem maiorem, Ecclesiae exaltationem eiusque Unionis dilatationem.

DOCUMENTA BIOGRAPHICA ROMANA

I.

Vilna, 1707-1710.

Ex adnotationibus Pontificii Collegii Vilnensis.

Laureae Academicæ Coll. Vilnensis. (cfr. POPLATEK, *Studiosi OSBM. in Academia Vilnense*, in *Analecta OSBM.*, vol. IV, p. 213).

VILNEN.

Florianus HREBNICKI

SS. Domini Nostri Alumnus

7 Februarii 1707 Magister philosophiæ.

6 Iulii 1710 Doctor Theologiæ.

II.

Roma, 1727.

Notitia brevis de Archiepiscopo Polocensi deque sua Eparchia, compilata in occasione suæ candidaturæ ad Coadiutoriam Kioviensem Metropolitanam anno 1727-1728.

APP, *Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 323-24v.

BREVE NOTITIA DI MONSIGNOR FLORIANO HREBNICKI ARCIVESCOVO DI POLOSKO; E DELLA SUA CHIESA ARCIVESCOVILE.

Nacque il sudetto Prelato l'anno 1683, da Genitori Cattolici Romani nobili, cioè da Michele Hrebnicki Tesoriere del Palatinato Vitebscen., e da Anna Kossowcova, figlia del Coppiere di detto Palatinato, ambedue cariche riguardevoli, solite à godersi da persone di sangue illustre.

L'anno 1699 si vesti Monaco nella Religione di S. Basilio Magno.¹

L'anno 1705, dopo aver terminato lo studio della Filosofia nel Monastero Zyrovicence, fu collocato Alunno nel Seminario Pontificio di Vilna, dove compito lo studio della Teologia, ne ricevè la Laurea Dottorale dal P. Tobia Areatt, della Compagnia di Gesù, Rettore allora dell'Accademia di Vilna.²

Fu Lettore di Filosofia due anni nel Monastero Zyrovicen., del suo Ordine.

Predicò altri due anni nel Monastero di Polosko, parimente del suo Ordine.

Fu Superiore un'anno nel Monastero Vitebscense, et un anno e mezzo in quello di Vilna.

¹ Verosimiliter in monasterio Bytenensi, ubi domus novitiatus erat Basilianorum.

² Inde ab anno 1578; s. d. Bathorea, a Rege Stephano Bathory fundata. Sub directione erat Soc. Jesu. Per plurimi Basiliani in hac Academia studiis theologicis et philosophicis incumbant et laureis et magistris proficiunt.

Li 14 Marzo 1716 fu consagrato Arcivescovo di Polosko da Monsignor Leone Kiszka, Metropolitano della Russia.³

Il sudetto Arcivescovato è situato nella Russia, et è stato goduto ab antiquo tempore da Greci uniti alla S. Chiesa Catholica Romana; et ha annessi quattro Vescovati cioè il Vitebscense, Mscislaviense, Orsanense e Mochiloviense.

Il Vescovato Mscislaviense, col consenso dell'Arcivescovo di Polosko, è solito da qualche tempo in qua conferirsi all'Arcivescovo Smolescense⁴ in sussidio del suo mantenimento, stante che i beni della sua Mensa, e Diocesi sono stati occupati e devastati da Moscoviti.

Il Vescovato Mohiloviense viene occupato presentemente dal Principe Czetwertynski, Vescovo Scismatico; dal quale però si spera in breve l'accesso alla Santa Unione della Chiesa Catholica Romana.⁵

(f. 322v) Sicche restano attualmente annessi al detto Arcivescovato l'altri due solamente, cioè il Vitebscense, et Orsanense.

Nel tempo ch'entrò in possesso dell'Arcivescovato Monsig. Arcivescovo suddetto trovò sotto la sua guirisdizione nove Monasteri di Monaci dell'Ordine di S. Basilio Magno; et uno s'è accresciuto dopo per aver abbandonato lo scisma, et essersi unito alla Chiesa Catholica Romana.

In oltre trovò tre Monasteri di Monache. Chiese Parochiali n° 324. Altre in n° 18, ne sono state fondate, e dotate dopo; et altre sino al n° di 25, con aver abbandonato lo scisma si sono unite alla Chiesa Romana; modo che in tutto le Chiese Parochiali che si trovano presentemente nell'Arcivescovato di Polosko e li due Vescovati Vitebscensis, et Orsanensis uniti ascendono al n° 364; quali sono popolatissime, ma di gente rude, che ha necessità precisa d'essere instruita; ma per scarsezza di soggetti idonei, e capaci difficilmente si puol supplire al bisogno.

Per la tenuità delle rendite della Mensa Arcivescovale non ha potuto sin'ora erigere alcun Seminario ma mantiene alli sudtii due Giovani a proprie sue spese, et in oltre ha fatti sino al presente à commodo della sua Cathedralre, e Diocesi li seguenti Beneficii.

1. Ha preparato una gran quantità di cementi per la restauratione, o sia nuova fabrica della Chiesa Cathedralre di Polosko, devastata, e quasi atterrata da Moscoviti dell'anno 1705,⁶ per le quali vi sarà necessaria la spesa almeno di scudi 6000.

³ Patet ex hoc documento Florianum Hrebnykyj fuisse Archiepiscopum Polocensem inde ab anno 1716, et non ab anno 1720, prout habent quidam auctores, ut v. gr. J. PELESZ, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. II, Wien 1880.

⁴ Archieparchia Smolenscensis tunc temporis erat iam potius titularis, quia territorium hoc in dominio erat moschorum, qui regimen ecclesiasticum impediabant. Ann. 1709-1727 Archiepiscopus Smolenscensis erat Laurentius Druckyj Sokolinskyj. In Synodo Zamostiana eidem Archiepiscopo concessa fuit administratio Archimandriarum Pustynensis et Onuphriensis Basilianorum, ad dignitatem episcopalem sustentandam.

⁵ Sylvester Svjatopolk Czetvertynskyj, Episcopus non unitus Mohiloviensis (1704-1727). De quanam spe agitur, non nobis constat.

⁶ Temporibus Czari Petri I (1682-1725), qui anno 1705 Polociam occupavit et PP. Basilianos occidit. Cfr. inter *Epistolas Metropolitanæ Zaleskyi et Kiszka*, sub anno 1705, s. d. *Diarium*, vel eorum continuationem.

(f. 324) 2. Ha fatto infondere di nuovo, et accrescere la Campana² maggiore di detta Chiesa Cathedrale, ch'era di libre 6810; e fu devastata da Moscoviti l'anno 1709.

3. Ha provisto di tutti gl'apparati et utensili sagri la Cathedrale, de quali in tempo del suo ingresso all'Arcivescovato era affatto sprovista.

4. Oltre considerabili bonificamenti fatti nelli Beni della Mensa Arcivescovale, per rendere più facile e comoda la residenza appresso la Cathedrale, ha edificato di nuovo un Palazzo con tutti i comodi per l'Arcivescovo e suoi familiari, con notevole spesa.

5. Ha eretta una nuova Chiesa Parochiale nelli beni della Mensa Arcivescovale denominati *Ciotcze* e l'ha provista à proprie spese della Pisside, Calici, di due Campane, e d'altri Paramenti sagri necessarii.

6. Ha similmente rinovata altra Chiesa Parrochiale per l'antichità già cadente con provederla à proprie spese de Paramenti Sagri.

7. Et ultimo finalmente ha recuperato i beni spettanti alla Mensa Arcivescovale denominati *Porohi Mikolskie*, posseduti sin dall'anno 1580 da molti, e dal Magnifico ultimamente Fabiano Koziel, Capitano Disnense. In oltre ha riacquistati altri beni detti *Kaulcze* occupati sin dall'anno 1623 dal Magnifico Domenico Hlasko e suoi maggiori; e finalmente i beni denominati *Papin* spettanti alla Chiesa Cathedrale Vitebscense per i quali ha sostenute gravissime lite nel tribunale del Gran Ducato di Lituania con spese considerabili de beni suoi (f. 324v) patrimoniali, e li ha riuniti alla Mensa sua Arcivescovale.

III.

Varsavia, 20 . V . 1748.

Excerpta ex processu consistoriali biographica, occasione promotionis ad Sedem Metropolitanam Kioviensem.

ASV, *Processus consistoriales*, vol. 136, fol.318-327.

Die 29 Novembris 1748. Ex audientia Sanctissimi.

Cum ex Apostolicis Constitutionibus Nuntiis Apostolicis integram Processuum Consistorialium confectionem alteri personae delegandae facultas denegetur, et nihilominus allegatus Processus pro expeditione Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. Ritus Graeci unitarum ab Auditore Nuntii Apostolici Poloniae, de huius commissione, integraliter confectus fuit, ideoque nullitatis vitio laboret, Sanctitas Sua, cui humiles super opportuna convalidatione preces porrectae fuerunt, ne dictae Ecclesiae iam dudum Pastoris solatio destitutae longioris vacationis exponantur incommodis, aliisque attentis peculiaribus causis,⁷ Processum praedictum Apostolica Auctoritate convalidando, aliosque eiusdem defectus integraliter sanando, ex speciali gratia admitti concessit. Et ita etc.

C.

⁷ Nuntius Varsaviensis tunc temporis saepe saepius commorabatur Dresdae, apud Aulam Regis Poloniae Federici Augusti III, de familia saxonica, qui saepe in Saxonia manebat.

PROCESSUS INFORMATIVUS

Super vita, moribus, idoneitate caeterisque requisitis Ill. mi et Rev. mi Domini D. Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocen. etc. Ritus Graeci Unitorum. transfereendi (si Sanctissimo Domino Nostro placuerit) ad supplicationem Ser. mi Regis Poloniae ad metropolitanam Cathedralē Ecclesiam Kiioviensem et Haliciensem, vacantem per obitum Ill. mi et Rev. mi Domini D. Athanasii Szeptycki, ultimi et immediati, dum viveret, Metropolitanani et Possessoris Ecclesiarum Catholicarum Kyovien. et Halicien., nec non super statu eiusdem Ecclesiae Cathedralis Kiiovien. et Halicien., coram Perillustri R. mo D. Andrea Vincentio Butio, Prothonotario Apostolico, Curiae Ill. mi ac Rev. mi Domini D. Alberici de Archinto, Archiepiscopi Nicaeni et Nuntii Apostolici in Poloniae Regno, Generali Causarum Auditore, vigore commissionis sibi a praefato Ill. mo et Rev. mo D. Nuntio Apostolico in Regno Poloniae datae compilatus.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Jesu Chrsti millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, Indictione Romana XI, die vero vigesima mensis Maii, Pontificatus autem SS. mi D. ni N. ri Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIV, anno octavo.

Varsaviae

Coram Per. ill. ri Rev. mo D. no D. Andrea Vincentio Butio, Prothonotario Apostolico, Curiae Ill. mi ac Rev. mi D. ni D. Alberici de Archinto, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopi Nicaeni, SS. mi D. ni N. ri D. Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIV, Praelati Domestici et Assistentis eiusdemque et S. Sedis Apostolicae in Regno Poloniae etc. Magno Ducatu Lithuaniae cum facultatibus Legati de latere Nuntii, Generali Causarum Auditore, uti a supradicto Ill. mo et Rev. mo D. Nuntio Apostolico ad infrascripta Commissario deputato, comparens personaliter Gen. sus Dominus Jacobus Josephus Czulski, S. R. Majestatis Secretarius, uti et tamquam Ill. mi et Rev. mi D. Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocensis Ritus Graeci Uniti Mandatarius et Plenipotens, exposuit qualiter Ser. mus Rex Poloniae decreverit supplicare et supplicaverit Sanctissimo Domino Nostro Papae pro translatione dicti Ill. mi et Rev. mi D. Hrebnicki ad Ecclesiam Metropolitanam Kiiovien. et Halicien, vacantem per obitum Ill. mi Domini Athanasii Szeptycki, Metropolitanae defuncti ipsius Ecclesiae Kiiovien. et Halicien., ultimi et immediati possessoris. Ideoque, qua decet reverentia instet apud Dominationem Suam Perillustrem et Rev. mam, ut Processus Inquisitionis super vita, moribus et idoneitate aliisque requisitis eiusdem Ill. mi et Rev. mi D. Floriani Hrebnicki, et super statu Ecclesiae Kiiovien et Halicien formare dignaretur, iuxta S. Concilii Tridentini Decreta et Coostitutionem fel. rec. Gregorii XIV, ad hoc, ut Sua Sanctitas de omnibus et singulis bene informata possit et valeat, pro sua pietate et zelo, circa optimum dictae Ecclesiae statum totiusque Cleri et populi commodum et utilitatem consultius et utilius prospicere et providere, omni etc.

Qui Perillustris et Rev. mus D. Andreas Vincentius Butius, Prothonotarius Apostolicus et causarum Curiae praelibati Ill. mi et Rev. mi D. Nuntii Apostolici publicus Auditor et Commissarius supradictus, inhaerendo Literis Commissionis ab eodem Nun-

tio Apostolico in sui personam sub die 28 mensis Novembris anni 1746 emanatis, petitionem huiusmodi et praedictae rationi consonam admisit et dictum Processum confici, iuramenta et depositiones Testium per Dominationem Suam Perillustrem ac Rev. mam ex officio vocandorum, et super interrogatoriis solitis examinandorum recepi caeteraque omnia necessaria et opportuna fieri et per se Notarium et Vicecancellarium infrascriptum rogari ac omnia et singula in publicam formam et in publicum Instrumentum et documentum redigi mandavit, ut ita redacta suis loco et tempore ad praefatum SS. mum D. num N. rum Papam transmitti valeant.

COMMISSIONIS, de qua supra praedicta mentio, tenor talis, ut sequitur:

Albericus Archinto, Dei et Ap.licae Sedis gratia Archiepiscopus Nicaenus, SS. mi D. ni N. ri D. Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIV, Praelatus Domesticus et Assistens, eiusdemque et S. Sedis Ap.licae in Regno Poloniae et M. D. Lithuaniae cum facultatibus Legati de latere Nuntius. Dilecto nobis in Christo Perillustri Rev. mo D. Andreae Vincentio Butio, Prothonotario Apostolico et Curiae nostrae Generali Causarum Auditori et Judici, salutem in Domino sempiternam. Cum nos ex hac civitate Varsaviensi (ubi Tribunal nostrum Apostolicum cum omnibus illius ministris pro recurrentibus maiori commoditate relinquimus) in Saxoniā ad assistendum Ser. mo Augusto Tertio, Regi Poloniae, proficisci necesse habeamus,⁸ et ibi in civitate Dresdensi per aliquod tempus permansuri simus, possit autem contingere quod stante nostra absentia ab hac civitate Varsaviensi aliqui Episcopatus seu Suffraganeatus vacaturi sint, proinde commoditati Ecclesiarum, quantum cum Domino possumus, consulere ne diutius Pastoribus destitutae aliquibus exponantur incommodis sive detrimentis obviare cupientes, confisi zelo, prudentiae, et probitati Perillustri Rev. mae Dominationis Vestrae, eidem tenore praesentium facultatem concedimus, quoscumque Processus tam quoad qualitates personarum ad Episcopatus seu Suffraganeatus quatenus vacaturos promovendarum seu proponendarum, quam quoad statum ipsarum Ecclesiarum quatenus vacaturarum compilandi, Testes quoslibet sibi bene visos, quoties occasio seu necessitas postulaverit, coram se vocari faciendi, et delato eis opportuno ac necessario iuramento, illos autoritate nostra imo verius Apostolica districte ac diligenter examinandi super articulis seu interrogatoriis consuetis, qualitates personarum sive ad Episcopatus sive ad Suffraganeatus quatenus vocaturos promovendarum seu proponendarum, statumque ipsarum Ecclesiarum Cathedralium et Episcopatum quatenus vacaturorum respicientibus, nec non professionem fidei a DD. Promovendis seu proponendis recipiendi ac alia circa praescripta quomodocumque necessaria et opportuna faciendi, quae nos ipsi facere possemus seu deberemus, si praesentes interessemus, servata tamen in omnibus forma SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum, a Summis Pontificibus, praesertim Gregorio XIV et Urbano VIII, hac super re editarum, ad quem effectum Perillustri Rev. mae Dominationi Vestrae facultates omnes necessarias et opportunas tenore praesentium concedimus atque impertimur. In quorum fidem. Datum Varsaviae, die vigesima octava mensis Novembris, anno Domini Millesimo septingentesimo quadragesimo sexto.

⁸ Federicus Augustus III, Saxo (1733-1763). Cfr. notam praecedentem.

(Locus sigilli Ill.mi et Rev.mi D.Nuntii
Ap.lici)

A. Archiepiscopus Nicaenus, Nuntius
Apostolicus (mp).

Stephanus Skwarczynski, Cancellarius
(mp).

Sequuntur Interrogatoria data per eundem Perillustrem Rev.mum D.Andream, Generale Vicesgerentem ac Commissarium deputatum.

An testis cognoscat Ill.mum et Rev.mum Dominum Florianum Hrebnicki, Archiepiscopum Polocen. Ritus Graeci Unitorum, ut supra, transferendum, quomodo, a quanto tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus, aut odiosus.

An sciat ipsum munus consecrationis suscepisse et quae sit causa scientiae.

An sciat per quot annos praesit Archiepiscopus Polocensis, et quae sit causa scientiae.

An sciat eum in sua Dioecesi Polocensi assidue residere, et quae sit causa scientiae.

An sciat eum diligenter et saepe dictam suam Polocensem Ecclesiam et Dioecesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse, et providisse, eius Decreta et Mandata debitae executioni demandari curasse, et quae sit causa scien.

An sciat eum saepe solemniter celebrasse, Ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse, Confirmationis Sacramentum ministrasse, caeteraque Pontificalia exercuisse, et quae s.c.sc.

An sciat eum pietatis, charitatis, et prudentiae in gubernando specimen dedisse et verbo ac exemplo profecisse, et quae s.c.s.

An sciat eum prudenter ubilibet, et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, protegendis jurisdictionibus, spirituali et temporali, iuribus et bonis omnibus suarum Ecclesiarum, et quae sit causa scientiae.

An sciat vere ea doctrina ipsum ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et q.s.c.s.

An sciat quod idem Ill.mus Transferendus adimpleverit omnia Decreta quae in Bullis suae Provisionis fuerunt iniuncta, et an Sacrarium sacra suppellectili sufficienter instruxerit, vel Ecclesiae Cathedralis vel Domus Episcopalis reparationibus pro viribus incubuerit, aut Praebendam Theologalem seu Poenitentiarum vel Seminarium instituerit, Montemque Pietatis erigi curaverit, et quae sit causa scientiae.

An sciat, quod eo tempore, quo Ecclesiae a qua est transferendus, praefuit, toties quoties debuit, visitaverit limina SS.Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, ad formam Constitutionis rec. mem. Sixti Papae V, Anno 1585, XV Cal. Januarii, Pontificatus sui anno primo editae, et quae sit causa scientiae.

An dignum eum existimet, qui transferatur ad Ecclesiam Metropolitanam Kiovien et Alicien, et an censeat eius translationem ipsi Metropolitanae Ecclesiae utilem et proficuum fore et quare ita censeat ac existimet.

Interrogatoria super statu Ecclesiae Kiovien et Halicien. (*Omissa*).

Die vigesima Mali 1748.

Examinatus fuit per Peril.rem Rev.mum Dominum Auditorem Generalem, Vicesgerentem ac Commisarium deputatum supradictum, in camera solitae audientiae suae,

Adm. Rev.dus ac Rel.us Pater Caesarius Stebnouski,⁹ S. Th .D., Provinciae Lithuaniae Consultor, Monasterii Zyroviciensis Superior, Ordinis S. Basilii Magni, aetatis suae annorum quadraginta, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Daminationis Suae Rev.mae tactis etc. iuravit etc. et ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Ill.mi et Rev.mi Domini Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocen. Ritus Graeci Uniti, transferendi (si SS.mo D.no N.ro placuerit) ad Ecclesiam Metropolitanam Kiioviensem, et Hali-ciensem dixit et deposuit, prout infra, videlicet:

Ad 1-um; R.t: Cognosco Ill.mum ac Rev.mum Dominum Florianum Hrebnicki, Archiepiscopum Polocen. Ritus Graeci Uniti, a duodecem annis circiter, et dicto tempore frequenter habui occasionem conversandi cum ipso. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, non nimum familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.

Ad 2-um: R.t: Scio ipsum consecrationis munus de anno 1716 in mense Martii, ni fallor, accepisse a p.m. olim Leone Kiszka, Metropolitanano Russiae, cum viderim Instrumentum consecrationis ipsius et legerim illud, et etiam ex publica voce et fama.

Ad 3-um:R.t: Scio ipsum ab anno 1716 esse Archiepiscopum Polocen; assumptus enim fuit ad dictam Dignitatem ex Superioratu Vilnen Ordinis nostri,¹⁰ et mihi constat, ut supra dixi, ex Instrumento ipsius consecrationis, et ex relatione aliorum Religiosorum Ordinis nostri.

Ad 4-um: R.t: Scio ipsum ante discessum ad Urbem et a reditu suo ex Urbe continuo residere in sua Archidioecesi Polocensi, cum toties habuerim epistolas ab ipso ex locis suae Archidioec.

Ad 5-um:R.t: Scio ipsum suam Archidioecesim Polocen. saepe per suos Vicarios Generales vix non quolibet anno visitasse, et credo ipsum opportune omnibus necessitatibus suae Dioecesis occurrisse et providisse, et Decreta et Mandata sua debite executioni demandari curasse, cum audiverim de ipsis ex relationibus ipsorum Vicariorum Generalium, qui dictam Dioecesim visitabant.

Ad 6-um: R.t: Vidi ipsum saepe solemniter celebrasse, et eidem aliquoties ipsemet assistebam celebranti, et vidi ipsum conferentem Sacros Ordines, et anno praesenti in monasterio Zyroviciensi, ubi ergo sum Superior, Ordinationis munus peragebat. Confirmationis vero Sacramentum in Ritu nostro solet conferri a Presbyteris circa Baptisma infantium, adeoque ipsum Sacramentum non contulit, alia vero officia Episcopalia credo ipsum exercuisse, cum ipse sit Episcopus optimus et libenter exercet munia pontificalia, et cum fuerim ab aliquod annis Polociae, vidi ipsum in Maiori Hebdomada omnes functiones de die in diem celebrasse.

Ad 7-um: R.t: Assero ipsum pium esse et charitativum ac in gubernando prudentiae specimina dedisse, cum a multis audiverim de istis, tum quoque assero

⁹ Caesarius Stebnovskyj, Basilianus, Procurator Generalis in Urbe (1740-1744). Dein, postquam varia obiit in Ordine munera, nominatus fuit Archiepiscopus Smolenscensis (1756-1762).

¹⁰ Non constat ex documento biographico nr. II; cfr. supra; e contra, agitur fortasse de Superioratu Vitebscensi.

ipsum verbo et exemplo profecisse, quod mihi ex conversatione cum ipso toties habita constat, et etiam ex publica voce et fama.

- Ad 8-um: R.t: Scio ipsum prudenter et diligenter ubilibet se gessisse in defendendis, conservandis, protegendisque iurisdictionibus spirituali et temporali, iuribus, et bonis Ecclesiae suae Polocen, et aliarum, cum ipse recuperaverit bona Mensae suae vocitata Naulicze, Laka et Papin, ex manibus saecularium personarum, sustinendo magnam litem cum sumptu mirabilissimo, vi Tribunali Magni Ducatus Lithuaniae, tum etiam litem in Urbe non parvo tempore sustinere debuit cum PP. Societatis Jesu, Collegii Polocen., super vindicatione bonorum Mensae suae Archiepiscopalis Polocen., et haec mihi constant ex particulari mea notitia, et etiam quod mea opera in istis negotiis usus fuerit in Urbe, dum ibi essem.
- Ad 9-um: R.t: Scio eum ad praesens ea doctrina pollere, quae in Episcopo requiritur, ut possit alios docere, ex conversatione cum ipso habita possum iudicare, quod sit vir summae prudentiae, et magni ingenii, et doctissimus, et audivi etiam ab aliis, qui conversati fuerunt cum ipso, magnas depraedicationes eius ingenii et prudentiae, et magnae existimationis apud Magnates huius Regni et Magni Ducatus Lithuaniae esse.
- Ad 10-um: R.t: Scio ipsum visitasse in persona limina SS. Apostolorum de Urbe semel.¹¹ Credo tamen per alias personas saepius id fecisse cum ipse sit diligens et exactus in suis officiis et muniis.
- Ad 11-um: R.t: Credo quod adimpleverit ea omnia, quae ipsi in Bullis suae Provisionis iniuncta fuerint; Sacrarium sacra suppellectili sufficienter instruxit, ut ego vidi. Reparationi Ecclesiae Cathedr. Polocen actu incumbit, et brevi ipsam finiet, prout vidi, Domum Episcopalem non habet circa Ecclesiam Cathedralis, habet tamen illam in districtu unius millaris ab eadem Ecclesia Cathedr. sua, quae non indiget reparatione, cum toties fuerim in eadem domo apud ipsum et vidi. Praebenda Theologalis et Poenitentiarum non est in usu in Ritu nostro, sed in Cathedralibus per illas personas, quae circa Ecclesias Cathedralis resident, solet munus praedicationis et poenitentiarum expleri. Montis Pietatis usum in Ritu nostro non est, Seminarium non est, audivi tamen ab ipsomet, quod habeat intentionem erigendi illud in dicta Dioecesi Polocensi.
- Ad 12-um: R.t: Ex quo ipsum ex conversatione noscam virum summae prudentiae et magni ingenii ac optimum Episcopum et zelosum pro iuribus Ecclesiae, et optima existimationis apud omnes esse, censeo ipsum dignum, ut ad Ecclesiam Metropolitanam Kiiovien. et Halicien. transferetur, et credo hanc translationem ipsius supradictae Ecclesiae Metropolitanae summe utilem et proficuum futuram esse.

Deinde ventum fuit ad Interrogationes super Statu Ecclesiae Kiioviensis et Haliciens (omissa).

Et tunc, finito examine, supradictus Perillustris Rev.mus D. Auditor Generalis, Vicesgesens ac Commissarius deputatus, Testem licentiavit ac dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscriberet, prout fecit, ut sequitur:

¹¹ Episcopi uniti, excepto Metropolita Kioviensi, non tenebantur visitandi limina Apostolorum. Ann. 1727-1730 Hrebnycky commorabatur Romae in Causa bonorum suae Archiepiscopalis, quae Causa et lis Romae agitabantur cum PP. Soc. Jesu Collegii Polocensis.

Ita deposui pro veritate ego Caesarius Stebnouski, Ordinis S. Basilii Magni, S. Th. D., Provinciae Lithuanae Consultor, Superior Zyroviciensis (mp).

Die vigesima prima Maii 1748.

Examinatus fuit per eundem Perillustrem et Rev.mum Dominum, quem supra et ubi supra, Adm. Rev.dus P. Maximillianus Rylo,¹² S. Th. D., Procurator Generalis Ordinis S. Basilii Magni, aetatis suae annorum 28 circiter, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus, et per Dominationem Suam Perillustrem et Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout in manibus Dominationis Suae Rev.mae factis etc. iuravit etc. et ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis Ill.mi et Rev.mi Domini Floriani Hrebnycki Archiepiscopi Polocen. Ritus Graeci Uniti, transferendi (si Ss.mo D.no Nro. placuerit) ad Ecclesiam Metropolitanam Kiovien. et Halicien. dixit et deposuit, prout infra, vide licet:

- Ad 1-um: R.t: Cognosco Ill.mum et Rev.mum D. Florianum Hrebnycki Archiepiscopum Polocen. Ritus Rutheni Unitorum, a sexdecim circiter annis, et frequenter sum conversatus cum ipso. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, non nimium familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.
- Ad 2-um: R.t: Mihi constat ipsum munus consecrationis suscepisse a p. me. olim Ill.mo Leone Kiszka, Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, et hoc mihi constat ex relatione Religiosorum Ordinis nostri, qui praesentes pro tunc huic actui consecrationis erant.
- Ad 3-um: R.t: Scio ipsum esse Archiepiscopum Polocen. ab annis 28 circiter, et haec mihi constant ex relatione variorum actorum Ordinis nostri.
- Ad 4-um: R.t: Scio ipsum assidue residere in sua Dioecesi Polocen., cum saepius solebam apud ipsum esse, nisi aliquando exigentibus negotiis debuit se absentare.
- Ad 5-um: R.t: Antea, dum non esset gravatus aetate, ipsemet solebat suam Dioecesim visitare, nunc autem solet per suos Vicarios Generales eam visitare, et scio oportune omnibus necessitatibus Ecclesiarum et Dioecesis occurrere, et providisse, et Decreta et Mandata sua debitae executioni demandari curasse, et haec mihi constant partim ex visu, partim ex relationibus variarum personarum, et etiam ex lectura et visura variarum ipsius dispositionum.
- Ad 6-um: R.t: Vidi ipsum saepissime celebrantem solemniter, et Ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse, Confirmationis vero Sacramentum non ministrasse, cum in Ritu nostro hoc Sacramentum Confirmationis confertur a Presbyteris circa collaturam Baptismi infantibus; vidi quoque aliquoties ipsum Ecclesias consecrasset, et ipse huic caerimoniae aliquoties astiti, et caetera pontificalia solebam videre exercentem.
- Ad 7-um: R.t: Scio ipsum pietatis, charitatis, et prudentiae in gubernando specimina dedisse, cum ipsum noscam ex conversatione satis pium et charitativum, et opti-

¹² Basilianus, Alumnus romanus, tunc temporis Procurator negotiorum Ordinis Basiliani Varsaviae. Dein Episcopus Chelmensis (1759-1785), et demum Peremyshliensis (1785-1793). Cfr. J. СЮМА, *Maximilianus Rylo - Episcopus Chelmensis et Peremyshliensis*, Romae 1953, sumptibus « *Analectorum OSBM* ».

num Episcopum, ac summae prudentiae et ingenii, quod ipsemet saepius apud ipsum existendo expertus sum; vidi et audivi ipsum populum in mysteriis fidei instrumentem, et concionantem etiam in Ecclesia audivi, et ipse solebat horis matutinis una cum aliis Religiosis Ordinis nostri interesse, ut vidi manendo in nostro monasterio Polocensi.

- Ad 8-um: R.t: Scio ipsum cum omni prudentia ubilibet se gessisse, in conservandis, protegendis iurisdictionibus spirituali, et temporali iuribus et bonis suae Dioecesis et Ecclesiarum, cum ipse vindicaverit cum magno sumptu bona Mensae Archiepiscopalis Polocensis Narolicze et alia, a personis saecularibus, in tribunali Supremo Magni Ducatus Lithuaniae, ac etiam strenue defendebat Jura suae Dioecesis ab aliis Coepiscopis, et haec mihi ex particulari mea scientia nota sunt.
- Ad 9-um: R.t: Scio ipsum vere ea doctrina pollere, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut alios possit docere, cum ipse sit summae prudentiae et ingenii, et est in Universitate Vilmensi Laurea Doctoratus in S. Theologia insignitus, et solebat in actibus publicis me defendente Theses theologicas oppugnare, et in aliis discursibus et materiis pro occurrentia audivi ipsum cum summa prudentia et maturitate ingenii loquentem cum approbatione et plausu omnium, audivi a variis personis bona et eximia elogia ipsius prudentiae et ingenii.
- Ad 10-um: R.t: De visitatione liminum SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe non mihi constat; audivi tamen, quod ipse fuerit in Urbe semel occasione litis cum PP. Societatis Jesu Collegii Polocensis.
- Ad 11-um: R.t: Credo ipsum Decreta, si quae fuerunt iniuncta ipsi in Bullis suae Provisionis, adimplevisse, cum ipsum noscam virum probum, et optimum ac zelosum Episcopum. Vidi egomet ipse Sacrarium satis sufficienter instructum sacra suppellectili ad divinum cultum necessaria, et etiam ad exercenda Pontificalia, cum ipse summopere amet decorem et munditiam Ecclesiae. Vidi Ecclesiam Cathedrali Polocensem per Moschos destructam cum notabili sumptu ex muro restaurasse, et credo quod hoc anno totum opus perficiet. Domum quoque pro Episcopi habitatione ligneam, satis amplam et commodam, ipse extruxit in bonis episcopalibus uno millari Italico distantem ab Ecclesia Cathedrali, in qua Ecclesia et Domo ego toties apud ipsum solebam esse sub tempus residentiae meae in monasterio nostro Polocensi Ord. nostri, quattuor interpolatim annorum, et intra hoc tempus uno anno eram in munere Praedicatoris in dicta Ecclesia Cathedrali Polocen.; Praebendae Theologalis et Poenitentiariae in Ritu nostro non est usus. Verum munus lectionis S. Scripturae et poenitentiariae solet exerceri aut per Religiosos Ordinis nostri, qui, ut plurimum, solent esse circa Cathedrali Ecclesias, aut per alias personas ecclesiasticas, quas Episcopi pro suo arbitrio in suis Ecclesiis Cathedralibus deputare solent. Seminarium non est in ista Dioecesi, ipse tamen habet intentionem optimam aedificandi et instituendi illud, postquam bono exitu finiverit litem cum PP. Soc. Jesu Collegii Polocen., possidentibus bona Ecclesiae Cathedralis Polocen., et etiam in maiori parte bona Mensae Archiepiscopalis, et haec mihi constant ex particulari notitia, quam sumpsit habitando in illo monasterio Polocensi Ordinis nostri quattuor circiter annis.

Ad 12-um: R.t: Ex supradictis radionibus per me existimo ipsum dignum, qui transferatur ad Ecclesiam Metropolitanam Kiiovien. et Halicien, et censeo eius translationem ipsi Ecclesiae Metropolitanae summe utilem et proficuum fore.

Deinde ventum fuit ad Interrogationes super statu Ecclesiae Metropolitanae Kiiovien. et Halicien. (*omissa*)

Et tunc, finito examine, supradictus Perillustris Rev.mus D. Auditor Generalis, Vicesgerens ac Commissarius, testem licentiavit ac dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscriberet, quod fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Maximilianus Rylo, Ordinis D. Basilii Magni, S. Th. D., Procurator Generalis in S. Nuntiatura et Curia Ser.mi Regis Poloniarum (mp).

Die vigesima quarta Maii 1748.

Examinatus fuit per Perillustrem Rev.mum Dominum, quem supra, et ubi supra, Perillustris Adm.Rev.dus Ignatius Massalski,¹³ Ecclesiarum Cathedr. Vilnen et insignis Collegiatae Varsavien Canonicus, aetatis suae annorum 29 circiter, prout asseruit, et ex aspectu eius apparebat, Testis ex officio vocatus et per Dominationem Suam Perillustrem ac Rev.mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda prout in manibus Dominationis Suae Perillustris ac Rev.mae tactis etc. iuravit et ad opportunas interrogationes super idoneitate et caeteris requisitis Ill.mi et Rev.mi Domini Floriani Hrebnycki, Archiepiscopi Polocen. Ritus Rutheni Unitorum, transferendi (si SS.mo D.no N.ro placuerit) ad Ecclesiam Metropolitanam Kiiovien. et Halicien., dixit et deposuit prout infra, videlicet:

Ad 1-um: R.t: Cognosco Ill.mum et Rev.mum Dominum Floriarum Hrebnycki, Archiepiscopum Polocen. Ritus Rutheni Unitorum, a quinque circiter annis, et sum conversatus cum ipso. Non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nec nimium familiaris, inimicus, aemulus, nec odiosus.

Ad 2-um: R.t: Audivi ex publica fama ipsum suscepisse munus consecrationis, in fallor, a p. me. olim Leone Kiszka, Metropolitano totius Russiae.

Ad 3-um: R.t: Audivi ex publica fama, quod ipse sit Archiepiscopus Polocensis, iam a triginta circiter annis.

Ad 4-um: R.t: Audivi ab aliis personis quod ipse, ut plurimum, in sua Dioecesi residet.

Ad 5-um: R.t: Credo quod ipse visitationem Ecclesiae et Dioecesis Polocensis per suos Vicarios Generales, quos habet, perspicere soleat, cum audivi quod ipse sit diligens in exequendo suo munere et laudabatur satis coram me.

Ad 6-um: R.t: Credo ipsum solemniter celebrasse, Ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse, caeteraque Pontificalia exercuisse, cum audiverim de ipsius pietate et diligentia in exercendo suo munere episcopali. Confirmationis vero Sacramentum in Ritu Rutheno solet ministrari per Presbyteros circa Baptismum infantibus collatum.

Ad 7-um: R.t: Credo ipsum pietatis et charitatis ac prudentiae in gubernando specimen dedisse, ac verbo et exemplo profecisse, cum audiverim de ipsius prudentia et charitate, et quod sit vir satis compositus in suis moribus.

¹³ Ignatius Jacobus Massalski, primum Coadiutor et dein Episcopus Vilnensis (1762-1794). Obit die 28. VI. 1794.

Ad 8-um: R.t: Publica fama est de ipso, quod sit diligens in protegendis, defendendis, ac conservandis iuribus Ecclesiae et Dioecesis; audivi, quod in Tribunali Supremo Magni Ducatus Lithuaniae bona aliqua ad Mensam Archiepiscopalem Polocensem spectantia a saecularibus personis vindicaverit.

Ad 9-um: R.t: Credo ipsum ea doctrina pollere, quae requiritur in Episcopo ad hoc, ut possit etiam alios docere, cum audiverim de ipsius prudentia et probitate.

Ad 10-um: R.t: Audivi solummodo, quod ipse fuerit in Urbe, et ibi morabatur per annos sex, occasione litis cum Collegio Polocen. PP. Societatis Jesu; utrum autem visitaverit limina SS. Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, toties quoties debuit, non mihi constat.¹⁴

Ad 11-um R.t: Ex antedictis credo ipsum adimplevisse Decreta, si quae fuerunt ipsi iniuncta in Bullis suae Provisionis, et quod Sacrarium sufficienter instruxerit. Audivi autem ab iis personis, quae Polociae morabantur, quod ipse Ecclesiam Cathedralis Polocen, reaedificaverit et actu adhuc continuat, de reliquis in hoc interrogatorio expressis non mihi constat.

Ad 12-um: R.t: Ex antedictis credo ipsum dignum qui transferatur ad Ecclesiam Metropolitanam Kiiovien, et Halicien; et credo eius translationem esse utilem et proficuum futuram eidem Ecclesiae Kiovien. et Halicien. ac Dioecesibus.

Deinde ventum fuit ad Interrogatoria super statu Ecclesiae (Kiiovien et Halicien) et Dioecesis Metropolitanae (*omissa*).

Et tunc, finito examine, supradictus Perillustris Rev.mus D. Auditor Generalis, Vicesgerens ac Commissarius, Testem licentiavit ac dimisit, iniuncto ipsi, ut se prius suae depositioni subscriberet, quod fecit, ut sequitur:

Ita deposui pro veritate ego Ignatius Casimirus Massalski, Canonicus Vilnen. et Varsavien.

Supradictis testibus plenam fidem adhibendam esse censeo et de transferendo bene iudico, et in fidem...

Andreas Vincentius Butius, Protonotarius Apostolicus, Causarum Curiae Ill.mi et Rev.mi D.ni Alberici Archinto, Archiepiscopi Nicaeni, Nuntii Apostolici in Regno Poloniae, Auditor Generalis et Vicesgerens ad praemissa Delegatus Commissarius (mp).

Quibus omnibus et singulis, ut supra, gestis ex parte Ill.mi et Rev.mi D. Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocen Ritus Rutheni Unitorum, petitum fuit ut supradictus Processus seu illius copia in forma authentica extraderentur et sigillo munita consignaretur ad effectum ad praefatum Ill.mum et Rev.mum D. Nuntium Apostolicum, uti committentem, ac demum ad Almam Urbem transmittendi. Omni etc.

Quocirca supramemoratus Perillustris Rev.mus D. Andreas Vincentius Butius, Prothonotarius Apostolicus, Curiae prelibati Ill.mi et Rev.mi D. Nuntii Apostolici in Regno Poloniae Gen. Auditor et Vicesgerens atque Commissarius delegatus, Processum clausum et sigillatum, seu verius copiam illius in publica et authentica forma conceden. et extraden. esse duxit autoritate sibi delegata, decernendo praedictis omnibus et singulis tamquam legitime gestis ubique locorum plenariam et indubitam fidem ab omnibus et singulis in iudicio et extra adhibendam esse. In quorum prae-

¹⁴ Non tenebatur obligatione visitandi limina Apostolorum. Cfr. supra, nota 11.

missorum fidem et testimonium praesentes manu propria et mei infrascripti Notarii et Vicecancellarii subscriptas sigillo alte memorati Ill.mi et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici communiri mandavit. Datum Varsaviae, die 25 Maii 1748.

Andreas Vincentius Butius, Prothonotarius Apostolicus, Commissarius Delegatus.

Et quia ego Petrus Jastrzemski, Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius, et Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae Vicecancellarius, memoratae Inquisitioni et Testium examini per eundem Perillustrum et Rev.mum D. Andream Vincentium Butium, Prothonotarium Apostolicum, Curiae Ill.mi et Rev.mi D. Alberti Archinto Archiepiscopi Nicaeni Nuntii Apostolici in Regno Poloniae Generalem Causarum Auditorem et Judicem, habitae et receptae personaliter requisitus interfui, nec non iuramenta Testium praenominatorum solemniter fieri vidi, et audivi, eorumque dicta in hoc scripto fideliter redeggi, idcirco hoc examen et totum hoc Inquisitionis Processum sigillo praelibati Ill.mi et Rev.mi D. Nuntii Apostolici communitum ac propria manu dicti Perillustris et Rev.mi D. Commissarii delegati signatum subscripsi, signoque mei Notariatus publici pariter signavi. Actum Varsaviae, hac die vigesima quinta mensis Maii, Anno Domini millesimo septingentesimo quadragésimo ostavo.

Petrus Jastrzemski, Publicus S.a Autoritate Ap.lica

(L. S.)

Notarius et Nuntiaturae Apostolicae supradictae Vicecancel.

**EPISTOLAE FLORIANI HREBNEYKYJ
ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS, METROPOLITAE KIOVIENSIS
(1748—1762)**

1.

Roma, 1727.

Hrebnyckyj, Romae commoratus in negotiis Ecclesiae suae, petit, ut confirmetur in Coadiutoria Kioviensi.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 68, f. 320-321.

Emin.mi, et Rev.mi Domini.

Cum placuerit Ill.mo, et Rev.mo Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae usque sub die 4 Februarii superioris anni Archiepiscopum Polocensem, devotum EE. VV. Oratorem, in dicti Archiepiscopatus Metropolitanus totius Russiae Coadiutorem cum futura successione nominare, et eligere,¹ praevia tamen S. Sedis Apostolicae approbatione ab ipso obtinenda, ex causis expressis in dicta nominatione, alias in Secretaria huius Sacrae Congregationis originaliter exhibita, cuius copia datur annexa, et ad hunc praecisum effectum successive scripserit ad Eminentissimum et Rev.mum D. Cardinalem Praefectum huius Sacrae Congregationis per epistolam sub datum 22. 8bris 1726, cuius copia pariter datur annexa, in qua Sacram hanc Congregationem, ut singularem Ruthenorum cum S. R. E. unitorum protectricem enixis votis supplicat, ut apud SS.mum se interponere dignaretur pro habendo assensu supradictae electioni (f. 320v) ab ipso factae pro maiori bono publico, ac incremento S. Unionis.

In hoc rerum statu accepta nuperrime notitia per Archiepiscopum Polocensem, devotum EE. VV. Oratorem, adhuc in Urbe commorantem pro urgentiis eius Dioecesis Polocen., et pro augumento Ritus Graeci uniti, ad effectum excitandi, et alligandi Rebelles schismaticos ad Sanctam Unionem amplectendam, quod praefatus Archiepiscopus Metropolitanus tactus fuerit accidenti apoplectico, et in medietate corporis impeditus remanserit, incapax providendi gregi sibi commisso, humiliter recurrit ad hanc S. Congregationem, quatenus annuendo votis, et supplicationibus, uniusque nempe dicti Rev.mi Metropolitanus, et ipsius Oratoris, dignetur edere Decretum pro confirmatione dictae electionis, a praefecto Metropolitano factae, stante praesentanea maxima necessitate, nam in casu vacationis d. Sedis Metropolitanae iam per Synodum provincialem Ruthenorum, celebratam de anno (f. 321) 1720, nuper de anno

¹ Cfr. sub dat. 4. II. 1726, in *Epistolis Leonis Kiszka*; cfr. supra, pag. 132.

1724, sub auspiciis Eminentissimi Regnantis impressam, et approbatam, sub titulo de Metropolitano satis provisum est, gubernium tam quoad spiritualia, quam quod temporalia spectare debere Archiepiscopo Polocensi, tamquam viciniore, quousque a S.Sede Administrator constituatur, sed in statu praesenti, stante dicta tam gravi infirmitate, ac virium debilitate dicti Rev.mi Metropolitanani, cum ipse non possit amplius dictam Metropolim sufficienter regere, omnino providendum videtur, mediante supradicto decreto confirmationis in personam Oratoris, ut possit succurrere, tam in spiritualibus, quam in temporalibus statui illius Dioecesis, cum maius malum, et periculum timendum sit modo vivente praefecto Metropolitano in tam gravi infirmitate, quam si vacasset per eius obitum ipsa Sedes Metropolitana, cuius regimen vigore Synodalis Constitutionis statim assumitur a viciniore Archiepiscopo Polocen., ex quibus rationibus, eximiae prudentiae EE. VV. insinuat, et solita huius S. Congregationis benignitate ponderatis in omnibus exaudiri confidunt, tam dictus Archiepiscopus Metropolitanus, quam Archiepiscopus Polocen., Orator, post iterum, atque iterum enixis deprecantur.²

2.

Polock, 4 . XI . 1738.

Transmittit libellum supplicem.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 240.

Eminentissime et Rnd.me Domine, Domine et Benefactor Singularissime.
 Confisus pristinae gratiae et singularissimae Protectioni Eminentiae Vestrae, sub tempus Residentiae meae Romae, nunc quoque in desideriis animarum Archidioecesis meae, in annexo supplici libello expositis, ad eandem humillime recurro.³ Et infra amplexum pedum, ac Sacrarum Fimbriarum osculum, maneo
 Emin.tiae Vestrae D.ni et Benefactoris mei Singularissimi
 humillimus Servus et Exorator
 Fl. HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen.
 Poloniae, in Civitate Polocen. die 4. 9bris, anno 1738.

3.

Polock, 24 . V . 1740.

Exponit negotium Ecclesiae Mohiloviensis defendendae contra impetus non Unitorum narratque de eventibus et persecutionibus Ecclesiarum suarum.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 458-461v.

² Hanc supplicationem hic publici fecimus iuris, quia tunc temporis Archiepiscopus Polocensis Romae commorabatur, proindeque propria manu eam exaravit. Proinde considerari potest ut epistola manuscripta.

³ Fortasse agitur de quadam nova instantia in Causa Polocensi bonorum recuperandorum a Soc. Jesu.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini,
Domini et Benefactores Singularissimi.

Sacro Eminentiarum Vestrarum mandato, indefinita in Curia Romana lite mea cum PP. Soc. Iesu Collegij Polocen., Roma in anno 1730 expeditus eo fine,⁴ ut antiquissimis iuribus incorporatam Polocen. Cathedrae Mohilovien. Cathedrali in bonis Mensae Regiae adscriptis sitam, cum plurimis Parochialibus Ecclesiis per vim a Schismaticis occupatam, protunc post mortem ultimi pseudo Episcopi Schismatici Czetwertynski nuncupati vacantem,⁵ a deoccupatione novi intrusi Schismatici impedirem, et animas pretiosissimo Christi sanguine redemptas, schismaticum Pastorem caece sequentes, e venenosis pascuis ad Catholicum Christi Ovile exacta sollicitudine colligerem. Quanta animi alacritate, virium conatu, et indefesso studio haec iussa EE. VV. adimplebam, suppon... pridem EE. VV. innotuisse ab Illustrissimo, Excellentissimo et Reverendissimo Domino Paulucio, Archiepiscopo Iconiensi, in Regno Poloniae et M. D. Litt. SS.mi Domini Nostri et Sanctae Sedis Apostolicae pro tunc Nuntio, cuius autoritativa (: penes continuas a me transmissas informationes:) officia, prudentissima dexteritas et vere apostolicus zelus, apud Sanctae Memoriae Serenissimum Augustum II, Poloniarum Regem, tantum valuere, ut non solum missus e Moschovia pseudo-Episcopus Barlaam Berlo,⁶ Schismaticus, Mohilovien. gregem veneno nutriturus e Civitate Mohilovien. et ex limitibus hujus Regni sine mora cedere regiis (f. 458v) rescriptis fuerit coactus, verum nec ulli alteri Schismatico praefatam Ecclesiam, stante vita praeclaudati Serenissimi Regis, licuerit occupare. Quod lucrandis a Schismate ad Fidem Catholicam plurimum profuit animabus; multae enim Parochiales Ecclesiae etiam cum suis Parochiis, et ingens animarum numerus Sanctam Romanam Fidem in Rutheno Ritu per illud tempus amplexus est. Ast haec innuisse satis. Spero enim penes personale sanctae EE. VV. purpurae osculum plenam EE. VV. de moderno meae Dioecesis statu dare informationem. Nunc vero humillime ad plantas EE. VV. provolutus id solum expono, quod tam eiectione ex Regno praefati Berlo, quam conversio ad fidem plurimi populi, innatum Schismaticorum contra Unitos cum S. Romana Ecclesia Ruthenos odium adeo acuerunt, ut omni virium conatu tum mihi, tum meis nocere studuerint. Eousque tamen nil attentare ausi sunt, quousque non habuerunt pestiferum suae haeresis Assertorem e Moschovitico Imperio missum pseudo Praesulem Josephum Wolczanski,⁷ qui, exotico hoc in Regno subsistente Milite, non ita pridem in Regnum intravit, a Schismaticis inenarrabili tripudio in Civitatem Mohilovien. susceptus, illam Ecclesiam Cathedrali antiquis Regum diplomatibus, et Reipublicae Sancitis et Decretis Archiepiscopis Polocen. subiectam per vim rapuit, cursum Catholicae Missionis non parum impedivit, plebem Phocianis erroribus deditam contra Catholicos Ruthenos mirum in modum concitavit, et occasionibus (f. 459) virulentum exerendi livorem suum inhiavit. Cum ergo ego hunc apprime proficuum in convertenda rudissima plebe ne quidem rudimentorum fidei gnara modum elegerim,

⁴ Postquam spatio quatuor fere annorum Romae commorabatur, sed frustra (1727-1730).

⁵ Obiit anno 1727. Post eius obitum Sedes haec usque ad an. 1729 vacabat.

⁶ Arsenius Berlo (1729-1733). Ob oppositionem Regis Poloniae translatus ab Aula Moscovitica ad Sedem Perejaslaviensem in Ucraina, trans Borysthenem.

⁷ Josephus Wolčanskyj (1734-1745), dein translatus ad Metropoliā Moscoviensem (anno 1745).

quod scilicet haereditarios illorum Bonorum, in quibus schismatica devotione pollutae existebant Ecclesiae, Dominos, meis obsequiis, et continuis persuasionibus devincebam, ut demortuis schismaticis Parochis, non alios nisi catholicos ad curam Parochialem in suis bonis pro iure Patronatus praesentarent Presbyteros; quod a multis obtinui et pro non paucis Ecclesiis, de mea facultate reconciliatis, catholicos assignavi Parochos, quorum vocem incultissimus populus audiens, in ovile Petri placidissime intravit. Id summopere pupugit inhiantem inficiendis pestifera Schismatis lue animabus praefatum pseudo-Episcopum Wolczanski, quod ego anno praesenti 1740 apud Illustrissimum, Excellentissimum Dominum Comitem in Bychow Sapieha, Venatorem Magnum Magni Ducatus Lituaniae, tum productis antiquis iuribus et decretis a suis Antecessoribus haereditariis praefati Comitatus Bychovien. Dominis favore Unitorum cum S. R. E. Ruthenorum latis, decernentibus nullum posse in illo Comitatu habitare Schismaticum, nullam Ecclesiam per Schismaticos regendam in eodem Comitatu esse fundatam; tum interpositis ferventissimis mei ipsius precibus, tum autoritativis Excellentissimi et Reverendissimi Domini Josephi Comitum Sapieha, Episcopi Diocesarieni, Coadiutoris et Suffraganei Vilnen.,⁸ insignissimi Catholicae Fidei Promotoris (: qui ab ascensu suo ad gradum episcopalem, ex omnibus haereditariis suis Bonis Schisma penitus eradicavit:), germani fratris (f. 459v) praedicti Ill.mi Comitum, persuasionibus id evici, ut demortuis duobus Schismaticis pseudo Parochis, posito partim Regno partim Sapiehana Domo in variis calamitatibus, ad Ecclesias in praefato Comitatu, proxime a Civitate Mohiloviensi sito, per vim et fraudes Schismaticis intrusis insimul duae Ecclesiae Parochiales Daszkowcen. et Sidorowicen. Unitis adjudicarentur, et duo capacissimi iuvenes in Presbyteros per me ordinandi, et in Parochos praefatarum Ecclesiarum investiendi, ab ipso praelaudato Excellentissimo Comite fuerunt praesentati, et ad me missi; demandatum denique Gubernio Bychowien., ut eo temporis, quo investiti a me Parochi iuridicam concreditarum sibi Parochiarum et Ecclesiarum caperent passessionem, ne quid tumultus aut tergiversationis in rudissimis rusticis, in praefatis Daszkowka et Sidorowicze nuncupatis oppidis habitantibus, ab aliquo tempore in caeno schismaticae haeresis volutatis, exoriretur, praefatum Gubernium sero animadverteret et possessuros Beneficia Presbyteros omni meliori modo juvaret. His ita per haereditarium Dominum Excellentissimum in Bychow Comitem Sapieha anno praesenti sancitis, et a me quae muneris mei erant tum circa conferendos ordines, tum circa investituram praesentatis ad praefata curata beneficia dandam peractis easdem Daszkowien. et Sidorovicen. Ecclesias Schismaticis erroribus pollutas sine mora recontiliandas, et Investitorum a me Parochorum regimini tradendas Rn.do Domino Emiliano Klimontowicz, Decano Bychovien., Parocho Moszonacen., viro insignis prudentiae, exemplarissimae (f. 460) vitae, zelo propagandae Catholicae Fidei insigniter a Domino decorato (: quo tanquam aptissimo instrumento ad multas e Schismate revocandas animas pretiosissimo Christi Sanguine redemptas crebro utebar:) commisi. Parat se ad solertissimo animo mea exequenda mandata praedictus Decanus; et interim mea iussa innotescunt toties nominato pseudo Episcopo Mohilovien., qui antiquum suum contra me meosque prae-

⁸ Coadiutor cum futura successione ab an. 1737. Obiit die 4. XII. 1754, vivente adhuc Coadiuto, Michaële Zienkowicz (1730-1762).

conceptum exerens livorem, rudissimam plebem sublevat, fomentat, et in conspirationem conscribit; mittit ad Daszkowcen. et Sidorovicen. populum unum e suis Monachis, iubetque ut nulli pareatur curae, quousque plebs illa in promovendo pseudo Pastoris diabolico proposito obstinetur. Ille Monachus suis artibus tantum valuit in inculto rudissimorum animo, ut omnes penes damnatos Graecorum errores obstare, Catholicam Fidem et unitum cum S. Romana Ecclesia Parochum detestari, illumque contra expressam proprii haereditarii sui Domini dispositionem non acceptare coniaraverint. Latet haec conscriptio Bychovien. Gubernium et nostros. Commisso sibi perficiendo operi accingitur deputatus a me Decanus, et habita ex arce Bychovien. assistentia, die 25 Aprilis mox elapsi ad Oppidum dictum Doszkowka venit; ubi cum rebellis plebs tumultum inchoaverit, aliquotque ictus impia manu innocenti catholico Decano incusserit, opem Catholicis tulerunt adiuncti a Bychovien. Gubernio satellites, tumultum sedarunt, et obedire mandatis haereditarii Domini seditiosos Rusticos docuerunt; Decanus vero et Ecclesiam reconciliavit, et vigili curae investiti a me Parochi Parochiam Daszkowcen. tradidit et recommendavit. In crastinum (f. 460v), scilicet die 26 Aprilis, ad oppidum Sidorowicze cum eadem assistentia progreditur et parvo lintre cum solo vice Gubernatore Bychovien. et aliquot Officialibus Arcis Bychovien. transmeans fluvium Boristhenem, nullamque suspicatus strui seditionem alacriter, non expectatis satellitibus, versus Sidorowicze promovet gressum, devote se praeparans ad reconciliandam illam Ecclesiam et Sacrum Missae Sacrificium orthodoxo ritu in ea peragendum. Et ecce insperate a plebe schismatica (:cuius dux fomentator et antesignanus erat quidam Schismaticus Monachus a Mohilovien. intruso Episcopo hoc fine missus:) circumvenitur, violenter opprimitur, quatitur et crudelissime interficitur. Socii ejus nonnulli occisi nonnulli immanissime cesi, et vulnerati extiterunt. Ecclesia Sidorovicen. tam antiquis praefati Comitatus iuribus, quam recentissimo Excelsissimi Comitis Decreto Catholicis adiudicata in ulteriori illegitima possessione remansit. Hoc est opus acatholici Episcopi in Catholicum Regnum, grassante hostilitate, admissi, qui tam impio superbiens facinore, plura contra me meaque Dioecesi adscriptos Catholicos Ruthenos attentare, Ecclesias non exiguo meo labore ad obedientiam Sedis Adostolicae lucrifectas, ad Schisma per Moschorum potentiam eripere, Unitos summum in modum opprimere publico ore et scriptis gloriatur. Sic, EE. Ecclesiae Principes, nostra Roxolana Ecclesia sicut a prima his in oris S. cum S. Romana Ecclesia Unionis instauratione in Beato Martyre Josaphat Archiepiscopo Polocen.⁹ (:cuius Sedem indignus (f. 461) occupo:) multis Monachis Basilianis, et nonnullis saecularibus Praesbyteris (: quorum elenchus in Actis Sacrae EE. VV. Congregationis asservatur :) odio fidei a Schismaticis trucidatis¹⁰ proprio sanguine suam sinceram Sanctae Sedi Apostolicae inscripsit subiectionem, ita et nunc, fuso recentissime cruore, eandem comprobat. Tali sanguineo rore madefacta Ruthena Terra, benigno Sanctae Sedi Apostolicae protecta respectu, insigniter Schismaticos

⁹ An. 1618-1623. Occisus ob defensionem Primatus Romani Pontificis die 12 Novembris 1723, Vitebsci. Beatorum catalogo adscriptus ab Urbano PP. VIII, an. 1644. Canonizatus die 29. VI. 1867. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat Hieromartyr - Documenta beatificationis et canonizationis*, vol. I, Romae 1952, vol. II, Romae 1955.

¹⁰ A fidelibus tumultuantibus propriae Eparchiae, die 12 XI. 1623.

tribulos annis anteactis eradicavit, et bonum Catholicae Fidei semen suscipiens, uberem fructum attulit. Spero et nuper fustum sacerdotalem sanguinem non sine fructu futurum, si EE. VV. hanc, quam ad Sacras EE. VV. procidens plantas supplico, gratiam mihi et meae Dioecesi praestare dignabuntur. Scilicet opus est, EE. Patres, ut autoritativa Sacrae Congregationis Officia apud felicissime Regnaturum (:quem quotidie a Deo humillime poscimus corde et ore:) Summum Pontificem Brevia ad Serenissimum Poloniarum Regem, Celsissimum Primatem, Illustrissimos Ministros Status, Excellm. Comitem Sapieha, Venatorem M. M. D. Litt., ac eius germanum fratrem, Illustrissimum Dominum Josephum Comitem Sapieha, Episcopum Dioecesiariensem, Coadiutorem et Suffraganeum Vilnensem, ante Comitiam celebranda obtineant et ad me tempestive transmittant,¹¹ quibus tanta Unitis cum Sancta Romana Ecclesia (f. 461v) Ruthenis a Schismatico Mohilovien. Pseudo-Episcopo facta iniuria exprimatur, animeturque tum S. R. M., tum Senatus et tota Respublica, ut tanti mali Authorem, Josephum Wolczanski, intrusum Mohiloviensem Episcopum, ex Regno expellant et crudele facinus impunitum non permittant. Facili negotio hoc apud Catholicam Rempublicam suprema Sanctae Sedis Apostolicae efficiet autoritas, non parum iuvabit Ills.mi Excell.mi et Rev.dissimi Domini Nuntii summa activitas et prudentissimus in perficiendis magnis operibus zelus, dummodo illi EE. VV. suis Literis id negotii commendare velint. Hac methodo Schisma hoc in Regno, soli pseudo Episcopo Mohilovien. innixum, ruet, innumerae venenosa haeresi graeca infectae animae a perpetua morte liberabuntur, insigniter crescet Fides Catholica et Apostolica EE. VV. consolabitur desideria, mihi quoque novae adiicientur vires, peculiari studio schismaticos hac e Regione et praesertim ex mea Dioecesi profligandi errores. Plenus igitur fiducia hanc ab Eminentis Vestris obtinendi gratiam me totum Supremarum Eminentiarum Vestrarum devoveo mandatis, et penes reverentissimum sacrae purpurae osculum maneo.

Polocia, die 24 Maij 1740.

Eminentiarum Vestrarum humillimus et obligatus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen. (mpr).

4.

Polock, 12 . XI . 1740.

Ad Nuntium Varsaviensem transmittit Brevia Pontificia, petitque ut Ecclesia sua in Comitibus Regni protegatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 6, f. 487-488.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini,
Domini Benefactores Singularissimi.

Quam primum desideratissima Eminentiarum Vestrarum Epistola, die 24. 7mbris elapsi scripta, ad meas pervenit manus et de clementissima huius S. Congregationis

¹¹ Cfr. Brevia sub dat 16. IX. 1740, in *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 79-80.

ope meae oppressae a Schismaticis Dioecesi lata certioravit, illico R. P. Heraclium Lisanski, meum Vicarium Generalem,¹² Varsaviam expedito, ut ibi Brevia a Beatissimo Patre et Domino Nostro felicissime regnante Summo Pontifice, ad Sacram Regiam Majestatem, et ad Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Lipski directa,¹³ ac Epistolas ex Mandato Suae Beatitudinis per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Valenti, Secretarium Status, ad Ill.mum, Excellentissimum et Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum, in hoc Regno existentem, nec non ad varios Reipublicae Procures favore mei, meaeque Dioecesis scriptas Varsaviam a R. P. Procuratore nostro Generali Ord. nostri ex Alma Urbe transmissas,¹⁴ iis omnibus, ad quos dictae literae (487v) fuerunt directae, reddat, ac in omnibus autoritativos Praelaudati Ill.mi Nuntii Apostolici, ibi residentis, hocce negotium gratiose directuri sequendo nutus, prudenti circumspectione, et omni sollicitudine iniurias, quas a Schismaticis in Catholico Regno patimur, proponat, opportunaque remedia procuret. Quia vero dubius haereo, num praefatus meus Vicarius praesenti autumnali tempestate tam cito Varsaviam, centum quindecim milliaribus Polonicis Polocia distantem, pervenire poterit, ut omnes Regni Magnates adhuc in loco subsistentes invenire valeat, ideo per Postam Procuratorem Ordinis Basiliani, negotia nostrae Religionis Varsaviae sub praesentia Comitum curantem, praemonui, quatenus illico Excellentissimo Nuntio Apostolico datam nomine Suae Beatitudinis Epistolam praesentaret, et eo tempore Sacrae Regiae Maiestati, nec non Illustrissimis Senatoribus (:etiam non expectato mei Vicarii adventu:) Apostolicas Literas redderet, quo praelaudato (f. 488) Excellentissimo Nuntio id fieri videbitur opportunissimum. Ipse praesentibus assistere Comitibus summopere desideravi, sed prius maturae Excellentissimi Domini Nuntii Apostolici reflexiones, ante Comitum mihi benigne exaratae, postremo ingens, qua me manus Dei tetigit, valetudinis debilitas, domi detinuerunt.

Nunc mihi restat plantis EE. VV. humillime substerni, summas agendo gratias pro potentissima mihi meaeque Dioecesi obtenta a Sanctissimo Patre et Domino Nostro protectione. Quod ubi obligatissimo exequor corde, in reverendissimo sacrae purpureae osculo maneo.

Eminentiarum Vestrarum

humillimus et obligatissimus Servus

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen (mpr).

Polociae, die 12 9bris 1740.

5.

Polock, 15. XI. 1742.

Agit de proximo Capitulo Generali Basilianorum ad uniendas Provincias Ordinis in unam Congregationem.

ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 241, fol. 226-27.

¹² Basilianus, dein Protoarchimandrita Basilianorum (1751-1759), Provincialis Prov. SS. Trinitatis (1759-1763) et demum Archiepiscopus Smolenscensis (1763-1771).

¹³ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 79-80, sub dat. 16. IX. 1740.

¹⁴ Fortasse iam a novo Procuratore in Urbe, Caesario Stebnovskyj (1740-1744).

Illustrissime, Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine Colendissime.¹⁵

Summo cordis iubilo benignissimam Summi Pontificis vocem, monachos Basilianos in unam Congregationem convocantem unumque Protoarchimandritam seu Generalem totius Russiae ab ipsis libere eligendum sancientem, mihi per literarium Eminentiae Vestrae organum communicatam audivi,¹⁶ et exultavi quod tandem Religio nostra Basiliana paterna providentissima Oecumenici Pastoris sollicitudine optimo ordine crescere et laboribus pro fide catholica exantlandis florere non cessabit.

Tantus Sedis Apostolicae favor sicuti unice ad augendam maiorem Dei gloriam et extirpandos in his partibus Schismaticorum errores collimat, ita monachis in mea Dioecesi degentibus adhuc oraculo felicitis recordationis Urbani 8-vi in Congregationem Sanctissimae Trinitatis nuncupatam redactis est acceptissimus, nec hi meo egent incentivo ad adimplenda Pontificia oracula, cum ipsi in id solertissime incumbant, ut prompta obedientia omnes Vicarii Christi nutus, etiam (f. 226v) cum propriae vitae (si opus foret) dispendio exequi valeant. Current laeti ad locum ab Illustrissimo, Excellentissimo et Reverendissimo Domino Nuntio in Regno Poloniae existente pro Capitulo designandum,¹⁷ alacres neocongregatis suis confratribus unientur, nihilque desiderari patientur quod voluntati pontificiae apostolicisque suis mandatis ad unguem adimplendis necessarium opportunumque cognoscent. Det Deus, ut monachorum obsequentissima Sanctae Sedi studia, monachi in Dioecesibus Volhynensibus degentes, recenter in Congregationem a nostris Coepiscopis manumissi, aemulentur. Certe tali via incunctanter sapientissimum Summi Pontificis oraculum debitum sortietur effectum, ac Apostolica sua cura exacta monachorum obedientia, crebraque plurimarum animarum a Schismate ad ovile Petri revocatione recreabitur. Ego, quantum in me est, toto virium conatu Pontificiae voluntati et iussui Eminentiae Vestrae in gratiosissimis literis, die 1 elapsi 7-bris ad me datis, expresso obtemperare satagam, ut hoc ipso potentissimam Eminentiae Vestrae mihi et meae Dioecesi in desideriis per R. P. Procuratorem (f. 227) Basilianorum Russiae Beatissimo Patri nomine meo praesentandis,¹⁸ protectionem promerear, quam ubi enixissime supplico in osculo sacrae purpurae maneo

Eminentiae Vestrae humillimus et obsequentissimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis.

Polociae, 15 9 bris 1742.

6.

Polock, 2 . III . 1744.

Petit, ut sibi detur in Coadiutorem P. Jason Smogorzewskyj.

APF, *Scrit. rîj. n. Congregazioni Generali*, vol. 718, f. 235rv.

¹⁵ Pagina haec in eius summitate parum corrupta; exinde titulus solummodo per medietatem legibilis.

¹⁶ Fortasse agitur de communicatione facta per Nuntium Poloniae. Cfr. *Litteras S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. IV, pag. 137, nr. 1686, sub dat. 20. IX. 1742.

¹⁷ Capitulum designatum fuit in monasterio Dubnensi, anno 1743. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 23-24.

¹⁸ Cfr. *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, in nostra Collectione, sub dat. 1742.

Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Crescentibus in dies motivis, iam alias Beatitudini Vestrae imo et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide expositis, necessitatem habendi Coadiutorem mihi imponentibus, urgeor ad supplicandam denuo Sanctitatem Vestram pro benigno super id assensu, quo non nisi habito reliqua, quae Regiae Maiestatis, et Basilliani Ordinis, ex quo Coadiutor assumendus erit, iura respiciunt, curabo fieri; nihil enim horum aggredi volui, aut volo, nisi praevia Sanctitatis Vestrae Apostolica Benedictione, et supremo eiusdem bene placito. Quod porro attinet ad personam istius Archidioecesis utilitati oportunam, optarem Patrem Jasonem Smogorzewski,¹⁹ olim Collegii Graecorum de Urbe Alumnum, virum zelo fidei, prudentia, probitate, et generis nobilitate conspicuum, quibus pro debita (f. 235v) erga Sanctitatem Vestram devotione expressis, maneo in osculo Sacrorum Pedum, cum filiali voto: ut D. O. M. Sanctitatem Vestram ad gloriam et emolumentum Orbis Catholici diu servet incolumem. Sanctitatis Vestrae

humillimus Servus et indignus Exorator
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen. (mpr).
Polociae, 2da Martii 1744.

7.

Polock, 4 . 10 . 1746.

Instat apud Nuntium Apostolicum ut intercedat pro sua Archieparchia apud Regem Poloniae, ob impetus non Unitorum, et praesertim Pseudoepiscopi Mohiloviensis.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 333, fol. 421-22.

Excellentissime, Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine Patrone Singularissime.

Quam primum ad meam in ipsis Moschovitici domini limitibus sitam Dioecesim desiderata de felicissimo Excellentiae Vestrae Varsaviam adventu notitia pervenit,²⁰ illico humillimo meo obsequio Vicariam Sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem in Celsissima Excellentiae Vestrae persona adoraturus per praesentes demisso poplite accedo, apostolicis suis mandatis plenissime me devoeo et continuam suam mihi meaeque Dioecesi protectionem imploro, hacce vel maxime tempestate, qua inchoatis Generalibus Regni Comitibus non vanus rumor spargit, acatholicos Ruthenos nobis Sanctae Sedi Apostolicae fide et obsequio Unitis Ruthenis iniustam litem fine deoccupandi monasteria, ecclesias et vastas parochias catholicae fidei gratia S. Spiritus per nos aggregatas intentaturos. Vatiniano schismatici odio contra me et cooperatores meos ideo vel maxime effervescunt, quia misericors et miserator Dominus mea hu-

¹⁹ Jason Junosza Smogorzewskyj, Basilianus ex Lithuania, Alumnum Collegii Graecorum de Urbe (1734-1740), dein, postquam varia explevit in Ordine munia, Vicarius generalis Archieparchiae Polocensis designatus fuit. Anno 1762 Floriano in Eparchia pleno iure successit. Demum Metropolitanus Kioviensis (1780-1786).

²⁰ Agitur de novo Nuntio Apostolico Varsaviensi, Alberico Archinto (1746-1754).

militate pastorale pedum in hac Dioecesi gestante insignem animarum numerum vero suo ovili adscripsit. Livor tamen ipsorum moderno Pseudo Episcopo Mohiloviensi Schismatico dicto Wolczanski²¹ curante praeconceptus nil operari valebit, si suprema Excellentiae Vestrae autoritas me et meam Dioecesim coram Sacra Regia Majestate ac inclytis Regni Ordinibus tueri et manutenere dignabitur. Fateor enim ingenue nullum ex pluribus sacerdotibus, ecclesiis, et integris parochiis fidei Sanctae Romanae Sedis obedientiae adscriptis (nullum inquam) vi qualicunque, sed omnes solo Divini Pneumatis afflatu, penes suavem operariorum industriam et specialem jus patronatus habentium favorem ad catholicum S. Petri ovile sponte et libere rediisse. Justissime queror ego datam mihi a Deo et Sancta Sede Apostolica iurisdictionem, collatumque a Sacra Regia Majestate privilegium (f. 421v) per R. Wolczanski, intrusum Mohiloviensis civitatis Episcopum, infringi, ecclesias antiquitus Unitis adjudicatas in ipsa Mohiloviensi civitate et alibi existentes suae heterodoxae iurisdictioni per potentiam asserere se Episcopum Mohiloviensem nominare et in visceribus meae Dioecesis contra patrias leges in hocce catholico regno graecos errores dilatare ausus est et praesumpsit. Similem praesenti tempestatem his in oris circa annum 1731 missus ex Moschovia Mohiloviam quidam Pseudo Episcopus Berlo excitaverat.²² Verum quam primum zelantissimus Excellentiae Vestrae antecessor, modernus Eminentissimus Cardinalis Paulucius,²³ plenam a me de his informationem accepit, statim totam suam exemplarissimam operam et auctoritatem apud gloriosae memoriae Augustum II Poloniarum Regem impendere dignatus est, et effecit, quod praefatus Berlo non solum titulum Episcopi Mohiloviensis inique usurpatum dimittere, sed etiam ex Dioecesi mea ac ex hoc catholico regno extra limites exesse, nec non in Moschoviam redire coactus fuit. Totum hoc ut luculentius Excellentiae Vestrae patere queat brevem in speciali conscriptam folio de iuribus meis informationem annecto. Plura vero edisseret lator praesentium electus cum consensu Summi Pontificis laborum meorum Coadjutor R. Pr. Smogorzewski,²⁴ quem ut speciali gratia fovere et nominationem pro ipso a Sacra Regia Majestate Excellentia Vestra obtinere dignetur humillime peto. Cum etenim in hacce vastissima Dioecesi continuo cum schismaticis luctari et oves pascuis meis commissas vigilantissima cura ab haeretica lue defendere necessarium sit, ipse incessanti labori aegre sufficiam, si diutius desiderata Sacrae Regiae Majestatis favore praefati P. Smogorzewski gratia tardaverit. Firmam in Apostolico Excellentiae Vestrae zelo fiduciam repono, quod praeexpressae humillimae (f. 422) meae preces ab innata Excellentiae Vestrae clementia benigne exaudientur. Pax a schismaticis Dioecesi meae restituetur, ecclesiae per eosdem avulsae sub obedientiam Summi Pontificis, efficiente id suprema Excellentiae Vestrae auctoritate, redibunt, nec non electus episcopalis sollicitudinis Coadjutor P. Smogorzewski necessarium nominationis privilegium per promotionem Excellentiae Vestrae obtinebit.

²¹ Agitur, ut videtur, de Hieronymo Wolčanskyj (1743-1754).

²² Arsenius Berlo, Episcopus Mohiloviensis non unitus (1729-1733), a Rege Poloniae non admissus, et proinde ab Aula Moscoviensi ad Sedem Perejaslaviensem translatus.

²³ Camillus Paulutius (Paolucci), ut videtur, idem ac Camillus Merlino, Nuntius Varsaviensis (1728-1738), dein vero Viennensis. Nominatus Cardinalis die 9. IX. 1743. Obiit die 11. VI. 1763. Cfr. *Hierarchia Catholica*, vol. VI, Patavii 1958, pag. 12, nr. 2.

²⁴ Cfr. supra, nota 19.

Haec enimvero cuncta unice ad commodum animarum pretiosissimo Christi sanguine redemptarum tendunt. Novi equidem nihil incundius, nihilque antiquius Excellentiae Vestrae esse, quam in augmentum Sanctae fidei et suorum animarum Apostolicam auctoritatem impendere, ac sub potentissimam eius protectionem recurrentes forti brachio defendere. Inter hos recurrentes dum ego numerari cupio, semper a nutu Excellentiae Vestrae pendere ambiens Sacram Excellentiae Vestrae dexteram reverentissime exosculor et maneo.

Excellentissimae Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae.

humillimus et obsequentissimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus
Polocensis m. p.

Die quarta 8-bris 1746. Polociae.

8.

Roma, 1747.

Petit, ut ei concedatur Administratio Metropolitae Kioviensis.

APF, *Sritt. rif. n. Congressi: Mose., Pol., Ruteni*, vol. 5, f. 155-156.

Ill.mo, e R.mo Signore.

Floriano Hrebnicki, Arcivescovo di Polosco, Oratore umilissimo di V. S. Ill.ma, e R.ma, a tenore del memoriale dal medesimo esibito a Nostro Signore e rimesso a V. S. Ill.ma, ossequiosamente supplica per esser prescelto, e nominato fra gl'altri concorrenti per Amministratore della Metropolia della Russia, ultimamente vacata per la morte di Monsignor Vescovo di Leopoli,²⁵ concorrendo nel medesimo Oratore non solo la dignità di Arcivescovo, ma anche la qualità di essere uno dei Vescovi più vicini, e più anziani, che della grazia, etc.

All' Ill.mo e Rev.mo Signore, (f. 156)

Monsignor LERCARI, Segretario della S. Congregazione
de Propaganda Fide²⁶

Per FLORIANO HREBNICKI, Arcivescovo di Polosco.

9.

Strunie, 17 . I . 1747.

Certiorat de obitu Metropolitae Kioviensis, deque suscepta administratione, vi Synodi Zamostianae, nec non explicat modum electionis novi Metropolitae.

APF, *Sritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 7, f. 152-153.

²⁵ Athanasius Szeptyckij, Episcopus Leopoliensis (1715-1746), et Metropolita Kioviensis (1729-1746). Obiit die 30 Novembris 1746.

²⁶ Nicolaus Lercari, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1744-1757).

Eminentissimi, et Reverendissimi Domini.

Russia cum Sacra Romana Ecclesia unita, specialissimis Eminentiarum Vestrarum favoribus munita, idoneis Pastoribus provisa, nunc suo immediato Pastore, Archiepiscopo Kiovien. et totius Russiae Metropolitanò, Athanasio Szeptycki (:qui plenus meritorum, et 10.Xbris anni proxime elapsi viam aeternitatis ingressus est:) destituta, meae ad beneplacitum Sanctae Sedis Apostolicae duraturae, in fundamento Synodalis Zamosciani Sanciti, ex voto EE. VV. a Felicis Recordationis Benedicto XIII Papa approbati,²⁷ administrationi relicta, a suprema EE. VV. providentia solatium, tutelam et protectionem supplicat.

Adegit me quidem praelaudata Synodalis Apostolico oraculo roborata Constitutio ad suscipiendam spiritualium et temporalium Metropolitanorum totius Russiae Bonorum custodiam; Hanc tamen beneplacito EE. VV. humillime subdo, et mediante autoritativa EE. VV. interpositione, Apostolicum Beatissimi Patris feliciter regnatis Pontificis mandatum exposco, quo sive me in onere dictae Administrationis manutene, sive alium Episcopum Ruthenum, ex voto EE. VV. huic muneri subrogare, Beatitudo Sua dignetur.

Tali EE. VV. praehabita dispositione, ad canonicam novi Metropolitanæ electionem descendendum erit. Quae electio, ut tum iuxta antiquissimam, in Russia durantem, et per decretum EE. VV. in Particulari Congregatione super Rebus Ruthenorum, habita die 30 Martii 1729 latum,²⁸ roboratam praxim, tum iuxta (f. 152v) novissimum moderni Regnantis Summi Pontificis, in confirmatione Monastici Dubnen. Capituli expressum decretum²⁹ sine ullo impedimento subsequi valeat, humillime EE. VV. expono, necessarium esse Breve Pontificium ad Serenissimum Polon. Regem dirigendum, et Literas ad Ministros, nominatim Primatem Regni, Cancellarium et Procancellarium, tum Regni, tum Magni Ducatu Lithuaniae dandas;³⁰ Quibus et Sacra Regia Maiestas, et praelaudati Proceres, non tantum ab impedienda praefata electione amoveantur, verum et ad nominationem pro vacante Metropolitanica dignitate Personae non nisi canonicè electae permoveantur. Plurimum etenim manutentionis et incrementi Fidei Catholicae in Russia, plurimum commodi spiritualis totius Russiae, a sola canonica Metropolitanæ electione dependere compertum habeo. Cum talis canonica electio dignissimam, multis virtutibus et meritis conspicuam, zelo promovendae Fidei Catholicae insignem, sincera Sanctae Sedi Apostolicae Romanae obedientia devotam, et adaequate supremæ in Russia Metropolitanicae dignitati sustinendae proportionatam Personam Roxolanae Ecclesiae indigitare, Eminentis Vestris proponere, et Beatissimo Pontifici submittere valeat.

Circa haec omnia supremum (f. 153) Eminentiarum Vestrarum mandatum, et providentissimam Sacrae ipsorum Congregationis dispositionem humillime imple-

²⁷ Bulla sub dat. 19. VII. 1724, modo speciali; Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 49.

²⁸ Cfr. *Congregationes Particulares*, vol. II, Romae 1957, pag. 13 nr. 80.

²⁹ Constitutio *Inter plures*, sub dat. 11. V. 1744. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 88 sq.

³⁰ Agitur, ut videtur, de Brevi sub dat. 4. IV. 1748, ad Regem Poloniae, de non praediudicandis iuribus regiis per electionem Metropolitanæ ex parte Episcoporum. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 111, nr. 715. De aliis Brevibus non constat.

rans, me clementissimae EE. VV. protectioni recomendo, et in reverendissimo sacrae purpurae osculo maneo.

Eminentiarum Vestrarum

obligatissimus et humillimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen.,
Admin. Metropol. (mp).

Die 17 Jan. 1747, in Strunie.

10.

Roma, 21 . I . 1747.

Petit confirmari in administratione Metropoliae Kioviensis, in fundamento decretorum Synodi Zamostianae.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 7, f. 159-160v.

Beatissime Pater.

Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Ruthenus Polocensis, humillimus Sanctitatis Vestrae Orator, eodem quo par est obsequio supplicat, quatenus vacantis Metropoliae Ruthenorum administrationem eidem committere dignetur. Talis siquidem Deputatio pertinet ad Sanctitatem Vestram, etiam ex consensu totius Hierarchiae Ruthenorum, iuxta determinationem Synodi Zamoscianae, habitae anno 1720, et a S. Congregatione Concilii approbatae, prout probe notum est Sanctitati Vestrae, quae tunc temporis dictae Congregationis Secretarium agebat.³¹ In dicta Synodo, tit. V: de Metropolitano, sic legitur: « *Si Sedes Metropolitana vacaverit, antequam Administrator a Sancta Sede constituatur, vicinior Episcopus, scilicet Archiepiscopus Polocensis, eamdem tam quoad spiritualia, quam quod temporalia regat* ». Cum itaque Archiepiscopus Orator sit Episcopus vicinior Metropoliae, confidit saltem hac ex causa a Sanctitate Vestra eiusdem Administrator deputari usque ad electionem novi Metropolitanus. Non enim recenset se antiquiorem caeteris Episcopis Ruthenis esse, excepto Praemisliensi,³² qui cum nonagenarius sit, a duobus annis Coadiutorem obtinuit, multum aeris ex bonis patrimonialibus insumpsisse in vindicandis Ecclesiae suae iuribus, prout etiam constat Vestrae Sanctitati, continuoque insudasse in refrenanda audacia Episcopi Schismatici Mohiloviensis, qui potentia Moscorum Principis suffultus, occupandae Mohiloviensi Sedi, opprimendisque Catholicis Dioecesis Polocensis inhiat. Quod si anno 1729 bo. mem. Athanasius Szeptycki, tunc (f. 159v) Leopoliensis Episcopus, Breve talis deputationis obtinuit, favorabilis ei occasio fuit, quod Orator tunc temporis Romae commorabatur,³³ Causam agens in Tribunali Sacrae Rotae contra detinentes Bona

³¹ Prosper Lambertini, Bononiensis, Episcopus Aneonitanus, Secretarius S. Congr. Concilii et fidei promotor; Cardinalis creatus die 9. XII. 1726, publ. die 30. IV. 1728. Electus in Pontificem Romanum die 17. VIII. 1740. Obiit 3. V. 1758.

³² Verosimiliter agitur adhuc de Hieronymo Ustryckyj (1716-1746), qui tamen iam die 12. X. 1746 obiit, nonagenarius. Ut videtur, notitia de eius obitu Romam adhuc non pervenit.

³³ An. 1727-1730, in Causa bonorum Polocensium, cum PP. Soc. Jesu Collegii Polocensis agitata.

Mensae Archiepiscopalis. Adductis itaque rationibus, ac potissimum ex benignitate Sanctitatis Vestrae votis compos fieri sperat. Quod ex gratia etc.

(f. 160b) 21 Gennaro 1747.

Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV.

Signatum erat manu Sanctissimi: Al Cardinale Segretario de Brevi, che spedisca il Breve.

Pro FLORIANO HREBNICKI, Archiepiscopo Rutheno Polocensi.

11.

Polock, 4 . IV . 1747.

Explicat illegitimum modum agendi Theodosii Rudnyckyj, sibi nominationem regiam in Metropolitam Kïoviensem procurantis, petitque ut conserventur iura Ecclesiae Unitae, et acta Attendantis invalidentur.

APF, *Scrit. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 7, fol. 179-180v.

Eminentissimi et R. ndissimi Domini.

Domini et Protectores Singularissimi.

Benefica Eminentiarum Vestrarum promotione a SS.mo Domino Nostro Papa creatus vacantis Metropolitanae Ecclesiae Administrator, fideli obsequio meo Sacrae EE. VV. Congregationi gratificaturus, Sacris Principum Sacrae Rom. Ecclesiae plantis humillime advolvor. Et sicut administratoriam Roxolanae Ecclesiae vigilantiam ex gratiosissimo EE. VV. voto a Vicario Christi in meam imbecillitatem promanasse obligatissimo animo recognosco, ita non defuturam mihi et toti Roxolano Fidelium Caetui potentissimam EE. VV. protectionem confido. Quare permotus facto ad me tum ab Episcopis nostris tum a Patre Generali, universoque Basiliano Ordine recursu, praesentem Ruthenae Ecclesiae statum humillime expono.

Sacra EE. VV. Congregatio utilissime rebus nostris prospiciens antiquam eligendi Metropolitanæ totius Russiae consuetudinem adhuc anno 1643, die 14 Augusti (:ut ex antiquioribus P. F. D. Jacobi Susza, Episcopi Chelmen., illi tempori coaetanei notatis desumitur:), Decreto suo firmavit. Et licet anno 1729, die 30 Mart., ob motiva sibi bene visa EE. VV. D. Athanasium Szeptycki per suffragia solius Collegii Episcopalis Rutheni, sine voto Ordinis Basiliani, pro illa sola vice ad nominationem Regiam et confirmationem Sanctae Sedis Apostolicae posse pervenire iudicarunt, quam primum tamen in Capitulo Dubnen., in praesentia Legati Pontificii, D. de Lascaris, Episcopi Zenopolitani, nec non D. Rudnicki, Episcopi Luceorien. Rutheni, pro tunc Legatione a Serenissimo Poloniarum Rege sibi concredita fungentis,³⁴ Metropolitanæ Russiae P. F. Athanasio, et omnibus DD. Episcopis (:cum quibus praefato Dubnen. Capi-

³⁴ In Capitulo Dubnensi an. 1743; sub Praesidentia Hieronymi Lascaris, Delegati Nuntii Varsoviensis. Theodosius Rudnyckyj, Episcopus Luceotriensis (1731-1751), praeter titulum episcopalem et basilianum-monachalem, etiam titulo Legati Regis Poloniae fungebatur. Legatio tamen haec tantummodo formalis considerari debet, ad conservanda iura regalia.

tulo etiam prae laudatus D. Rudnicki Episcopus Luceorien. non solum titulo Regiae Legationis, sed etiam nomine proprio et ex officio suo episcopali interfuit, et subscripsit) antiquae consuetudini vim legis adeptae innixis visum fuit lege positiva cavere hoc Ordini Basiliano, ut Proto Archimandrita seu Generalis ipsorum cum Consultoriis utriusque Provinciae in electionem novi Metropolitanum semper cum voto intraret. Statim EE. VV. suo altissimo iudicio talem constitutionem bono fidei in Roxolana Ecclesia manutenendae et propagandae summe necessariam auctoritate Pontificia ad preces omnium DD. Episcoporum Ruthenorum roborandam et approbandam esse censuerunt. Prout et approbata est a Regnante feliciter Summo Pontifice.

Quo facto adeo solidata libera Metropolitanorum electio omnibus visa fuit, ut vacante Metropolitana Sede nullum DD. Episcoporum ante electionem pro Regia nominatione absolute concursurum, aut etiam oblatam acceptaturum sperare licuerit. Verum bene fundatam communiorem omnium nostrum opinionem D. Rudnicki, Episcopus Luceoriensis Ruthenus, nunc fefellit, dum, non expectata electione, Privilegium Regium seu Nominationem favore sui pro vacante Metropolia, contra praefata EE. VV. Decreta, contra praescriptam antiquissimam consuetudinem, et contra novissimam Dubnen. Capituli (f. 179v) Apostolica Summi Pontificis auctoritate approbati constitutionem obtinuit.³⁵

Non habeo, quid querar, de Serenissimo Rege, Domino meo Clementissimo, cui liberum esse suas gratias secundum distributivam iustitiam dispensare, non disputo. Improbare tamen teneor illicitam D. Episcopi ante electionem concurrentiam absolutam pro nominatione. Cum etenim nos omnes Episcopi Rutheni simus ex Monachis Basilianis assumpti, teneri nos ad observantiam legum et Constitutionum Ordinis cum Statu nostro Episcopali compatibilium, nemo dubitat. Specialiter autem disserent de lege circa electionem Metropolitanam in Dubnen. Capitulo sancita; omnibus notum est, in praedicto Dubnen. Capitulo cunctos DD. Episcopos (: me solo causa infirmitatis absente:) cum voto activo praesentes fuisse, cunctos unanimi consensu sollemnissime Ordini Basiliano votum eligendi Metropolitanam spondisse, Nexum cum Monachis formasse,³⁶ libere et sponte Constitutionibus illius Capituli subscripsisse, ad observantiam earundem se se publica fide, in actis Capituli expressa, obligasse necnon Pontificiam Auctoritatem confirmandis eiusdem Capituli actis repetita prece ferventissime implorasse. Quem ergo Episcoporum leges tam sollemniter in praesentia Pontificii et Regii Legatorum ab Episcopali Collegio sancitae, promulgatae, acceptatae, a Summo vero Pontifice confirmatae, in conscientia non obligabunt? Contra has tamen leges ipse legis assertor, D. Episcopus Luceorien., non expectata electione Metropolita per Serenissimum Regem nominari se se resolvit.

Opinor ego in tali D. Luceorien. facto graviter laesam Pontificiam Vicarii Christi Auctoritatem. Salubrius enim erat stabilendae legi reclamare aut confirmationem illius a S. Sede non postulare, quam a se stabilitam et Apostolica Auctoritate confirmatam legem eludere et transgredi. Ex tali transgressione plurimas funestas secu-

³⁵ *Inter plures*, de dat. 11. V. 1744. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 88 sq.

³⁶ *Nexus* s. d. Szeptyckia nus ex anno 1743. Cfr. in Epistolis Athanasii Szetyckij paulum supra, sub an. 1743. Cfr. etiam opus M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutzkyj instauratorum*, Romae 1949, pag. 81-90.

turas inconvenientias vereor. Quemadmodum enim in hac nostra Republica cuilibet facillima per consanguineos et affines Mecaenatesque promotio et recommendatio ad Regem dari potest, ita ab Episcopis facile serpet scandalum ad Religiosos, qui spiritu ambitionis seducti, non meritis congerendis in Religione, sed Magnatum favoribus promotionibusque conciliandis impenso conatu incumbunt. Per quod disciplina regularis relaxabitur, virtutes et strenuae in Vineam Christi operationes dimiuentur, sanctae et proficuae Dubnen. Capituli Constitutiones ex voto EE. VV. a SS.mo Domino Nostro Papa approbatae penitus enervabuntur et a nullo observabuntur.

Sancte subverebatur hunc in Ordine Basiliano disordinem Fel. Rec. Benedictus XIII, Papa, dum Pontificio suo Brevis, d. 14 Decembris 1728, statuit, ne ullus nostri Ordinis Professus praeter praescriptum in Constitutionibus modum ad Archiepiscopatus, Episcopatus caeterasque Praelaturas gradiri auderet, et aliter facientes eo ipso inhabiles ad procuratas per se Dignitates declaravit.³⁷ Hic porro iustus rigor nisi in transgressores legum extendatur, facili negotio cuncta supra scripta Ecclesiae Ruthenae et Ordini Basiliano incommoda eveniet.

His avertendis malis opportunum remedium apostolica EE. VV. sollicitudo adhibebit (f. 180) si iubere D. Episcopum Luceorien. dignabitur, ut obtentum, sine praevia electione, nominationis Privilegium in manus EE. VV. Excellentissimi Domini Nuncii Poloniae reponat, omnique imaginabili ad idem Privilegium iuri solenniter renuntiet, nec non una cum omnibus Episcopis liberis Electorum suffragiis se se submittat.

In hac nostra Republica, imo etiam in nostra Hierarchia Ruthena non est nova aut praepiudiciosa S. Regiae Maiestati Privilegiorum repositio. Saepissime enim Saeculares per competentia Iudicia, Ecclesiastici vero per spiritualia subsellia, nostri Rutheni per suos Superiores ad repositiones Regionum Privilegiorum toties compelluntur, quoties constat Privilegium subrepticie, aut obrepticie, aut contra leges civiles, aut contra Ius Canonicum, aut contra statuta Ordinis esse exportatum. Exempla horum hic non adduco. De Saecularibus etenim et Ecclesiasticis omnibus, iurium huius Reipublicae gnaris, est notissimum, de Monachis vero nostris Basilianis acta Capitulum et Ordinis exempla exhibebunt, si illa requirere EE. VV. placuerit.

Nulla etiam temporis ad electionem requisiti facta est protractio, quae taedium nominaturae Maiestati adferre posset. Cum enim Sancta Zamosciana Synodus ordinaverit, ut post fata Metropolitanorum Administrator a Sancta Sede deputandus expectaretur, laudabilis vero usus invaluerit Administratorem creandi per Breve in forma commissaria, ad Excellentissimum Nuncium Poloniae expediri solitum; Qui Excellentissimus D. Nuncius Pontificio Brevis parendo, per suum Instrumentum Administratorem totius Russiae creare, et sic creato Administratore opportunas pro celebranda novi Metropolitanae electione facultates impertiri consuevit. Ideo totum id rite expediendum plusquam trimestri eget tempore, ob longam Russiae ab Urbe distantiam, quae causavit, quod in hucusque adhuc praedictae facultates ad me non pervenerunt.

Certe, EE.mi Patres, si moderna nominatio, ante electionem exportata ad vota D. Episcopo Luceorien., successerit, in perpetuum, cum summo boni ordinis in

³⁷ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 68. sub dat. 16. XII. 1728.

Russia discrimine nec non cum irreparabili Decretorum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide et ab ipso SS.mo Domino latorum praeiudicio, libera Metropolitanarum electio abrogabitur. Cuilibet enim in posterum facile erit tales perveniendi ad Metropolitanam Dignitatem vias arripere, qualibus modernus D. Episcopus Luceorien. graditur.

Pie functus D. Athanasius Szeptycki, pro tunc Episcopus Leopoliensis, concurrens ad Metropolitanam dignitatem obtinuit ab EE. VV. gratiam, ut pro illa sola vice per solos Episcopos, sine voto Proto Archimandritae et Consultorum, posset peragi electio Metropolitanus;³⁸ Modernus vero D. Episcopus Luceorien. non solam Religionem, sed et Episcopos ab electione exclusit, et nisi exportatum favore sui reposuerit Privilegium illique totaliter renuntiaverit, perpetuo iure electionem ex Ecclesia Ruthena excludet, et ad solam Regiam Nominationem transfundet.

Hoc denique electioni Metropolitanus minime obesse debuit, quod nos leges civiles talem electionem statuentes non allegavimus. Sicut enim Metropolitana (f. 180v) Russiae Dignitas est mere Ecclesiastica, nulli Reipublicae munio commixta, et penes unum ex Episcopis de Monachatu assumptis esse debet, ita non civilibus sed ecclesiasticis legibus modus perveniendi ad illam circumscribitur. Prudenter interim suppono, etiam patria adesse documenta quae electionem Metropolitanae asserunt. Sed quia talia in Metropolitanano Archivio asservari consuevere, et Metropolitanum archivium pro nunc obsigillatum penes Leopoliensem. Cathedralam, aut in Monasterio Unioviensi depositum reperitur,³⁹ ideo petita ex placitis Regum et Constitutionibus Reipublicae documenta non allego. Attamen, si mihi a S. Sede creato Administratori praedictum Archivium ex mandato EE. VV. extraditum fuerit, quidquid ibi reperero documentorum, EE. VV. deferre non negligam. Licet si ad firmam electionis subsistentiam sola Sacrae Congregationis Decreta nos in conscientia obligantia sufficere teneam.

Haec omnia dum pro debita mea EE. VV. fidelitate, et ad instantiam a DD. Episcopis et Ordine Basiliano, ad me factam, ex statione mea administrativa, nomine totius Ecclesiae Ruthenae, Sacrae EE. VV. Congregationi humillime expono, incessantem EE. VV. protectionem mihi ipsi et concredito mihi gregi imploro, ac in reverendissimo sacrae purpurae osculo maneo.

Polociae, die 4 Aprilis 1747.

Eminentiarum Vestrarum

obligatissimus et humillimus Servus

FLOR. HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen., Admin. Metropolitanus Russiae (mp).

³⁸ Quaestio haec per longa decennia movebatur tum in Capitulis generalibus, tum Romae. Sed Sedes Apostolica a casu ad casum quaestionem hanc solvebat, decisionem definitivam ad tempora posteriora remittendo. Cfr. de hac re in M.M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 80-84.

³⁹ Archivium Metropolitanum semper sequebatur Metropolitanus, qui ex variis Eparchiis ad hanc dignitatem assumpti, saepe saepius etiam Eparchias retinebant, et in illis etiam residebant. Proinde secundum casum etiam Archivium in hanc vel illam Sedem transferre curabant, ut documenta necessaria prae manibus haberent. Tempore Athansii Szeptyckij Archivium Leopoli conservabatur.

12.

Polock, 4 . IV . 1747.

De attentatis Episcopi Luceoriensis et de conservatione iurium Ecclesiae Unitae.

APF, *Srit. rif. n. Congressi ; Mosc., Pol., Rutheni*, vol. 7, f. 181-182.

Beatissime Pater.

Benignissima Sanctitatis Vestrae clementia, quae me antierius Romae permanentem specialibus cumulaverat favoribus, etiam nunc a Pontificia Universalis Ecclesiae specula humilitatem meam benefico obtutu respicere, et orbatam suo Pastore Metropolitanae totius Russiae Ecclesiae, ad electionem novi Metropolitanae, Administratorem praeficere dignata est. His Beatitudinis Vestrae gratiis alia adaequata graditudine correspondere non valens, Deum ter Optimum Maximum cum universo concredito mihi Grege continuo rogabo, ut Beatitudinem Vestram prosperrimo Suae Sanctae Ecclesiae Regimini diu incolumem conservet.

Quam primum vero, ex factis ad me a DD. Episcopis nostris Ruthenis et a Religione Basiliana recursibus, rescivi Dominum Rudnicki, Episcopum Luceoriensem Ruthenum, non expectata ab antiquissima consuetudine et a Beatitudinis Vestrae suaeque Sanctae Sedis legibus praescripta electione, Regium Privilegium seu Nominationem pro vacante Metropolitana dignitate favore cui obtinuisse; Illico pro demandata mihi gratiosissime a Sanctitate Vestra administratoriali vigilantia, nomine totius Hierarchiae nostrae Ruthenae ad sanctissimos Vicarii Christi potestatis pedes provolutus supplico, ut non solum Bullae Institutionis praedicto Episcopo a Beatitudinis Vestrae praecepto, idem Dominus Episcopus Luceoriensis Regium Privilegium favore sui in praeiudicium Iurium Ruthenae Ecclesiae obtentum reponere, ac non Privilegiatus futurae liberae electioni intervenire adigatur.

Suadet hoc suprema Sanctitatis Vestrae auctoritas, qua confirmatum (f. 181v) est votum in electione Metropolitanae dandum, Ordini Basiliano in Capitulo Dubnensi per ipsosmet DD. Episcopos cautum; requirit ipsemet modus agendi D. Episcopi Luceoriensis, qui, praesens in praefato Capitulo Dubnensi, votum electivum Metropolitanae Ordini Basiliano asseruit, et pro confirmatione sanctorum eiusdem Capituli Beatitudini Vestrae cum caeteris Episcopis et Monachis supplicavit; postulant Decreta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 14 Augusti 1643, et die 30 Martii 1729 favore electionis Metropolitanorum emanata;⁴⁰ postulat denique securitas manutenendae augendaeque fidei catholicae in Russia, nec non publica totius Roxolanae Ecclesiae utilitas. Si enim per calcatas leges ascensus ad Metropolitanam dignitatem D. Episcopo Luceoriensi ex voto successerit, vereor ne tali exemplo caeteri etiam, tum Praelati tum Monachi, spretis legibus, via ab ambitione suggesta, ad ecclesiasticas dignitates gradientur. Quo abusu eveniet monasticam disciplinam dissolvendam, et a Praelatis conspicua in Ecclesia merita non curanda, sed solos promoventium Magnatum favores thesaurisandos fore.

⁴⁰ Cfr. *Congregationes Particulares*, vol. II, Romae 1957, pag 13.

His malis avertendis perspicacissimam suam providentiam Roxolanae Ecclesiae Beatitudo Vestra impendere non dedignetur; licet si enim liberum sit Serenissimo Regi Poloniarum pro libitu suo Personas ad Ecclesiasticas dignitates nominare, nobis tamen, Professione Monachis, etiam ad Episcopatum asumptis, non licet alia via Nominationem Regiam favore sui procurare, imo nec oblatam acceptare, nisi via a Beatitudine Vestra suaque Sancta Sede concessa, et praescripta. Certe si nunc obtenta sine electione Nominatio quocunque modo pro valida recognoscatur, cedet pro semper laudabilissima, ad summe ad augendam conservadamque in Ritu nostro Fidem Catholicam necessaria, ab immemorabili tempore (f. 182) in Ecclesiam Ruthenam introducta electionis consuetudo.⁴¹ Nam ubi Sancta Sedes benigne pro illa sola vice condescendit P. F. ultimo Metropolitano, Domino Szeptycki, ut solo Episcoporum voto, sine suffragio Ordinis Basiliani, electus fuit Kioviensis et totius Russiae Metropolita, ecce D. Episcopus Luceoriensis nunc non solum Religionis, sed etiam Episcoporum non expectato voto, Regiam Nominationem favore sui obtinere ausus est. Facile ergo in posterum caeteri suum sequentur exemplum, cum cuilibet facilius sit Magnatum favores et promotionem, quam Electorum pro conscientia votantium suffragia lucrari.

Has meas ferventissimas nomine totius Roxolanae Ecclesiae praeces, et me ipsum, ad Sanctissimos Beatitudinis Vestrae pedes humilio, et cum reverentissimo eorundem basio, apostolicam mihi implorans benedictionem maneo

Sancitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi

Scabellum pedum et Exorator indefessus

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis,

Administ. Metrop. totius Russiae (mpp).

Polociae, die 4ta Aprilis 1747.

13.

Novogrodek, 8. VI. 1747.

Documentum electionis Metropolitanae Kioviensis Floriani Hrebnyckyj, cum litteris commissionis et intimationis nec non processu verbali ipsius electionis

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni generali*. a. 1748, vol. 738, f. 217-221v.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 393, fol. 283-289 (copia).

In nomine Domini Amen. - Praesenti publico electionis Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quomodo Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1747, Indictione Romana decima, Pontificatus autem SS.mi Domini Nostri Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis XIV anno septimo, die vero Lunae octava mensis Junii iuxta vetus Kalendarium, Ill.mi, et Rev.mi Domini Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscen. etc., Metropoliae Kijoviensis, et totius Russiae Administrator, Theophilus Godebski, Episcopus Wlodimirien. etc. et Brestensis, Protothronius Metropoliae Kijoviensis et totius Russiae, Theodosius Rudnicki, Episcopus Luceorien., et Ostrogien. Exarcha Metropoliae Kijovien., Philippus Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmen. et Belzensis,

⁴¹ Cfr. P. P. LOZOVEI, *De Metropolitanarum Kioviensium potestate*, Romae 1951-52 (ms.).

Onuphrius Szumlanski, Episcopus Premislien. Sanocen., et Samborien., Administrator Leopoliensis, Haliceni. et Cameneceni. Podoliae, et Polycarpus Mihuniewicz, Ordinarius D. Basilii M. Congregationis Ruthenorum Proto Archimandrita Generalis,⁴² ad Ecclesiam Cathedrali Metropolitani Novogrodecensem pro electione novi Metropolitanus ad vacantem post obitum Ill.mi, et Rev.mi Domini Athanasi Szeptycki Sedem Metropolitanam congregati, in termino, et literis convocatoriis ab Ill.mo et Rev.mo Domino Administratore vigore specialium literarum Ill.mi Exc.mi, et Rev.mi Domini Nuntii Apostolici ad Regnum Poloniae et M. D. Litt. authenticarum ad se directarum, de tenore verborum sequenti: - Albericus ex Comitibus de Archinto, Dei, et S. Apostolicae gratia Archiepiscopus Nicaenus, SS.mi D.ni Nostri Benedicti Divina Providentia Papae XIV Praelatus Domesticus, et Assistens, eiusdemque, ac Sanctae Sedis Apostolicae in Regno Poloniae, et M. D. Litt. cum facultatibus legati de latere Nuntius. Dilecto Nobis in Christo Perillustri et Rev.mo Domino Floriano Hrebnicki (f.217v), Archiepiscopo Poloceni. Ritus Graeci uniti salutem in Domino sempiternam. Noverit Perillustris, et R.ma Dominatio Vestra, quod cum per obitum Ill.mi, et Rev.mi Domini Athanasii Szeptycki, Metropolitanus totius Russiae nuper defuncti, deveniendum sit ad electionem novi Metropolitanus, proinde, ut maiori, qua poterit, solertia, et sollicitudine electio huiusmodi fiat, atque, ut Metropolitanus pro nunc vacanti de suo providatur Pastore, ac Moderatore, de prudentia Perillustris, ac Rev.mae Dominationis Vestrae, atque in rerum agendarum diligentia, ac dexteritate plurimum in Domino confisi, eandem Perillustrem, ac Rev.mam Dominationem Vestram in Praesidentem electionis huiusmodi delegandam, et deputandam esse duximus, prout tenore praesentium delegamus, et deputamus. Committimus propterea Perillustri, ac Rev.mae Dominationi Vestrae, ut in Civitate Vilnensi, aut Novogrodecensi,⁴³ prout ipsi magis expedire visum fuerit, per Literas suas edictales quamprimum convocari faciat Perillustres, et Rev.mos Dominos Episcopos quoscumque ius certum, atque indubitatum ad electionem huiusmodi habentes, ac praeterea Rev.mum Patrem Proto-Archimandritam Ordinarius D. Basilii M., cui soli SS.mus Dominus Noster ex speciali concessione per suas literas sub die quarta lalentis mensis ad nos datas ius suffragii pro hac vice attribuit,⁴⁴ praeservatis Consultorii, ac caeteris quibuscumque eiusdem Ordinarius rationibus quoquomodo ipsis competentibus, pro tempore ante nos deducendis, ac per nos Sanctitati Suae referendis. Qui Perillustres, et Rev.mi Domini Episcopi, et Rev.mus Proto Archimandrita insimul uniti, implorato Divino praesidio ad electionem novi Metropolitanus in Domino rite deveniant, atque cum votis, et suffragiis suis canonicè faciendis in eum collimabunt, qui tanto munere idoneus, atque toti Ruthenorum unitorum Hierarchiae decorus, et proficius esse possit, non obstante etc. (f. 218) In quorum fidem etc. Datum Draesdae, die 24 Martii 1747. A. Archiepiscopus Nicaenus, Nuntius Apostolicus (locus + sigilli parvi usitati in cera hispanica expressi:). Ex speciali

⁴² Polycarpus Myhunevyč, Protoarchimandrita Basilianorum (1743-1747).

⁴³ Propter commoditatem loci et distantiarum. Revera electio locum habuit Novogrodecii.

⁴⁴ Fortasse per litteram Secretariae Status. In nostra Collectione Brevium Apostolicorum Breve huiusmodi non invenitur.

mandato Exc. Suae — Nicolaus de Georgiis, Secretarius; — emanatis ex suprafatis Ill.mis et Rev.mis Dominis legitime notificatis, quarum tenor, est sequens: — Florianus Hrebnycki Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscen., Mscislaviensis, Orsanensis, Mohilovien., SS.mi Domini Nostri Benedicti XIV. Papae Praelatus Domesticus, Eiusque Pontificii solii Assistens, Hlebo Borysen. Abbas, Metropliae totius Russiae, et Abbatiae Kyow. Peczaensis Administrator. Ill.is, et Rev.mis D.nis Dominis Theophilo Godebski, Protothouio Russiae, Vladimiriensi, et Brestensi, Theodosio P. Rudnicki, Exarchae Russiae, Luceoriensi, et Ostrogiensi, Onuphrio Szumlanski, Praemisliensi, Sanocensi, et Samboriensi Episcopis, nec non Rev.mo, ac Religiosissimo Patri Don Polycarpo Mihunievicz, Ordinis D. Basilii M. Congregationis Ruthenorum Generali, salutem, et obsequiorum nostorum commendationem. Quandoquidem Oecumenico Ecclesiae orthodoxae Pastori SS.mo Domino Nostro Benedicto Papae eius nominis XIV, Domino meo Clementissimo, de plenitudine potestatis Apostolicae, et paternae benevolentiae placuit conferre tenuitati nostrae munus, et onus administrandae Metropolitae totius Russiae sustinendum, quoadusque orbatae numque sat deplorandis fatis clarae memoriae Athanasii Szeptycki Hyerarchiae ex integro prospectum fuerit, quapropter inter primas curarum nostrarum illam constituimus, qua adhibita S. et profuso Patrum nostrorum sanguine parta cum S. Romana Ecclesia Unionis iura, et privilegia a Serenissimis Poloniarum regibus benigne impertita, in toto, et tuto valeant conservari, et praesertim in praesenti rerum statu, ubi recenter impediti nos (f. 218v) sentimus a disunitis, propter quorum insistentiam Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi auctoritate, Commissio super eorum praetensis iniuriis demandata. Istius negotii molem nobis anxiae contemplantibus, iamque ad invitamas, et in partem sollicitudinis nostrae vocandas Ill.mas, et Rev.mas Dominationes Vestras manum admoventibus supervenit novum nobis omnibus in Domino congregandis motivum, suprema videlicet SS.mi Domini Nostri per organum S. Nuntiaturae intimata voluntas, quatenus ad electionem Metropolitanam totius Russiae procedamus, prout ex sequentibus patebit literis: — Albericus ex Comitibus de Archinto etc. ut supra extensum.⁴⁵ Non minus itaque primo innixi motivo, quam supremis Apostolicae Sedis nutibus obsequendo, praesentes Encyclicas ad Ill.mas Dominationes Vestras, ac Rev.mam Paternitatem Vestram dirigendas censuimus, quatenus tum pro eo, quo tuendae S. Unionis pollent zelo, tum pro ea, quam S. Apostolicae Sedi omnes profiteamur devotione Novogrodeci die 8va Junii iuxta vetus, videlicet feria secunda Festorum Pentecostes Anno praesenti imminentium, ad effectum praemissorum comparere non graventur, quamvis porro non solum Ill.mis, ac Rev.mis Dominationibus vestris, verum etiam plerisque de Statu nostro informati, exploratum sit, plura nos ab illis pati, quorum licet iniustis querelis praevenimur, necnon exuberantia nobis iura, et privilegia favore Unionis militancia, tum denique irrefragabilia documenta acquisita nostram, et modestum in agendo modum evincencia ad esse, nihilominus earumdem tenore praesentium Ill.mas Dominationes Vestras, Rev.mamque Paternitatem Vestram exposcendas censuimus, prout reapse exposcimus, quatenus reperibilia in suis Archiviis documenta ad casum praemissorum facientia

⁴⁵ Nuntius Apostolicus Varsaviensis (1746-1754).

(f. 219) deferant, ut collatis ad invicem rationibus, et consiliis firmiter ratio communis boni valeat sustineri atque is in futurum Primatem orbatae Hierarchiae nostrae sufficiens concordibus designetur votis, quem Spiritus Sancti gratia cordibus, et animis Electorum suggerere dignabitur. Cunctaque pro ea, qua fungimur, imo verius apostolica auctoritate Ill. mis Dominationibus Vestris, ac Rev. mae Paternitati Vestrae intimando, pro maiori eorum fide, et robore praesentes literas nostras manu propria subscriptas, sigillo nostro communiri mandavimus. Dabantur Vilnae, in residentia nostra ad Cathedralam Metropolitanam, die 29 Aprilis 1747 Anno. — Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Polocensis, Administrator Metropoliae totius Russiae (mp) (locus-sigilli) — Athanasius Piotrowski O. D. B. M.,⁴⁶ Curiae Archiepiscopalis Polocen., et Administratorialis Metropolitanae totius Russiae Auditor (mp). Cyprianus Korecewicz, Curiae Archiepiscopalis Polocen., et Administratorialis Metropolitanae totius Russiae Notarius (mp); - In diem hodiernam incidenti ante omnia post recitatam per praefatum Ill. mum, et Rev. mum Dominum Metropoliae Administratorem, et modernae electionis Praesidentem de Spiritu S. Missam, postque decantatum per omnes idiomae sclawonico hymnum: - Rex caelestis Paraclite - Spiritus Sanctus invocatorium, aliasque debitas ceremonias praemissas, suis in locis consederunt, iurisdictionem pro faciendo eiusmodi electionis actu fundarunt, et me infrascriptum publicum sacra auctoritate apostolica Notarium ad connotandum, et conscribendum eiusmodi actum unanimiter assumpserunt, atque illico mihi praeter literas praefatas alias particulares a suprafato Ill. mo Exc. mo, ac Rev. mo Domino (f. 219v) Nuntio Apostolico ad omnes Ill. mos, et Rev. mos Electores scriptas publice praelegi mandarunt, quas et praelegi, sunt autem tenoris sequentis: - Foris superscriptio - Perill. ac Rev. mis Dominis observandissimis, Dominis Archiepiscopo Polocensi, caeterisque Ruthenae Ecclesiae Episcopis, in Novogrodecensi Civitate collectis - Nogo-grodecium - Intus inscriptio, seu Intitulatio: - Perill. ac Rev. mis Dominis, necnon in Christo Domino Nostro Fratibus dilectissimis, Archiepiscopo Polocensi, caeterisque Ruthenae Ecclesiae Graeci Ritus unitis Episcopis, et Rev. mo ex Ordine Monachorum S. Basilii M. Proto Archimandritae, in Civitate Novogrodecensi ad eligendum Ecclesiae Ruthenae Metropolitanam collectis, salutem, pacem, et misericordiam a Deo, et Domino Nostro Jesu Christo. - Ex quo mihi, annuente imprimis Deo O. M., et Patre Domini Nostri Jesu Christi, fuit a supremo Pontifice Benedicto XIV demandatum, ut in hoc florentissimo Poloniarum Regno Nuncii Apostolici munus obirem, statim intellexi non tantum omni studio, summaque diligentia huiusmodi ministerium esse a me adimplendum, verum etiam Ecclesiae partes suscipiendas, reiectisque quibuslibet saeculi huius cupiditatibus, omnino tuendas, alias sisti me oportere ante Supremum Tribunal, et vivorum, et mortuorum Iudici rationem redditurum. Qua de re firmissima hac consideratione ductus, sanctaeque veritatis amore, et gloriae Christi excitatus in hanc Curam, quoad maxime potui, incumbere debui, auxilio potissimum Omnipotentis Dei adiutus, ac sustentatus, ut officio meo unquam deessem, et quidquid in ditionis Polonicae regionibus ad Sanctae Ecclesiae Dei utilitatem, instituta, mores, atque iura pertineret, id firmum, integrumque manet. (f. 220) Praecipuam vero mune-

⁴⁶ Auditores Curiarum Episcopaliū tunc temporis adhuc ex monachis basilianis insignioribus assumebantur. Piotrowski pertinebat ad Provinciam SS. Trinitatis vel Lithuanam.

ris mei partem iure sibi vindicat Ruthena Ecclesia, quam in unitate fidei catholicae, sincere, et ex animo diligo, amor, et sollicitudo, necnon venerandi Hyerarchici Ordinis honor, dignitas, atque authoritas, quae ne quid detrimenti capient, neque ulla ex parte labefactentur, prout occasio praebuit sedulo advigilavi, atque prospexi. Ut igitur amorem, meamque sollicitudinem erga Ruthenam Ecclesiam rursus ostenderem, ac comprobarem, vestigiis insuper insistens SS.mi Domini Nostri Benedicti XIV Summi Pontificis, qui Ruthenam Ecclesiam in S. Catholicae Fidei unitate peculiari ac paterno amore prosequitur, hasce literas addere constitui ad universum Episcoporum caetum, non ut vos moneam, Rev.mi Domini, ac Fratres dilectissimi, neque ut caritati Vestrae, ac studio aliquid detrudere audeam, sed ut hortari vos non desistam, simulque animos addam, ut sine metu, sine dubitatione ulla, fiducia vero ac alacritate, et constantia freti, in Conventu vestro, quem ad eligendum Metropolitanum peragitis, concordii animo, ac pacis mutua consensione Ecclesiae vestrae Metropolitanum Praesulem constituatis; vestrum quandoque erit optimi, ac Rev.mi Domini et Fratres mei dilectissimi, ad hoc dignitatis fastigium illum evehere, quem spectata fides, caelestis prudentia, Ecclesiae Romanae unitatis studium, ac sollicitudo vitae inculpatae, probitas, atque sanctitas testabitur ab ipso Deo, et Domino Nostro Jesu Christo electum, atque vocatum. Quod si in eligendo hoc fidelissimo Ecclesiae vestrae Praesule nil aliud, quam Ecclesiae Dei utilitatem, Christianae Plebis aedificationem, et Domini Nostri Jesu Christi gloriam atque honorem ob oculos habebitis, profecto non dubito, quin Deus misericordiarum Dominus, et totius consolationis fidelissimum Administrum, optimum Praesulem, probatissimum dignissimumque Metropolitanum (f. 220v) Ruthenae Ecclesiae sit misericorditer largiturus. Quod, ut faeliciter, atque ex sententia cedat votis omnibus exopto, Deumque enixe precor. Caritas Dei, pax, misericordia, et dilectio Domini nostri Jesu Christi sit omnibus vobis. - Draesdae, die 20 Maii 1747. - Paratissimus servitor - A. Archiepiscopus Nicaenus, Nuntius Apostolicus - Quibus literis perlectis, Ill.mi, et Rev.mi Domini Electores ad electionem per scrutinium devenire volentes, ante omnia concorditer in Scrutatores palam elegerunt Ill.mos, et Rev.mos Dominos, Theophilum Godebski, Wlodimirien., Onuphrium Szumlanski, Premislien. Episcopos, et Rev.mum P. Polycarpum Mihuniewicz, Ordinis D. Basilii M. Proto Archimandritam, qui super adimplendo fideliter officio suo, tenendoque stricto secreto iuramentum quilibet distinctim, tacto pectore, praestiterunt. Ac tandem omnes Ill.mi, et Rev.mi Electores ad ipsam electionem futuri Metropolitanum per vota secreta in scriptis in Domino processerunt. Et Ill.mi, ac Rev.mi Scrutatores, receptis omnium votis in cedula exaratis, ore Ill.mi Episcopi Wlodimirien., Primarii Scrutatoris, ab Ill.mis Electoribus petierunt, an placeat publicare eadem vota generaliter, et particulariter exprimendo quot quis habet? ac respondentibus Ill.mis Electoribus: *placet*, is idem Ill.mus Episcopus Wlodimirien. clara voce protulit his formalibus: habemus vota septem - Exprimendo autem quot numero quis habuit vota, pronuntiavit: - Ill.mus Archiepiscopus Polocen. habet vota quatuor; - Ego, vester servus, habeo vota duo: Ill.mus Episcopus Premislien. habet votum unum. - Quibus publicatis, idem Ill.mus Episcopus Wlodimiriensis, Scrutator, exquisivit ab Ill.mis Electoribus, an placeat publicare decretum electionis. Et illis respondentibus: *placet*, devenit ad publicationem his verbis: - Ego Theophilus Godebski, Episcopus Wlodimiriensis, nomine meo, et eligentium, mihi consensientium (f. 221), invocata gratia

Spiritus Sancti, in Metropolitanum Russiae eligo, et electum coram vobis pronuntio Ill.mum, Ex.mum, et Rev.mum Dominum Florianum Hrebnicki, Archiepiscopum Polocensem, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. - Quo decreto publicato, Ill.mus Electus electionem sui in Metropolitanum humiliter acceptavit, et omnes Electores, facta eidem congratulatione, apertis Ecclesiae ianuis hymnum Ambrosianum: Te Deum laudamus - idiomate sclavonico, decantarunt. In maiorem autem fidem electionem huiusmodi, iidem qui supra Ill.mi Electores manibus propriis subscripserunt,⁴⁷ ut sequitur: Ita est Theophilus Godebski, Protothronius totius Russiae, Episcopus Vlad. et Brest. (mpr); Theodosius P. Rudnicki, Episcopus Luc.et Ostr., Exarcha totius Russiae (mpr); Georgius Bulhak, Episcopus Pinscens (mpr); Felicianus Wlodkowicz, Episcopus Chelmen. (mpr); Onuphrius Szumlanski, Episcopus Premislien., Sanocen, et Samborien., Administrat. Leopoliens., Haliciens., Camenecen. (mpr); Polycarpus Mihuniewicz, Ordinis D. Basilii M. Proto Archimandrita (mpr). - Accepto. Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Polocen., Administrator Metropolitae totius Russiae (mp);

Super quibus petitum fuit a me Publico Sacra Autoritate Apostolica Notario infrascripto, ut unum, vel plura conficerem, et extraderem Instrumentum, seu Instrumenta. Acta sunt haec anno, mense, quibus supra. Praesentibus Perill. et Admodum R.ndis Dominis Samuele Ianowski Ord. D. Basilii M. Abbate, et Officiali Grodnensi et Basilio Biesecki, Actuarius Ill.mi Episcopi Wlodimirien., Testibus ad praemissa habitis, rogatis, et requisitis.

Et quia ego Antonius Lewinski, publicus Sacra autoritate Apostolica (f. 221v) Notarius, Actorum Officij Administrativae Leopoliensis, Haliciensis, et Cameneciensis Cancellarius, praemissa sic fieri vidi, et audivi, ideo praesens publicum Instrumentum confeci, illudque, manu licet aliena, mihi tamen bene nota, scriptum, manu mea propria subscripsi signoque, nomine, et cognomine meis, quibus in Instrumentis publicis utor, communivi rogatus, et requisitus.

Idem, qui supra, manu propria.

14.

Novogrodek, 23. VI. 1747.

Refert de sua electione in Metropolitam Kioviensem modumque eius explicat.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 393, fol. 282-82v, 293.

Excellentissime, Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Singularissime.

Provida quia paterna Sanctae Sedis sollicitudo, mediante benigna ac protectionali Excellentiae Vestrae cooperatione in viduatam Roxolanam Ecclesiam derivata, tandem nos ad optatum electionis Metropolitae perduxit terminum, pro quo in diem 19 Junii indicto omnes, nullo excepto, electores apostolico Excellentiae Vestrae zelo succensi Novogrodecum convolarunt,⁴⁸ apostolicis Sanctae Sedis et Excellentiae Ve-

⁴⁷ In nostro instrumento electionis habetur classicum exemplum quomodo tunc temporis adhuc electiones persolvebantur Metropolitanarum, qui modus certo-certius vigentem innuit in Metropolia Kioviensi vigentem innuit.

⁴⁸ Cf. praecedens documentum seu instrumentum electionis.

strae mandatis prompte parituri. Quos licet minae ac terrores qua privati ad singulos, qua publici ad universos per submissam etiam ac si Regiam inhibitionem (cuius copiam Excellentiae Vestrae praesentandam ad Reverendissimum eiusdem Auditorem transmissi) in devia a viis planis impellebant. Plenis tamen apostolico zelo (quem sera etiam memori pectore coram Deo et hominibus depredicabit posteritas) Excellentiae Vestrae literis tam ad me privatim quam ad universum Episcoporum Collegium in communi directis Illustrissimi et Reverendissimi electores animati, viriles resumpserunt animos et caeptum opus concordibus votis peregerunt; hi ne nisi forte minus feliciter, quod tenuitati meae onus hoc Metropolitanum officii imponere confratribus meis in Spiritu Sancto visum fuit. Id certe, sic stantibus rebus, minime acceptandum ducerem, ni supremae Sanctae Sedis Apostolicae et praevalidae Excellentiae Vestrae protectioni tantum confiderem, ut intuitu (f. 282v) obsequendi et prompte obediendi apostolicis Sanctae Sedis et Excellentiae Vestrae mandatis, ad palam iam declaratam ministrorum invidiam, imo ipsius etiam Regiae Maiestatis, vel subrepticie per aliquem obtentas, vel a ministris persuasus in praetacta inhibitione minas minus reflectendo, quam ut me similes terrores a parendo toties intimatis Excellentiae Vestrae mandatis et consiliis averterent, aliis etiam Episcopis non nihil per praemissa terrefactis ad obediendum animos addidi ac conspirantia in me vota electorum humiliter hac unica spe acceptavi, quod Suprema Sanctae Sedis protectio et comperta erga me Excellentiae Vestrae benignitas, summa sua autoritate et incomparabili dexteritate ita hoc negotium electionis toties mihi inculcatum manutenere dignabitur, ut pro bono opere exactae erga Sanctam Sedem et Excellentiam Vestram obedientiae non lapider, et loco ascensus mediante electione residuitas dierum meorum fiat in derisionem adversariis. Molitur enim hoc Reverendissimus Episcopus Luceoriensis,⁴⁹ qui post libere factam et ab eodem manu propria subscriptam electionem non solum recommendatorias electionis literas, dissensionis spiritu ductus, subscribere recusavit, sed etiam obtentum favore sui privilegium (quod tam diu detentum nec extradendum ulterius [f. 293] putabamus) quarta usque post electionem die promulgari et ad Acta Castrensia Novogrodensia porrigi fecit, sicut et privilegium occupatae per eundem Abbatiae Zydyczynensis, post praetensum dicti Episcopi Luceoriensis ascensum in Metropolitanum favore Illustrissimi Episcopi Chelmensis dispositae,⁵⁰ eidem usque Novogrodecum a ministerio transmitti ac hodie in manus eiusdem Illustrissimi Episcopi Chelmensis ultro tradi procuravit. Contra quae, favore peractae electionis et perturbati hierarchici status nostri, unicum praesidium in suprema Sanctae Sedis et Excellentiae Vestrae protectione imploro. Brevi per expediendum consulto unum e Religiosis nostri ad Excellentiam Vestram cum pleniori informatione et opportunis instructionibus ac expeditionibus plura delaturus, nunc in profundissimo cultu maneo.

Excellentissimae, Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
obligatissimus et humilissimus Servus

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocensis, Administrator Metrop. totius
Russiae.

Die 23 Junii 1747. Novogrodeci.

⁴⁹ Theodosius Rudnyckyj (1731-1751).

⁵⁰ Philippus Wolodkovyč (1730-1756), dein Volodimiriensis (1758-1778) et Metropolita Kioviensis (1762-1778).

15.

*Strunie, 13 . VIII . 1748.**Petit Nuntium Apostolicum, ut quaedam secreta sumendae informationes de monasteriis Basilianorum committantur suo Vicario Generali, Jasoni Smogorzewskij.*BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 395-396.Ill.me et Rev.me Domine, Frater et Patrone Colendissime.⁵¹

Pro mea singulari erga Ill.mam et Rev.mam Dominationem Vestram observantia, dandae ab ipsa circa Provincias Basilianas Sacrae Congregationi de Propaganda Fide informationi non inefficax studium meum adiungere vellem; verum cum Ill.ma et Rev.ma Dominatio Vestra secreto ista perfici desideret, in praestando hoc magnam difficultatem praevideo.

Imprimis enim ad deveniendam quantitatem proventum aliarumque importantiarum requiritur inspectio Regestrorum Fundationum, ut sciatur numerus subditorum, necessario debent videri Inventaria, super quibus quo praetextu a Saecularibus Praebyteris secreta in monasteriis indagatio institui possit, non capio.

Si placuerit autem Ill.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae, ut ad hoc obsequium R. Patris Jasonis Smogorzewski, Archidioecesis meae metropolitanae Vicarii Generalis⁵² opera et auxilio utar, illi hoc munus iniungam. Licet enim de Ordine Basiliano sit, spem tamen habeo, quod per tractum visitationis ecclesiarum per archidioecesim sitarum monasteria accendendo, singula secreta et ad vota Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae expiscari poterit. Quapropter suaderem Ill.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae, ut hac de causa pro maiori efficacia eundem R. P. Smogorzewski literis suis convenire dignetur.

Reliquum est, ut Ill.ma et Rev.ma Dominatio Vestra pro certo habeat, me quoque operi huic non defuturum, si quaecunque ab ipsa methodus suggesta fuerit, cui faustissima quaeque praecando, debita veneratione signor

Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

obsequentissimus et devotissimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen.,
nominatus Metrop. totius Russiae (m. p.)

Die 13 Augusti 1748. In Strunie.

16.

*Zyrovyczi, 28 . XI . 1747.**De nominatione ad Metropoliam Kioviensem, nec non de Causa cum PP. Societatis Jesu Polocensibus.*APF, *Scitt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 294-295.

Beatissime Pater, Domine Clementissime.

Si unquam, Beatissime Pater, tentatrix cogitatio meam incensisset mentem supre-

⁵¹ Nuntio Apostolico Varsaviensi, Alberico Archinto (1746- 1754).⁵² Cfr. notam 19.

mis Sanctae et Apostolicae Sedis circa provisionem Christiani Orbis dispositionibus peculiarem Christi Domini (: cuius Sanctitas Vestra in terris Vicarium agit :) non assistere gratiam (: quod tamen secus ego firmiter me credidisse semper et credere profiteor :), exuberanti mihi foret argumento ad hocce credendum facta dispositio circa Ruthenam Ecclesiam, quam suo Governatore destitutam clementissima Sanctitatis Vestrae dignatio, per me administrandam suo voluit imperio. Quando quidem Ruthenae istius Ecclesiae Navicula tum apertis tum abditis per malevolos concitis iactata fluctibus, hodie incomparabili zelo et prudentia Excellentissimi Nuncii Apostolici iam videtur portum ingredi, cum eo deducta sit, ut Serenissimus Poloniarum Rex sua Nominatione favore mei se inclinatum declaraverit.

Talia Dei O. M. (: in cuius manu corda Regum:) opera, et peculiarem Sanctitatis Vestrae erga me licet indignum clementiam, quoties contemplor et plena devotionis gratique animi mente recogito, vix in lacrymas non resolvor, praesertim quoties meis indignis orationibus divinam onero Maiestatem, ut Sanctitatem Vestram pro felicitate Orbis Catholici diu servet incolumem. Verum hac tranquillitate non sinit me plene frui, et non parum amaritudinis infert nova Patrum Societatis relative ad Causam in Urbe agitatam instantia. Cum enim ego tranquillitati meae prospiciens, Causamque principalem quasi deferens, institerim solummodo pro satisfactione decreto in Congregatione Particulari (: cuius olim Sanctitas Vestra dignissimum Assessorem egit :) emanato, quo videlicet dicti Patres stringebantur ad exsolvendam certam summam pro erectione Seminarii (: quod in his partibus, praesertim intra meam Moschoviae contiguam dioecesim Polocen., quam summo opere sit necessarium nemo est qui non novit :) impendendam, tali decreto libenter se parituros P. R. Societatis exhibuerunt in facie dignissimorum (f. 295) Vilnen. Episcopi suique Coadiutoris,⁵³ necnon Episcopi Abalienen. Suffraganei Albae Russiae;⁵⁴ imo convicti quodammodo et permoti iustitia, etiam expensas litis et damna Bonis Mensae meae stante eorundem possessione illata bonificando, ultra summam Decreto praescriptam viginti millia Florenorum Polonicalium in facie eorundem DD. Episcoporum obtulerunt, et solvenda intra breve tempus una cum summa Decreto determinata sponderunt. Hodie porro mutato in peius consilio, dicta et promissa (: praetextu non obtenti super hoc Rev.issimi eorum Generalis consensus :) retractantes, de novo pro retro ponenda Causa principali institerunt. Retropositionem eiusmodi non metuo equidem nec evito, confisus iustitiae, verum in praesenti Ruthenae Ecclesiae statu, praesertim cum Regia autoritate demandata cum Schismaticis immineat Commissio, in qua (: si eam reddere irritam, ut in votis habeo, non valero :) fortiter deludendum erit pro iuribus Unionis pluribusque angar curis, ne res catholica per avulsionem ad Schmaticos plurimarum Parochialium Ecclesiarum et Monasteriorum in Lithuania detrimentum² patiatur. Proinde ad sacros Beatitudinis Vestrae pedes provolutus, eosque filiali teneritudine exosculans, supplico, ut praetensa a Patribus Societatis Causae principalis repositio, ad aliquod tempus, donec videlicet praemissa Ruthenae Ecclesiae negotia fidem et salutem

⁵³ Josephus Sapielha, Episcopus tit. Diocaesariensis. (1737-1754).

⁵⁴ Agitur de Antonio Josepho Zolkowski, Suffraganeo Vilnensi (1744-1763). Erat deputatus Suffraganeus in Districtu Albae Russiae, dioecesis Vilnensis. Cfr. *Hierarchia Catholica*, vol. V pag. 71.

animarum concernentia componantur, prorogetur; metuo enim ne me luctantem cum Schismaticis catholici circumveniant adversarii. Haec vota hasque humiles preces sacris Beatitudinis Vestrae pedibus advolvendo, eosque iterate reverenter exosculans maneo

Beatitudinis Vestrae, Domini mei Clementissimi,

Scabellum peduum et continuus Exorator

FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Polocen., Administr.

Metropoliae totius Russiae (mpr)

Zyroviciis, die 28.7bris 1747.

17.

Varsavia, 20 . VI . 1748.

Professio fidei catholicae novi Metropolitani Kioviensis.

ASV, *Processus consist.*, vol. 136, fol. 327.

EGO Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Polocen., Ep.pus Vitebscen., Mscislavien. Orszanen., et Mohilovien.⁵⁵

Firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et saepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et Vivificantem, Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones, firmissime admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum

⁵⁵ Etiam hic professionem fidei adiunximus, ut omnia documenta huius Metropolitanæ Romæ reperibilia publici faciamus iuris.

olemni administratione recipio, et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo, tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum. EGO idem Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Polocen., spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego infrascriptus supra positam fidei professionem cum sponsione voto ac iuramento in manibus meis de verbo ad verbum emissam ab Ill.mo et Rev.mo Domino Floriano Hrebnicki, Archiepiscopo Polocen etc. Ritus Graeci Unitorum, recepi, vigore Commissionis ab Ill.mo et Rev.mo Domino Alberico Archinto, Archiepiscopo Nicaeno, Nuntio Apostolico in Regno Poloniae etc. in personam mei emanatae, ad hunc actum delegatus et deputatus. In cuius rei fidem manu propria me subscripsi.

Antonius Przeclauski, Ordinis S. Basilii Magni, Abbas Braclaviensis, uti Commissarius Delegatus,

In nomine Domini. Amen. Omnibus et singulis, quorum interest, fidem facio et attestor ego infrascriptus, quod anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Jesu CHRISTI Millesimo septingentesimo quadragésimo octavo, Indictione Romana XL, die vero vigesima mensis Junii, personaliter constitutus Ill.mus et Rev.mus Dominus Florianus Hrebnicki, Archiepiscopus Polocen., coram Perillustri Reverendissimo Domino Antonio Przeclawski, Ordinis S. Basilii Magni Abbate Braclaviens., flexis genibus, et Sacrosanctis Evangeliiis, quae prae manibus habebat, tactis, medio iuramento retropositam fidei professionem de verbo ad verbum, prout iacet, in manibus eiusdem

Perillustris Rev.mi Domini Abbatis Braclavien, ad hunc actum ab Excel.mo, Ill.mo et Rev.mo Domino Alberico Archinto, Archiepiscopo Nicaeno, Nuntio Apostolico in Regno Poloniae, delegati Commissarii emisit, et in locis, ubi nomen eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocen., scriptum est, propria manu scripsit, praesentibus Magnificis Dominis Cleofaso Hlasko, Districtus Pinscen., et Joanne Pawlowski, Districtus Czernihovien. Pocillatoribus, Testibus ad praemissa vocatis, habitis et rogatis. Actum Polociae anno, die et mense quibus supra, et in fidem me subscripsi signoque mei Notariatus publici signavi.

Andreas Wadarski, Viceofficialis et Decanus Cathedralis Vitebscen, Parochus ad Ecclesiam Vitebscen SS. Apostolorum Petri et Pauli, Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius (mp).

(L. S.)

18.

Vilna, 15 . V . 1748.

Petit pro confirmatione apostolica electionis in Metropolitam Kioviensem.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni generali*, vol.738, f. 214-215.

Emin.mi et Rev.mi Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Quandoquidem Misericors et Miserator Dominus mediante suprema in terris Sanctissimi Domini Nostri, Domini mei Clementissimi voluntate Regimini Roxolanae Ecclesiae praeficiendum me voluit, validissima Eminentiarum Vestrarum officia coram Sanctissimo Domino (f. 214v) Nostro interponenda supplex imploro, quatenus in praefato Ecclesiae Roxolanae stallo robore potestatis apostolicae, Bullis videlicet merear solidari.⁵⁶ Meum porro erit studium, ut in hoc gradu constitutus, tanto maiores impendam conatus, ut tum quae manutenendae et promovendae in his partibus Fidei Catholicae tum illa quae devoti (f. 215) et grati erga Eminentias Vestras animi ratio postulabit pro iurata olim in Alumnatu Pontificio fide exacte adimpleam. Et in hoc suavi votorum meorum iugo pro diuturna incolumitate Eminentiarum Vestrarum Divinam Maiestatem exoraturus manebo semper

Eminentiarum Vestrarum

obligatissimus et humilimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Archiepiscopus Poloc.,
Administr. Metropol. totius Russiae (mpr)

Die 15 Maii 1748, Vilnae.

19.

Novogrodek, 14 . II . 1749.

Gratias agit pro confirmatione in Metropolia Kioviensi, transmittitque iuramentum fidelitatis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 375-378.

⁵⁶ Bulla provisionis transmissa fuit tantummodo die 16. XII. 1748; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 112.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Licet si a Proavis et Avisque meis cum sanguine et lacte derivato imbutus fuerim sincera erga Sanctam Sedem devotione, omnigenaque erga Eminentias Vestras utpote sacros eiusdem Principes reverentia, hodie tamen novo me obstringi tum Apostolicae Sedi tum Eminentis Vestris vinculo profiteor, ubi Sanctissimus Dominus Noster, Dominus meus Clementissimus, mediantibus Eminentiarum Vestrarum officiis, universae Roxolanae Ecclesiae regendae me, licet tanto oneri imparem, praeficiendum voluit et praefecit. Ut porro collatis in me beneficiis respondere, quantum in me erit, incipiam, ultra debitae Sanctissimo Domino Nostro fidelitatis iuramentum, Eminentis quoque Vestris debita studiorum ad omnes nutus et usus vota mea pleno gratitudinis insculpo pectori. Interea ubi mearum tenuitatem virium expendo, honorem mihi collatum oneri mihi fore pertimesco, nisi validissimo Eminentiarum Vestrarum patrocinio munitus praeexistam, praesertim in rebus Ecclesiam, meo Regimini concreditam, concernentibus. Qua propter circa profundissimum Eminentiarum Vestrarum cultum enixe supplico, ne in rebus ad Gentem Russiae relatis, (f.375v) (: quas pertractandas inaudio :) aliquid subrepticium in sequelam obliquae vel defectuosae expositionis, me videlicet non admonito, valeat emergere. Cuius beneficii habendi gratia colloco me sub potentissimo Eminentiarum Vestrarum patrocinio, Divinam imploraturus Maiestatem pro faustissimis successibus et diuturna incolumitate.

Die 14 Februarii 1749, Novogrodeci.

Eminentiarum Vestrarum

obsequetissimus et humilimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocen. (mpr).

20.

Novogrodek, 14 . II . 1749.

Litterae gratias actoriae eiusdem argumenti.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol.7, f.376rv.

Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Ille profecto, qui Petrum aquas iussit progredi ventisque imperat, illud per Sanctitatem Vestram, utpote suum in terris Vicarium praestitit, quod Roxolanae Ecclesiae Navicula suo orbata Nauclero, et proinde diversis iactata fluctibus, tandem portum assequi conspicitur, ubi Sanctitas Vestra incomparabili benignitate sua me immeritum illi dirigendae praeficiendum voluit et praefecit. Auspicia igitur concrediti meae tenuitati Regiminis non alia sunt, quam a pleno teneritudinis et reverentiae osculo sacrorum Beatitudinis Vestrae pedum, circa profundissimam gratiarum pro ineffabili erga me indignum bonitate actionem. Audeo profiteri, Beatissime Pater, quod ultra suave vinculum in Juramento fidelitatis (: quod rite expletum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide transmittitur :) me obstringens, quidquid erit in me virium totum id filiali obsequio Sanctae Sedis, omnigenisque Beatitudinis Vestrae nutibus impendere non cunctabor.

(f.376v) Cum porro paterna Sanctitatis Vestrae sollicitudo etiam membrorum Ecclesiae mihi concredita, Abbatum videlicet majori tranquillitati prospicere sibi complaceat audeo, sed non aliter nisi compertae benignitati confisus, Clementissimo Sanctitatis Vestrae Conspectui praesentare vilem sensum meum ad ponentiam de Abbatum in personis subiectione relativum. Dignabitur Sanctitas Vestra pro sua inefabili benignitate indulgere meae filiali fiducia, etsi non adaequatis sensum meum fulcio rationibus, vel oblivionis culpa, vel quod aliorum agendorum mole distrahor, supplere dignabitur de inexhausta bonitatis et potestatis plenitudine, qua mediante Sanctitas Vestra prout esse mihi dedit, ita quod data sit in hoc etiam conservari plurimum confido, Divinam iugiter Maiestatem exoraturus.

Die 14 Febr.1749, Novogrodeci.

Beatitudinis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi

Scabellum pedum et continuus Exorator

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis (mpp).

21.

(Novogrodek), 14 . II . 1749.

Informatio de subiectione personarum Archimandritarum Basilianorum deque iure eos visitandi.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol.7, f.377-378.

Dubium, an Abbates Ordinis S. Basilii Magni
etiam in persona debeant subesse Generali Ordinis? seu potius
Metropolitae totius Russiae?

Saluberrima profecto fuit Sanctissimi Domini Nostri, Domini Mei Clementissimi cogitatio, qua mediante disposuit per suam Decretalem:⁵⁷ « Ut in Monasteriis Abbatialibus Generalis Ordinis omne Jus habeat in Bona Monasterii, atque in Personas Monachorum ». Ex dispositione nimirum eiusmodi exacte prospicitur indemnitati Monasteriorum, ubi singulis annis circa Visitationem Canonicam ipsemet Generalis vel (: quod potissimum sit:) suus Commissarius Calculum repetit proventus et expensarum, et sic facile et celeriter corrigit corrigenda. Ast non minus provide et salubriter in eadem Decretali sancitum legitur: « Ut Metropolitanus in illius Juris, quod in personas Abbatum obtinet, possessione perseveret ». Quandoquidem omne Jus et fas postulat, ut Abbates in persona quemadmodum ab immemorabili suberant immediate Metropolitae (: prout etiam ex Decretis in praefata Decretali citatis colligitur:), ita et in futurum subsint, ex vi considerandorum quae sequuntur: *Imo*. Quia Abbates circa sui promotionem ad Abbacias dimittuntur ab obedientia Generalis, mediante consensu illis dari solito a Generali et Consultoribus; *2do*. Quia iidem Abbates circa sui Benedictionem, qua dimissi iam obedientia Generalis iurant obedientiam immediatam Metropolitae, quae Praxis antiquissima est omnibus nota

⁵⁷ Ut videtur in Decretali « *Inter plures* », de dat .11. V. 1744.

et extra omnem contraversiam; *3tio*. Quia Abbates sunt Infulati, advitales in suis Beneficiis, nimis itaque (f.377v) onerosum et opprobriosum illis foret, a Generali, qui est simplex Monachus, vel a suo Commissario castigari in personis.

Nec potest obiici, quod stante Abbatum in persona exemptione e subditatu Generalis, gravamen Monachis ab Abbate illatum non ita facile emendari possit, si illius cognitio ad Metropolitam deberet deferri. Sciendum quippe est, quod ab anno quo Sanctissimus Dominus Noster super Bona Monasteriorum Abbatialium ius Generalis asseruit, iste cum in persona sua visitare Monasteria ob distantiam locorum et occupationes suas nequeat, Commissariis suis Monachis dare consuevit potestatem visitandi Bona Monasteriorum Abbatialium, eorumque reditus et expensas; Quid itaque officiet! si pari ratione idem Commissarius a Generali designatus accipiet potestatem super personas Abbatum per speciale Instrumentum a Metropolita, quoties opportuerit, dandum. Profecto, hac agendi ratione, et indemnitati Monasteriorum et honestati Abbatialis status providebitur, alioquin durum et intollerabile foret Abbatialem dignitatem ab uno Generalis Commissario, simplici Monacho (: qui subinde infensus esse potest:) pro delictis et demeritis etiam minimis divexari, castigari et prostitui, quin Metropolita vel compati vel succurrere oppressis valeat.

Nec dissonum rationi et iustitiae erit, ut memorati Abbates in vim subiectionis et oneris, quo stringuntur ad dandum Calculum Generali, vel suo Commissario,⁵⁸ imo etiam respondendi in persona accedente (: iuxta superius dicta:) Instrumento Metropolitanae, possint si velint interesse Capitulis Generalibus cum activa (f.378) et passiva voce. Scio equidem plures aetate et laboribus fractos, senio confectos, nec cogituros de interventu Capitulis. Verum si quis eorum interesse velit, summa foret ignominia, si arceretur ab hoc actu, cui multum prodesse potest ex acquisita per longam annorum seriem rerum gerendarum experientia.

Et haec sunt quae pro debita erga Sanctam Sedem fidelitate et reverentia, ac in obsequium supremi imperii, exponit et pro eorum effectu enixe supplicat.

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocen. (mpp).

22.

Vilna, 20 . III . 1749.

Clerum et populum certiorat de suscepto officio Metropolitanato, indicitque preces pro necessitatibus Ecclesiae.

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 395rv.

FLORIANUS HREBNICKI

Dei et Apostolicae Sedis gratia Metropolita Kiioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscesis, Mscislaviensis, Orsanensis,

⁵⁸ Negotium hoc de Archimandritarum subiectione longius per tempus exagitatum fuit; tandem Benedictus PP. XIV suis Litteris: «*Super familiam Domini*», de dat. 30. III. 1756 quaestionem hanc solvit. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II. pag. 161.

Mohiloviensis, Abbas Kijovo-Peczariensis, et Boryso-Hleboviensis Polocensis, solii Pontificii Assistens.

Reverendissimis, Amodum Reverendis, Universo Clero in Archi-Dioecesis nostris existenti Pax Christi, et nostra Archi-pastoralis Benedictio. Certiores vos facimus, quod quando Providentia Divina, per SS.mum Patrem Benedictum XIV, nobis clementer imperantem, munus regendae univesalis Ecclesiae totius Russiae Graeco-Unitae nobis concedere dignata est, Supremo Domino, praefatoque eius in terris Vicario, totius Christianitatis Capiti debitis gratiarum actionibus humillime persolutis, fiduciam grandem, quod nobis vires et aptitudinem necessariam misericorditer impertiri dignabitur, dissimulare non possumus. Desiderando autem obligationes nostras in susceptione Metropolitanae Iurisdictionis totius Russiae publice Sanctae Sedi Romanae iuratas quam perfectissime executioni mandare, quemadmodum totum animum et curas nostras ad augendam sanctam fidem et gloriam Divinam, ad extirpandam (si quae reperitur) morum corruptelam, ad introducenda ea, quae sunt sacris canonibus praescripta, ad ornandas aedes sacras, easque contra omnes insultus muniendas, convertere statuimus; ita, ut in hoc facilius et efficacius progredi possimus, gratiam Spiritus Sancti et auxilium Altissimi per vestras, dilectissimi in Christo filii, orationes humiliter exposcimus; impense commendando, et in virtute sanctae obedientiae praecipiendo, ut per tres menses diebus festis cum Populo ad devotionem congregato, exposito Sanctissimo Sacramento, supplicationibus consuetis pro augenda Sancta Fide Catholica, pro exaltatione Sanctae Ecclesiae, pro felici regimine et dominio Sanctissimi Patris Benedicti XIV, Pontificis Romani, pro felicitibus successibus Serenissimi Monarchae, Domini nostri Clementissimi, cum tota Serenissima sua Familia, pro pace et concordia Principum Christianorum, et ad placandam iram Dei nobis manifeste minitantis, ferventes preces Divinae eius Maiestati praesentatis. (f. 395v) Volumus autem ut haec nostra Archipastoralis pagina per omnes Ecclesias, in Archidioecibus nostris existentes, solito more publicata, et ad valvas Ecclesiarum affixa sit.

Data Vilnae, penes Cathedram nostram Metropolitanam, die 20 Mensis Martii, Anno 1749.

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae,
 Archiepiscopus Polocensis (mpp).
 MARCELLUS WARZACKI, Ord. S. Basilii,
 Ill.mi et Rd.mi Metropolitae
 Auditor Generalis.

23.

Polock. 31 . III . 1749.

Delegat Episcopum Volodimiriensem ad conficiendum Processum informativum et consecrationem Episcopi Leopoliensis, Leonis Szeptyckyj.

INSTRUMENTUM DELEGATIONIS

Florianus Hrebnicki Dei, et Sanctae Apostolicae Sedis Gratia Metropolita Kii-
viensis, Haliciensis, et totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Viteb-
scensis, Miscislaviensis, Oszanensis, Mohiloviensis, Abbas Kijovo-Peczariensis, et Bo-
riso Hlebensis Polocensis, Solii Pontificii Assistsens.

Illustrissimo, et Rndssimo Domino Theophilo de Godziemba Godebski, Episco-
po Vladimiriensi, et Brestensi Prothothronio totius Russiae, officiorum nostrorum
promptitudinem.

Cum primum de Sanctae Sedis Apostolicae benignitate onus gubernandae Hie-
rarchiae Roxolanae ultra merita nostra reverenter suscepimus, urgentissima negotia
ex Archidioecesi Metropolitana ad hanc Polocensem illico nos avocarunt, quibus hic
detenti, Leopoliensis, et Camenecensis Ecclesiarum viduitatem, retardata Bullarum Me-
tropolitanarum expeditione in huc usque protractam,⁵⁹ non sine animi dolore sen-
tientes, difficiliorique ex illis oris praesenti temporum tempestate ad nos accessu am-
plius protrahendam praevidentes, easque ne ex ulteriori mora aliquod detrimentum
patiantur, de proprio, ac legitimo Pastore quantocyus providere cupientes, Illustris-
simam, et Reverendissimam Dominationem Vestram, cuius erga nos benevolentiam
satis perspectam habemus, rogandam, et vigore Bullae Clementis VIII, quae incipit:
« Decet Romanum Pontificem », subdelegandam esse duximus, prouti quidem ro-
gamus, et subdelegamus praesentibus auctoritate nostra Metropolitana, qua in hac
parte de plenitudine Supremi Pastoris fungimur, Illustrissimae et Rnd.mae Domina-
tionis Vestrae communicantes, quatenus Processum de vita, et moribus Reverendis-
simi Patris Don Leonis Szeptycki, Abbatis Mielecensis,⁶⁰ nominati vero Episcopi Leo-
poliensis, et Camenecensis, more et praxi solitis formare, Juramentum fidelitatis et
obedientiae Sanctae Sedis debitum, nobisque tamquam suo immediato Superiori in
Hierarchia nostra praestari solitum recipere, eumque Ritu Orientalis Ecclesiae in Epi-
scopum Leopoliensem et Camenecensem tantum (: Ecclesiam nostram Metropolitanam
Haliciensem nullatenus involvendo: ⁶¹) consecrare possit, ac valeat. Volumus autem, ut
et ipse Consecratus pro sui Canonica Istitutione ad nos recurrat, et circa praefatos

⁵⁹ Bulla provisionis exarata fuit Romae die 16. XII. 1748, sed, ut videtur, non fuit statim
transmissa.

⁶⁰ Leo Ludovicus Szeptycky, Basilianus, Alumnus romanus, nom. Episcopus Leopoliensis
(1749-1779), et Coadiutor Metropoliae Kioviensis (1763-1778), et demum Metropolita Kioviensis
(1778-1779).

⁶¹ De cathedra Haliciensi disputabatur inde ab ipsa unione Eparchiae Leopoliensis tum se-
creta (1677- Episcopi Josephi Szumlanskyj), tum publica (ab an. 1700). Quaestio haec tandem
anno 1807 erectione Metropoliae Haliciensis fuit soluta; ex parte non Unitorum hucusque Metro-
politae Kiovienses etiam titulo gloriantur Haliciensium.

actus agenda in forma officiosa conscribantur eaque ad Curiam nostram Metropolitanam authentica, et obsigillata quamtoctus transmittantur.

Dabantur Polociae, die 31 mensis Martii V.S. 1749 Anno.

(L.S.)

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis
MARCELLUS WARZACKI, O.S.B.M., Curiae Metropolitanæ totius Russiae Auditor.

24.

Minsk, 25 . XI . 1749.

Petit intercessionem Pontificis apud Regem Poloniae, in defensione suae Ecclesiae.

APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia, Rutheni*, vol. 7, f. 425rv.

Beatissime Pater.

Cum recentissimo Serenissimi Regis nostri iussu ⁶² de omnimoda ad respondendum importunis Schismaticorum petitis promptitudine per suos Ministros admovear, incomparabili Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi benignitati confisus, circa profundissima suorum pedum oscula, humillimas meas pro validissima nostri protectione repeto preces. Summam hanc negotii gravitatem vehementissimamque potestatis Moschi apud Rempubicam nostram ⁶³ pro rehabendis ultra trecentis, ex Schismate conversis in Magno Ducatu Lithuaniae intra dioecesim meam sitis Ecclesiis instantiam, non meis viribus, sed suprema Sanctitatis Vestrae autoritate superandam certo spero. Hanc ergo (f.425v) quatenus Sanctitas Vestra, Dominus meus Clementissimus, apud Serenissimum Regem interponere non dedignetur, humillime supplico, Divinamque Maiestatem pro felicissimo et quam diuturno Sanctitatis Vestrae Ecclesiae Sanctae regimine continuo exorans, maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi,

infimus Cliens et continuus Exorator

FLORIANUS, Metropolitane totius Russiae (mpr).

Minsci, die 25 . 9bris, 1749.

25.

(In Russia) 1749.

Responsa et delucidationes Metropolitae Kioviensis ad dubia proposita a Nuntio Apostolico.

APF, *Scrith. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 591 - 600v;

A. G. WELYKYJ, *Congregationes Particulares*, vol. II, Romae 1957, p. 154-158.

⁶² Federicus Augustus III (1733-1763).

⁶³ Hisce temporibus incipit nunquam iam postea intermissa ingerentia Imperii Moscovitici in res religionis Regni Poloniae et Lithuaniae, quae ingerentia tandem ad suppressionem Regni Poloniae conduxit (an. 1772, 1793, 1795).

Dubia ab Excell.mo Nuntio Apostolico Metropolitae
totius Russiae in anno 1749 ad resolvendum missa.

— Resolutiones ad haec puncta Floriani Metropolitae totius Russiae Excell.mo Nuntio Ap. in anno 1749 Dresdam trasmitta.⁶⁴

1. — An usus Saccosii in Sacrificio Missae soli Archiepiscopo Metropolitano, et Episcopo Vladimiriensi permissus sit, et an in aliena Dioecesi quis eo uti possit?

Ad 1. — In istius quaesiti solutione aliorum (ne pro domo mea Orator videar), qui iam a multis annis circa haec et alia quaesita sensum suum Sacrae Congregationi aperuerant, sequor mentem, nempe quod soli Metropolitano usus Saccosii competat, tum Episcopo Vladimiriensi in sua propria Dioecesi tamquam Protothronio, videlicet primo a Metropolitani throno, tanto magis quod eidem suffragatur Bulla Clementis VIII.⁶⁵ Ceteros vero Archiepiscopos posse et debere uti Saccosio, et dubium et ipsa consuetudo orientalis et suadet et docet. Hodierna praxis eiusmodi est, ut Metropolitanus semper et ubique non alio in Sacris utatur apparatu, quam Saccosio; alii Archiepiscopi, et Episcopus etiam Vladimiriensis, qua Protothronius Russiae, sine ulla controversia, in propria respective Dioecesi dicto Saccosio utuntur, secus vero in aliis a quo de iure id permittatur. Ex aliis Episcopis nullus est qui Saccosio utatur, aut quem id praetendere audiam.⁶⁶

2. — An, et cui Archiepiscopo et Episcopo Ritus Rutheni supra alium Archiepiscopum praecedentia (f. 596v) in publicis functionibus debeatur?

Ad 2. — Vladimiriensi Episcopo praecedentiam nemo inficiabitur, cum suus Episcopatus sola Metropolitana Cathedra erectione sit posterior, reliqui vero Episcopatus cum pari erectionis ad Episcopatum beneficio praecedentia sortiantur necesse est, eo nihilominus servato, ut Archiepiscopi praecedant Episcopis. Verum quidem est, Episcopum Vladimiriensem, qua Protothronium, et Episcopum Luceoriensem, qua Exarcham,⁶⁷ praecedentiam ante Archiepiscopos praetendere. Sic mihi ipsi in Synodo Zamosciana ob reverentiam senectutis Episcopi Luceoriensis post eum subscribere contigit, salva nihilominus decisione S. Sedis, ut videre est inter dictas subscriptiones; quare si quod ius praecedendi habeat, S. Sedem informare tenentur.

3. — An iidem Archiepiscopi et Episcopi pro collatione Beneficiorum quidquam praetendere possint, aut recipere licite.

⁶⁴ Nuntius Apostolicus Albericus Archinto (1746-1754); hic saepe saepius Dresdae, in Saxonia, commorabatur, ubi tunc temporis Aula Regis Poloniae Federici Augusti III (1733-1763) inveniebatur.

⁶⁵ Cfr. *Document Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 269, nr. 153, de dat. 26. II. 1596.

⁶⁶ Clemens PP. VIII concessit idem privilegium etiam Episcopo Cyrillo Terleckyj, Legato romano Hierarchiae ruthenae. Cfr. *IBIDEM*, pag. 270, nr. 154.

⁶⁷ Nominatus Exarchus a Patriarcha Constantinopolitano Hieremia II (an. 1588), cum amplissimis privilegiis et facultatibus. Etiamsi hoc privilegium personale considerari debet, tamen successores eius hoc titulo condecorabantur.

Ad 3. — Pro collatione Sacrorum Ordinum (si in puncto tertio quaesitorum talis intelligi deberet) aliquid ab Episcopis praetendi difforme est veritati suppositum. Verum cum Ordinandi ab Episcopis Ruthenis passim inopes et rudes sint, et priusquam Ordines Sacros suscipiant, aliquot mensibus in defectu Seminariorum in Aula commorentur, ut scienda cura et instructione Auditoris, praesertim circa Sacramentorum administrationem, addiscant; ita porro commorantes, non solum libris et apparatu ecclesiastico Sacristiae Episcopalis sumptu comparatis utuntur, verum etiam ex Mensa Archiepiscopali passim vincititando, in recompensam autem horum omnium proportionate (f. 597) aliquot scuta, eaque pauca ad Aerarium Sacristiae Episcopalis conferunt.⁶⁸ Si vero extra collationem Sacrorum Ordinum aliquod Beneficium ab Episcopis Ruthenis confertur, profecto pro iuribus Cancellariae, tum ex praescripto Synodi Zamoscianaee, tum ex solita in utroque Ritu praxi ubique vigente satisfieri solet.

4. — An in Sacris Ordinibus conferendis Interstitia servare teneantur?

Ad 4. — Interstitia ad mentem Synodi Zamoscianaee servanda censentur sufficere. Quatuor autem temporum in Ecclesia Ruthena nequit esse observatio; cum enim ruthena Beneficia rarissime Vicariatus, Commendas, et Altarias habeant, Rutheni Episcopi una et simul ordinare, et ordinatis Beneficia conferre tenentur; alioquin cum ingenti animarum reali damno, nedum incommodo, Beneficia diu vacare deberent. Interstitia in collatione Sacrorum Ordinum iuxta eiusdem Synodi Sancita etiam cum Monachis Basilianis servantur; Urgente tamen necessitate, ad facultates de benigne S. Sedis concedi nobis solitas recursimus.

5. — An Monialibus sibi subiectis licentiam dare possint exeundi ad tempus ex Monasterio, concurrentibus iustis et rationabilibus causis?

Ad 5. — Potestati et prudentiae Episcopum relinquendi casus, in quibus cum licentia eorum Moniales extra claustra exire possint; dentur enim nonnulli casus, praesertim pro Monialibus bona immobilia possidentibus, quales sunt Basilianaee, ut necessario exire debeant extra claustra; Quod etiam cum Monialibus Latini Ritus per totum Regnum passim practicatur.

6. — An, et quomodo consulendum sit controversiis inter praefatos Archiepiscopos et Episcopos vertentibus ratione limitum et territorii propriarum Dioecesium?

Ad 6. — Limites Episcopatum non posse regulari limitibus Provinciarum plus quam certum est, quia Gnesnensis Archiepiscopus, Primas Poloniae, habet Ecclesias sui iuris in Silesia, e converso Episcopus Vratislaviensis in Polonia, et Vlnensis, qui est Lithuanus, habet Ecclesias in Podlachia, Provincia Poloniae. Verum si quis Episcoporum Ruthenorum habet peculiare rationes conquerendi, liceat ipsi iure

⁶⁸ Revera plurima per saecula deerant Seminaria eparchialia in Ecclesia Unita; exinde candidati ad praesbyteratum, maxima ex parte filii sacerdotum-parochorum, hoc modo ad statum clericalem promovebantur. Quamdā tamen praeparationem practicā iam a suis parentibus habebant.

experiri coram Metropolitano, salva appellatione ad D. Nuntium, et S. Sedem. Tutius tamen quemque penes antiquas Ecclesias, sive via apostolatus acquisitas, manutenere, et cunctas hac in re controversias in Congressu Episcoporum sopire, ac pro confirmatione S. Sedi supplicare.

7. — An annuendum sit votis petentium sibi permitti translationem B. Martyris Josaphat ad diem Dominicum, post 20 mensis Septembris?

Ad 7. — Justissimas hoc in puncto renovat Unita Russia preces, ea ratione, quod diebus feriatis in oppidis minoribus et pagis vulgus opere servili distractus devotioni non assisteret.⁶⁹

8. — An, et quomodo providendum sit, ut in Collegio Graeco Almae Urbis, et in Collegio Pragensi aliqua constituentur loca pro Clericis saecularibus Ruthenis edocendis?

Ad 8. — Resolutum Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide usque de anno 1624, die 30 Aprilis emanato, quod incipit: — Petenti Archiepiscopo Kyovien. — solummodo benignam exequutionem unita Russia humillime supplicat, ita tamen, ut in Collegiis Pontificiis educandi, in Kyoviensi, Polocensi, Pinscensi Dioecesis, ubi nulla prorsus reperiuntur Seminaria, promovendae Fidei Sanctae, (f. 598) et ecclesiasticae disciplinae serio incumbant.

9. — An Clero Rutheni Ritus danda sit facultas, ut omisso proprio, Latinorum Kalendarium sequi possint?

Ad 9. — Optimum foret sequi Latinum Kalendarium, at pro priori ad eius acceptationem vulgus oporteret disponere, ne praetextu novitatis, scandali occasione nanciscatur. Moscovia quoque, quae nobis a tergo est, habenda prae oculis, et multum timenda. Interim ne diebus saltem solemnioribus veteris et novi Kalendarii servilia ab hominibus utriusque Ritus exerceantur, inhibendum omnino videtur.

10. — An Monachi S. Basilii, cum propter incorrigibiles eorum mores e Religione eiiciuntur, sumptibus eiusdem Religionis ali et sustentari debeant?

Ad 10. — Quamvis rarissime et ferme numquam id contingat in Ordine Basilianorum, ille tamen regulatur ad tramites Sacrorum Canonum pro eiusmodi casibus praescriptorum, ac etiam ceterarum Religionum praxim intuetur.

11. — An Monachi eiusdem Ordinis, ac Parochi Rutheni Ritus Horas Canonicas, et quas, sub peccato mortali recitare teneantur?

Ad 11. — Quoad Monachos nullum est dubium, quod isti Horas Canonicas recitare teneantur, et recitant; quoad Presbyteros saeculares sufficit resolutio Synodi Zamosciana ad casum sancita.

12. — An ex assistentia, quam Parochi matrimoniis praestant, quidquam praetendere aut recipere licite possint?

⁶⁹ Translatio haec locum habuit usque ad novissima tempora.

Ad 12. — Circa hoc eadem praxis a Parochis Polono Latinis bene dotatis, et a Ruthenis pauperibus aequi servatur, et servabitur, videlicet quod Parochi pro incommodo circa assistentiam habito, munus aliquod pro contrahentium liberalitate oblatum recipiant, tum quia huius Sacramenti non sunt Ministri, tum quia dempto Ruthenis (f. 598) tali usitato honorario, modus honestae sustentationis obsummanı Beneficiorum tenuitatem profecto subtraheretur.

13. — An Confessarii Rutheni excipere possunt Confessiones Christifidelium latinorum?

Ad 13. — Potissimum est Unionis Ruthenorum cum S. Romana Ecclesia vinculum, quod Confessarii Rutheni latinorum et Latini ruthenorum Fidelium Confessiones excipiant; quod prudentissime S. Sedes considerans, ut Rutheni Latinorum, et e converso, Confessiones exciperent, plurimis cavit Decretis, praesertim sub die prima Iunii 1622, in Sacra Congregatione de Propaganda Fide emanato. Caeterum si praeter hanc facultatem altera ab Episcopis Polono-Latinis superest petenda, vel S. Sedes in dicto suo Decreto Ruthenis nihil praestitit, vel Sacerdotes latini pro facultate excipiendi Confessiones Christifidelium ruthenorum ad Episcopos ruthenos similiter recurrant necesse est.

14. — An in Sacramento Extremae Unctionis quilibet Parochus infirmum ungere debeat cum prolatione formae?

Ad 14. — Necessaria ab immemorabili consuetudo in Russia invaluit, ut unus Presbyter ad instar Latinorum extremae Unctionis Sacramentum administret; non enim suppetit Presbyterorum copia pro more Graecorum. Statutum Zamosciense hac in re est observandum.⁷⁰

15. — An Sacerdotes latini in Ruthenorum ecclesiis celebrantes, loco Portatilis Antimensibus ruthenis uti possint?

Ad 15. — Nihil videtur deesse Antimensibus, quin loco Portatilis sint etiam pro usu Latinorum in ecclesiis ruthenis celebrantium, quemadmodum Rutheni celebrare in Portatili non cunctantur; (f. 599) imo pro maiori Unionis et concordiae cum Ecclesia Latina signo declarandum esset,⁷¹ quod Rutheni in Portatili, lapideam sepulchrum Christi denotante et Latini in Antimensibus, Syndonem, quo Christi corpus in sepulchro fuit involutum, figurantibus, celebrare libere et licite possint, licet et impraesentiarum Latini in Antimensibus celebrare non detrectant.

16. — An Sacra Comunione Latini Ritus deficiente, administrari possit in Rutheno Latinis in extremis laborantibus?

Ad 16. — An sit melius animas viatico secundum Rıtum Graecum munitas, vel prorsus sine viatico, in quocumque Rıtu administrando, de hac vita decedere? Altissimo iudicio Superiorum relinquitur. Interim unita Russia expetit, ut si Parochis

⁷⁰ De anno 1720, tit. III: De Sacramentis, 6.

⁷¹ Declaratum fuit revera sub dat. 29. III. 1751. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 121, nr. 722.

latinis licebit administrare suo Ritu Viaticum agonizantibus Ruthenis, administretur Latinis agonizantibus, ad magis firmandam Unionem rituum.

17. — An, et sub quibus poenis praecipendum sit Parochis utriusque Ritus, ut excommunicatos ab Ordinariis alterutrius Ritus in propriis ecclesiis, licet diversi Ritus, publice denuncient?

Ad 17. — Nihil iustius; poena autem maneat eadem Parochum uniuscuiusque ritus, sub qua denuntiatio excommunicati a proprii Ritus Episcopo demandabitur.

18. — An Parochi et Monachi Rutheni teneantur interesse Processionibus a Latinis fieri solitis, et easdem Latinorum Processiones in propriis Ecclesiis excipere?

Ad 18. — Hoc dependet a mutuo charitatis et contententiae officio, sine uniuscuiusque iurisdictionis laesione.

19. — An et sub quibus poenis inhibendum sit Ruthenis, ut ultimis diebus Hebdomadae Sanctae (f. 599v) abstineant a pulsu campanarum; et quomodo provideri debeat, ne diebus festis mercatus aut nundinae habeantur, vel servilia opera exercentur?

Ad 19. — Simpliciter nequit inhiberi Ruthenis ut abstineant a pulsu campanarum quoties eorum Ritus ceremoniae, et incidentium festivitatum ratio id voluerit; ultra quae quod enim praetensa inibitio esset contra antiquissimam illius gentis (quae incola est, non advena) libertatem et praxim nulla ratione solida reprobendam, esset quoque contra Bullam Unionis, aliasque Summorum Pontificum libertates, ritus ceremonias servatum iri declarantium. Quoad mercatus et nundinas, regiae potestatis est, qua mediante indictae sunt nundinae tum festis Ruthenorum, tum Latinorum promiscue, ut patet ex elencho nundinarum, ad calcem Calendarii singulis annis imprimi typis soliti apposito.

20. — An Archiepiscopis et Episcopis latinis licitum sit ingredi cum Cruce erecta ecclesias Ruthenorum, vel in iisdem absque facultate Ordinarii rutheni pontificaliter celebrare?

Ad 20. — Istud quoque pendet a mutua charitate Episcoporum, ita ut si Archiepiscopi et Episcopi polono-latini sinant Archiepiscopos et Episcopos ruthenos ingredi ecclesias Latinorum cum Cruce elevata (quemadmodum tum Primas Regni, Archiepiscopus Gnesnesis, tum Posnaniensis Episcopus, qua loci Ordinarius, de anno 1736, siverunt Metropolitanum Russiae ⁷² ingredi ecclesiam Collegiatam Varsaviensem cum erecta Cruce ibique pontificaliter celebrare, tum etiam Episcopus Vilmensis ⁷³ moderno Metropolitanæ Russiae per totam suam Dioecesi eidem ipsi libenter permisit) minime dubitandum quin etiam Archiepiscopi et Episcopi rutheni mutua charitatis officia exercent.

21. — (f. 600) An iidem Archiepiscopi, et Episcopi ius habeant visitandi Ecclesias Ruthenorum?

⁷² Athanasius Szeptyckij (1729-1746).

⁷³ Floriano Hrebnyckij (1748-1762). Episcopus Vilmensis Michael Zienkowicz (1729-1762).

Ad 21. — In messem alienam falcem immittere est contra Evangelium; Bulla SS.mi Domini Nostri Pii IV, et Instructio SS.mi Domini Nostri Clementis VIII, emanarunt pro Siculis, Calabris, ceterisque Graecis schismata seditionesque cientibus cum Graecis in Turcia degentibus, imo fortasse cum ipsis Turcis, de everione Latinorum illis in partibus clanculum conferentibus. Rutheni porro cum habeant Archiepiscopos et Episcopos Ecclesiae praeseferentes maiestatem, ac a centuria ad quingentos non tam pro fide, quam pro Unione et Universali gregis Christiani Pastore, Coelo dederint Martyres, ut videre est in Actis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide; cumque sint non advenae, quemadmodum Armeni, sed nativi in hoc Regno et Magno Ducatu Lithuaniae a millenis avis et avisque nobiles incolae,⁷⁴ in Sacris Canonibus et ecclesiastica disciplina a iuventute optime educati et versati, integritatem fidei et Patriae, aequae ac Episcopi latini cordi habentes, nec sperant Episcoporum polono-latinorum antiquiores et iam mortuos sensus visitandi ecclesias ruthenas amplius posse suscitari, nec credunt ecclesias Ruthenorum unitas, per depressiones similes et oppressiones, praedominia denotantes, publicae derisioni Schismaticorum, Lutheranorum, Calvinistarum ipsorumque Iudaeorum, quibus in exercendis ritibus libertas in hoc Regno (f. 600v) publica lege cauta est, velle esponi, imo cuiuslibet similes zizzanias seminantis malitiosum pruritus monitis Sedis Ap. reprobandum eo fortius exspectat, quo certius haereticos, et ipsos infideles in libertate suarum ceremoniarum magis in dies posse superbire, sicque eos multo feliciores Ruthenis unitis praevidet.

22. — An Rutheni abligantur ad solvendum Decimas Parochis latinis, a quibus Sacramenta non suscipiunt?

Ad 22. — Decimae sunt institutae operariis, iuxta illud Numer. 18: Pretium est pro ministerio, quo servitis pro Tabernaculo Testamenti, et paulo ante: fillis Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quia serviunt mihi in Tabernaculo Foederis - Cum itaque Parochi Latini Ritus nulla spiritualia praestent officia Ruthenis, non est cur eis indebitas Decimas solvere obligentur. Exstant in hac materia tum Decreta Romana Ruthenis iustitiam praestantia, praesertim bon. mem. Jacobo Susza, Episcopo Chelmen., Rutheno agente,⁷⁵ tum Diploma Leonis Ducis Russiae Haereditarii, a conditione mundi anno 6809, die Jovis, mensis Martii octava die, Haliciae emanatum, ac a Serenissimo Stephano Bathoro, Rege Poloniarum, Vasaviae in Comitibus Generalibus anno 1581, die 31 mensis Januarii confirmatum,⁷⁶ etc...

⁷⁴ Agitur de Ucraina praesertim occidentali et Volhynia, terra populi ucrainici, quae in dominio erat polonorum iure belli inde ab anno 1340 circa.

⁷⁵ Episcopus Chelmenensis Jacobus Susza (1652-1685); hic annis 1664-1665 Romae commorando negotium hoc promovebat et Decretum obtinuit. Causa tamen haec Romae iam inde ab anno 1643 agitabatur, promovente euis praedecessore, Methodio Terleckyj, Episcopo Chelmenensi (1630-1648).

⁷⁶ Leo, Rex Haliciae (1264-1301). Stephanus Bathory, Rex Poloniae (1575-1586).

26.

Polock, 10 . XI . 1750.

Petit, ut sibi concedatur facultas convocandi aliunde, ac loco stabilito, Capitulum generale Basilianorum, ut possit ipse in persona eidem Capitulo praesedere.

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 509-510

Excellentissime, Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

Quae in Capitulo primo generali Basiliano sub assistentia Apostolica Ill.mi Domini de Lascaris, Episcopi Zenopolitani,⁷⁷ anno 1743 Dubnae celebrato, constituta sunt, maiori qua possum cura et sollicitudine observare, observarique studeo, nihilque illorum absque Sanctae Sedis Apostolicae voluntate immutare me posse clarissimum habeo. Cum vero Capitulum generale anno proxime futuro diebus aestivis omnino Brestae aut Biallae, et non alibi, ut annexum folium ostendit celebrandum immineat, aetasve mea multum ingravescens penes intolerabiles pedum dolores tam longum iter ultra centum milliarum non mihi possibile permittat, aliquem ex meis DD. Episcopis (: quod praedicta Statuta licitum liberumque mihi relinquere:) in locum meum pro Capitulari Praeside deligere tempestive meditabar. Verum pensatis pensandis, poenitiusque examinata (f. 509v) quadam profecto dolenda Monachorum ad Episcopos diffidentia ita, ut una Provincia aliquos, altera reliquos Antistites Ruthenos, nescio an iuste, horreat, nichilque boni, ut subaudio, sub uniuscuiusque ipsorum Praesidentia posse concludi atque statui putet, abstineo me tantisper ab ulteriori cogitatu quempiam in locum mei delegandi, imo praesentia mea Monachorum votis pro modulo meo prodesse, Episcoporumque odiis, quae emulationis causa facile concitanda praevidentur, occurrere summopere cupiens, firmiter mecum constitui supplicandum esse, uti instantissime Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae supplico quatenus ea qua semper solet me prosequi benevolentia, dignetur a Sancta Sede Apostolica conciliare mihi facultatem, pro hac sola vice, celebrandi imminens Capitulum generale Basilianum in Civitate Novogrodensi, ubi et ultima Metropolitana electio, (f. 510) peracta fuit,⁷⁸ et Monasterium Basilianorum ad Cathedram meam reperitur. Hanc itaque Sanctae Sedis facultatem, uti validissimis Excellentiae Vestrae officiis, quae humillime imploro, facile consequendam, mihiq; ad effectum tempestivae pro solito Intimationis, ante mensem Aprilis transmittendam, polliceor, sic eandem viis secretissimis curandam inde vel maxime desidero, quod ea extra statum praesentis infirmitatis meae minime uti vellem. Quod superest, omnia fausta Excellentiae Vestrae a Deo precor, meque singularissimae eius benevolentiae, et protectioni commendo, manens cultu reverentissimo

Excellentissimae, Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

obligatissimus et humil.mus Servus

FLOR. HREBNICKI, Metropolit. totius Russiae,
Archiep. Polocensis (mpr)

Die 10 . 9bris 1750, Polociae.

⁷⁷ Theatinus, Rector Collegii Leopoliensis (1738-1741), dein Episcopus Zenopolitanus, Rerum orientalium, praesertim ruthenarum peritus et Sedis Apostolicae consultor.

⁷⁸ Cfr. Actum electionis supra, nr. 13.

27.

Polock, 21 . I . 1751.

*Petit pro translatione loci Capituli Basilianorum.*APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 519rv.

Excellentissime, Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.⁷⁹

Labente iam post celebratum ultimum Monachorum Basilianorum Capitulum quadriennio,⁸⁰ atque imminente novi Capituli generalis hoc anno celebrandi tempore, Rev.mus Generalis duos ex utraque Provincia Basilianae Religionis generales Consultores, qui plena potestate instructi, mecum locum et tempus dicti Capituli pro more statuerent, ac definirent, delegavit. Cum autem praedicti Patres meam longinquorum conficiendorum itinerum facile intellexissent impotentiam, eam rationem ineundam mecum concordarunt, ut potius in viciniis alicubi (:Novogrodeci scilicet:), quo me conferre possem imminens Capitulum, me Praeside, celebraretur, quam, servato praestituto pro celebrandis Capitulis Brestae vel Bialae loco, alium aliquem in Praesidem Capituli deligerem, quod cum urgentissime postulassent, id a me in consiliis retulerunt, quatenus ad (f. 519v) Excellentiam Vestram recurrant, gravissimaque eius officia apud Sedem Apostolicam pro obtinenda super hoc puncto dispensatione implorent. Horum desideriiis in annexa epistola expositis, ego quoque meas supplices adiungo preces, ipseque paratissimo ad quaevis obsequia animo permaneo

Excellentissimae, Ill.mae et Rev.mae Dom.nis Vestrae

oblig.mus et humil.mus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Metrop. tot. Russiae,
Archiepiscopus Polocensis (mpp).

Polociae, die 24 Januarii 1751.

28.

Polock, 3 . II . 1751.

*Cardinali, ut videtur, Praefecto de Prop. Fide, de assumendo sibi Coadiutorem cum futura successione.*ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 260, fol. 53-54.

(Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, Domine Colendissime).

Universa Respublica, quae Christo eiusque Vicario salutarem devotionem profitetur, Vestrae etiam Eminentiae, quam Sanctissimus Dominus, Dominus meus Clementissimus, in magnam sollicitudinis suae partem assumpsit devinctam se esse sentiat est necesse. Mihi equidem in Ecclesia Dei Archiepiscoporum minimo a solio Beatitudinis Suae nec non ab Augusto Eminentiae Vestrae conspectu longo terrarum tractu dissito, non facilis accessus et optata ad benemerendum de Eminentia Vestra

⁷⁹ Videtur Nuntio Apostolico Varsaviensi, Alberico Archinto (1746-1754).

⁸⁰ Anno 1747, s. d. Berestense I.

patet occasio, verum ex publica omnium (quibus recurrendi ad Eminentiam Vestram sors beata obtigit) confessione edoceor, ac certissimus fio, neminem non consolatum abiisse.

Eum in modum celebrata Eminentiae Vestrae clementia, gravissimumque clientum suorum patrocinium, me quoque licet immeritum animo in eam spem erigit, ut circa devotissimum sacrae purpurea osculum humiles praeces meas Eminentiae Vestrae afferre audeam. Aliquot ante annos placuerat Sanctissimo Domino Nostro, Domino meo Clementissimo, peculiari Eminentiae Vestrae patrocinio et voto (quod mihi manet alta mente repostum) contulisse mihi regimen Ecclesiae (f. 53v) Metropolitanae totius Russiae, tanto honori et oneri, quantum in me erat, divina auxiliante gratia respondere studui eo usque. Cum porro ad praesens diversis infirmitatibus et praesertim ingravescente in dies pedum aegritudine detinear, quin aliquas valeam officii mei, praecipue in distantibus hinc ultra centum leucas Dioecesis meae Metropolitanae locis partes adimplere, ea de causa continuis conscientiae meae remorsibus exagitor, magisque anxietate et aegritudine animi, quam ipsamet infirmitate corporis atteror et contabesco. Quoties enim pastoralis vigilantiae conscientiam stringentia expendo onera, quibus me ob memoratam aegritudinem sustinendis imparem agnosco, toties gravissimo animi dolore corripior, praesertim attento non vano metu, ne oves meae ab oculis meis dissitae in tentationem audiendae vocis pseudopastorum Schismaticorum inducantur. Dolendo autem eiusmodi vitae meae et periculoso ovium mearum statu, aliud levamen et remedium non invenio, quam si mediante validissimo Eminentiae Vestrae patrocinio Sanctissimus Dominus Noster indulgere dignaretur mihi, praemissis praemittendis, assumendum cum futura (f. 54) successione Metropoliae Coadiutorem ab eodem Sanctissimo Domino Nostro approbandum.⁸¹ Ille enim, quas ego non valerem partes et vices meas adimpleret, meque ab angoribus liberato, oves mihi concreditas in dissitis regionibus in partem pastoralis vigilantiae et sollicitudinis assumptus a prava infectione custodiret. Cum autem prosperum votorum meorum successum non aliter, nisi validissimo Eminentiae Vestrae patrocinio fretus obtinendum existimem, non alio proinde confugiendum mihi intelligo, nisi ad compertam Eminentiae Vestrae benignitatem et clementiam, confidens fore, ut eius ope hanc pernecessariam non modo mihi, verum integrae Orthodoxae Russiae gratiam facile consequar. Cuius vivam moriarque non immemor, et circa debita grati animi obsequia Divinam exorabo Maiestatem pro faustissimis successibus.

Eminentiae Vestrae, benefactoris singularissimi devotissimus et humillimus servus

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius
Russiae, Archiepiscopus Polocensis (m. p.)

Polociae, die 3 Februarii 1751.

⁸¹ Coadiutor hic erat Episcopus Chelmensis, Felicianus Wołodkovycz (1730-1756), dein Volodimiriensis (1758-1778), et Metropolita Kioviensis (1762-1778).

29.

*Strunie, 31 . III . 1751.**Pro decidenda Causa bonorum cum Patribus Soc. Jesu Polocensibus, ne ex hac ratione scandalum oriatur Schismaticorum.*ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 260, fol. 239-39v.

(Ill.me, Excel.me et Rev.me Domine, Domine Colendissime).

Validissimum Eminentiae Vestrae patrociniū reputans inter praecipua negotiorum meorum, in quibus ad Sanctissimum Dominum Nostrum, Dominum meum Clementissimum, recurro momenta, modo etiam ubi ad vindicanda Dioeceseos meae Ecclesiarum omnibus bonis a Rege Stephano Battoreo favore Patrum Societatis Jesu spoliatarum iura me accingo, ad compertam singularissimam Eminentiae Vestrae benevolentiam confugio. Cum enim statim ab exordio muneris mei episcopalis⁸² non alium ad finem hoc arduum difficillimumque cum Patribus adversariis certamen instituerim, nisi ut aeternae salutis animarum meae vigilantiae commissarum, ob summam vero beneficiorum inopiam idoneis destitutarum pastoribus, quantum officii mei ratio postulat, providerem. Hinc ea vel maxime de causa Eminentiam Vestram, acerrimum iustitiae mihi suffragantis vindicem, fore confido, quod existimem, nunquam pro suo incomparabili erga salutem animarum zelo passuram, ut cum evidenti animarum discrimine, atque Schismaticorum (quos sinistra Orthodoxorum Ruthenorum in hac causa fortuna in antiquo errore (f. 239v) et duritie cordis vel maxime confirmaret) scandalo, Patres adversarii victoria, quam a tot annis iam canunt, ex profligata malis artibus iustitia potiantur. Susceptum profecto ab Eminentia Vestra huius causae patrociniū non modo aeterna praestantium afflictis misericordiam praemia cumulabit, verum etiam augustum, totque titulis celeberrimum Eminentiae Vestrae nomen in his remotissimis partibus depraedicabit aeternum. Ego vero innumeris gratitudinis vinculis obstrictus, promptissimis ad quaevis imperia obsequiis testatum efficiam, quam intima animi devotione sim

Eminentiae Vestrae devotissimus et humillimus Servus

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis (m. p.)

Die 31 Martii 1751, in Strunie.

30.

*Polock, 3 . XI . 1751.**Querelae Metropolitae de attentatis PP. Basilianorum in suam auctoritatem metropoliticam et privilegia, modoque speciali quoad institutionem Episcoporum.*APF, *Seritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1750-52, vol. 114, f. 312-313.

⁸² Inde ab anno 1716; de causa haec agebatur Romae annis praesertim 1727-1730; qua de causa Hrebnyckyj in persona Romam venit.

Copia Litterarum D. Metropolitanum totius Russiae ad Archiepiscopum Nicaenum, Nuntium Apostolicum in Regno Poloniae.⁸³

Ill.me et Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.

Post gravissimam sex septimanarum infirmitatem meam nunc primo convalescere incipiens, recepi Acta Capituli Generalis,⁸⁴ non ita pridem sub Rev.mo Episcopo Vladimiriensi,⁸⁵ a me Delagato Praeside, Brestae celebrati, ex quibus satis clare constat, primores numero quidem paucissimos, natura tamen turbulentissimos familiae Basilianae Patres (caeteri enim alto ipsorum percussi imperio obtemperant eorundem voluntati) ad eam devenisse arrogantiam, ut ipsorum cordibus sit, nedum Metropolitanam auctoritatem calcare, verum etiam Serenissimi Regis Jura Maiestatica laedere, imo et S. Sedis Apostolicae mandata eludere.

Quantum Metropolitanum attinet auctoritatem, non dubitarunt praedicti PP. sub quaesito colore, nescio qua fronte, qua conscientia, quoque iure, eam oppugnare, et R.mum Episcopum Vladimiriensem a delegata Praesidentia Capitulari tot tam laesivis verbis, et nunquam solitis protestationibus retrudere, ac si mei iuris non esset aliquem loco mei in Praesidem Capituli delegare, aut ipsorum esset potestatis de meis iuribus quidquam decernere. Unde Ill.ma et Rev.ma D.V. facile intelliget, quae pax interna Russiae, quae boni ordinis institutio speranda remanet, ubi Capitulares suum Praesidem verbis minus modestis affligunt, eumque ad parendum suis quibusvis placitis stringere conantur, in eam spem elati, quod S. Sedes singula eorum gesta iustitiae, et aequitati dissona, sub optima tamen boni publici specie repraesentari solita, probare non dubitabit.

Haec praedictorum PP. molimina non amplius toleranda ex eo clare dignoscuntur, quod calcatis iuribus suorum Metropolitanarum, etiam adversus Regiam Maiestatem non sine palpabili (f. 312v) temeritatis nota insurgunt; dum suis ineptis Constitutionibus libertatem Regiam, quoad conferenda Beneficia Ruthena circumscribere arbitrati sunt, cupientes summopere se posse promoveri ad illas Ecclesiae Ruthenae dignitates, a quibus consequendis lege patriae publica arcentur; hoc enim fine in ultimo Capitulo suo generali decreverunt, neminem posse in dignitate ecclesiastica constitui, nisi praevio Religionis consensu, Generales vero, expirato officii termino, ad primas vacantias debere elevari.⁸⁶ Quod quantum redoleat speciosum ambitum, nemo est qui non videat; et maxime verendum ne religiosa disciplina sub colore boni Ordinis, seu verius sub latenti Primorum Religionis superbia, brevi non collabescat, atque Regia Maiestas iuste offensa ad funestissimas contra Monachos non descendat sanctiones.

Tolerabilior tamen Superiorum Ordinis esset ausus, si ad Metropolitana Regiaque iura dumtaxat extenderetur, ut etiam contra ipsius S. Sedis auctoritatem (sola recordatio incutit horrorem) cum summo bene sentientium scandalo, boni ordinis eversione, et introductae in Russia pacis apertissima iactura, notabiliter insolescit. Enim

⁸³ Albericus Archinto (1746-1754).

⁸⁴ Berestense II, an. 1751, diebus 8-17 Septembris. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 25.

⁸⁵ Theodosius Rudnyckij, Episcopus Volodimiriensis (1731-1751).

⁸⁶ Cfr. hac de re M. M. WOJNAR, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 142.

vero Constitutiones in primo Capitulo Dubnensi sub praesentia Delegati Apostolici formatas, et a SS.mo D. N. feliciter regnante approbatas, solo proprio ausu in ultimo Brestensi Capitulo suo nonnullas sustulerunt, circumscriserunt nonnullas, aliquas vero sui favore adauxerunt, non habita ad id a S. Sede opportuna facultate; imo expressa SS.mi D. N. mandata, per organum Ill.mae et Rev.mae D. V. non ita pridem ipsis intimata (f. 313) et publicata spreverunt, cum neque Monasterii Buczacensis cessionem in rem Provinciae Polonae, neque quatuor studia pro unaquaque Provincia determinata instituerint.

Quae omnia clarius et distinctius circa singulorum probationes Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae exponere non negligam, statim ac pristinas vires meas longa ultima infirmitate fractas, Deo opitulante, rehavero. Interim pro tali quali dictorum Acta Capitularia transmittio, humillime efflagitans, quatenus pro suo erga S. Sedem zelo, pro tenerrima erga Regiam Maiestatem devotione, et sua toties comperta erga statum meum hierarchicum benevolentia, dignetur SS.mum Dominum Nostrum clementissimum de singulis Capituli Brestensis ineptis et absurdis informare, eundemque disponere ad cassandum Acta Capitularia, veluti temere et praeiudiciose formata, tum quoque ad demandandum celebrari Polociae quantocius novum Capitulum sub praesidentia mea; ad quem effectum numerus Vocalium ex dispensatione S. Sedis, pro hac sola vice optanda, ad viginti Vocales pro unaquaque Provincia restringi poterit; ut ita melius expensis Provinciarum consulatur. Non enim expedire puto, ut capitularis actus auctoritati S. Sedis contrarius, Regiis iuribus inimicus, Metropolitanarum dignitati derogans, et sub protestationibus nunquam auditis gestus, subsistat; infinitis litigiis viam sternat, et posteritati maximo sit scandalo.

Ill.mae et Rev.mae Dominat. Vestrae obligatus et humillimus Servus

FLOR. HREBNICKI, Metrop. totius Russiae, Archiep. Polocen. m. p.

Polociae, die 3 Nov. 1751.

31.

Polock, 10 . II . 1752.

Amplissima relatio de origine, historia et statu praesenti Metropoliae Kioviensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 7, fol. 543-556.

Relatio informativa de statu Metropolitanae Kyoviensis, Haliciensis, et totius Russiae, tum quoque Polociensis Ecclesiarum, et Archidioecesium, Anno 1752, die vero 10 Mensis Februarii compilata.

Cum primum anno 1748, ex speciali SS.mi Domini Nostri, feliciter nobis ad praesens regnantis, benignitate ad Metropoliam Kyovien et totius Russiae evectus fuerim, illico studia mea converti, ut per Canonicas Visitationes, caeteraque oportuna media claram notitiam de statu Archidioeceseos Metropolitanae acquirere valerem, qua pro posse consecuta, adimplendo Juramentum, dispositionibus S.Mem. Sixti V, in celeberrima Constitutione incipient.: « Romanus Pontifex », sub datum Romae, anno 1585, die 13 Calend. Januarii, factis, consonum humiliter Sanctae Sedi expono. Quod dum Nicolaus Chrisoberga Constantinopolitanum Patriarcham agebat, quem-

dam Antistitem nomine Michaellem, circa annum 990, misit in Russiam,⁸⁷ qui Uladimirum, Ducem Russorum, baptisavit,⁸⁸ eique Basilii, et Constantini, orthodoxorum Imperatorum sororem, Annam nuncupatam, in Matrimonium coniunxit, et Sedem Archiepiscopalem Metropolitanam totius Russiae primus Kyoviae fixit eiusque favore permulta (f. 543v) bona, et amplissima privilegia a praedicto Russiae Duce obtinuit.

Brevi vero post, luce evangelica latius per universam Russiam diffusa, diversi Episcopatus, videlicet Vladimiriensis, Luceorien., Praemislien., Chelmen., Pinscen., et Polocen., sub Dominio Regni Poloniae existentes, aliique plures, qui ad praesens Imperio Moschorum subiacent, intra et extra Volgam Boristhenemque fluvios erecti fuere, et ab illo tempore Archiepiscopi Metropolitani Russiae suam Sedem non parvo tempore fixam Kyoviae constanter habuerunt.⁸⁹

Quia vero Imperium Russorum⁹⁰ intestinis bellis magis magisque in dies lacebatur, sedes Ducum Kyoviensium, gratia maioris securitatis, Kyovia Halician translata fuit;⁹¹ in cuius sic novae Metropoleos Haliciae honorem Archiepiscopi quoque Kyovienses, Metropolitani Russiae, retento Kyoviensi, tunc primum Haliciensem titulum assumpserunt. Spectato itaque primitivo Antecessorum meorum supra Ecclesiam Haliciensem iure, cum etiam attentata eiusdem moderna legalitate in literis Regiae Nominationis, et Bullis Domini Domini nostri (f. 544) Clementissimi pro meo ad Dignitatem Metropolitanam ascensu, sub die 17 Kal. Januarii, Anno 1748, editis firmissime cauta, non intermisi Commissarios meos, sub die 6 Mensis Februarii anno 1749 deputare ad capiendam nomine meo possessionem Ecclesiae Haliciensis, utpote perpetuo canonice, et ad invicem cum Ecclesia Kyoviensi unitae. Haec tamen caeteroquin debita sollicitudo mea optatum non fuit sortita effectum eo, quia modernus Episcopus Leopoliensis,⁹² ille vero tunc ad Ecclesiam Leopoliensem, dumtaxat Nominatus, oppositionem Cleri maximis suis studiis adeo concitavit, ut eiusdem Cleri Primores iurisdictionem meam sub die 17 Martii V. S. ad Ecclesiam Krijloscensem, Cathedrali Haliciensem Metropolitanam, per meos Commissarios fundatam, oppugnare non dubitaverint, debitamque mihi obedientiam praestare renuerint, super quo eorundem meorum Commissariorum solemniter sub die 10 Maii, 1749 anni, Za-

⁸⁷ Historiographi dubitant de hac missione et nullum noscunt Michaellem, Metropolitanum Kioviensem. Primus qui nominatur in chronicis est Theopempt ex anno 1039. De hac quaestione plurimi exstant articuli historiographorum. Hac de re etiam in omnibus agitatur historiis Ecclesiae Ucrainae.

⁸⁸ Vladimirus I, Magnus (972-1015), sanctus et apostolorum aequalis cognominatus. Hic annis 988-989 baptismum accepit simul cum populo suo. Cfr. de eius vita opus IR. NAZARCO, OSBM, *Saint Vladimir the Great - Sovereign and Baptist of the Rus-Ukraine*, Romae 1954 (ucrainice), ubi invenitur amplissima et fere plena bibliographia tum eius vitae tum quaestionis de baptismo Ucrainae.

⁸⁹ Usque fere ad annum 1300.

⁹⁰ S. d. Imperium Kioviense, quod totam Europam fere orientalem comprehendebat et ex urbe Kiovia gubernabatur a Ducibus ex familia Ruryk, saec. IX-XIII.

⁹¹ Post incursionem tartarorum an. 1237-1241, quo tempore urbs Kiovia destructa fuit. Revera principes Ucrainae occidentalis etiam Kioviam in dominio suo habebant.

⁹² Leo Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1749-1779). dein Coadiutor Metropoliae Kioviensis (1762-1778) et demum Metropolitanus Kioviensis (1778-1779).

moscii facta Protestatio extat. Cum vero eiusdem Nominati in Episcopum Leopoliensem immineret (f.544v) Consecratio, ipsique accessus ad Lithuaniam inopinata fluviorum exundatione praestringeretur, cupiens summopere ne Leopoliensis Ecclesia suo Pastore diutius orbaretur, vices meas ad peragendam eiusmodi consecrationem Episcopo Vladimiriensi, Protothronio Russiae, speciali Instrumento, sub die 1 Mensis Martii V. S. Anno 1749, Polociae emanato, commisi, ea tamen expressa conditione, ut ipsum consecret in Episcopum Leopoliensem, et Camenecensem tantum, Ecclesiam Metropolitanam Haliciensem nullatenus involvendo, uti quidem in Acta iuxta solitum formati Processus et ipsiusmet consecrationis nusquam fuit involuta, neque super hac re a quopiam tunc disputatum fuit. Unde recte infertur illicita, et interdum invalida Sacramentorum administratio, ac respectiva participatio per integram Dioecesim Metropolitanam Haliciensem ex defectu in illam iurisdictionis, quae Episcopo Leopoliensi neque vigore dispositionis Apostolicae, neque virtute investiturae ex mea Curia, ut mox innui, obtentae, neque demum (f.545) quovis alio titulo valido, et probanti competere potest. Quapropter supplices Sanctae Sedi fero preces, quatenus huiusmodi maximis in Ecclesia Dei absurdis quantotius viam praescindere velit, mandato fortissimo ad Episcopum Leopoliensem dirigendo, pro quam celerrima restitutione praedictae Ecclesiae Haliciensis, tamquam perpetuo, et canonice cum Ecclesia Kyoviensi Metropolitana coniunctae, ne amplius salus animarum illius Dioecesis Haliciensis defectu iurisdictionis legitimae periclitetur. Ab ipsis itaque in Russiam introductae fidei sanctae incunabulis Metropolitanae Kyovienses Russiam Superiorem, seu Moschoviam, et Inferiorem, quae Regno Poloniae subiacet, usque ad tempora Gregorii II, qui ab ipso Nicolao Quinto, Pontifice Maximo, circa annum Christi 1442 Consecratus, et ad Metropolitanam Dignitatem evectus fuit,⁹³ regebant, gubernabant. Cum vero quidam Jonas Schismaticus,^a discordibus Moschis in Anti Metropolitanum Kyoviensem electus,⁹⁴ ipsam quoque Kyoviam invaderet, inde evenit quod ad supplicationem (f.545v) mentionati Gregorii II, Pius II, Pontifex Maximus, per Bullam suam, anno 1458, 3 Nonas Septembris, publicatam, divisit praedictam Russiam Superiorem seu Moschoviam Jonae relinquendo, Inferiorem vero Russiam, quae Regno Poloniae subest, Gregorio II gubernandam tradendo, Ecclesiasque Cathedralis, nimirum Brestensem, Smolenscensem, Polocensem, Turoviensem, Luceoriensem in Suffraganeas Sedi Kyoviensi Metropolitanae subordinavit. A quo tempore utraque Russia distinctos suos Metropolitanas habet.

Post subsequutam itaque huiusmodi exdivisionem, Archiepiscopi Kyovienses, Inferioris Russiae Metropolitanas, Sedem, et principalem Cathedralis Kyoviae fixam usque ad Josephum Velaminum Rutschi, ann. 1613, ad Metropolitanam dignitatem elevatam constanter habebant. Cum autem temporibus eiusdem Velamini Metropolitanas Incolae Kyovienses, et Ukrainenses per vagabundos Moschorum Pastores Schismate imbuti Metropolitanam Schismaticum a Sigismundo III, Polonorum (f. 546) Rege, im-

⁹³ Afirmatio haec falsa videtur, nam Gregorius II anno tantummodo 1458 a Pio II ad Sedem Metropolitanam Kioviensem promotus fuit, exdivisa Metropolia in partem superiorem et inferiorem, seu meridionalem et septentrionalem.

⁹⁴ Jonas Metropolita Kioviensis seu Moscoviensis (1448-1461).

petrare minime potuissent, hinc inscio eodem piissimo Rege Kyoviam invitaverunt quemdam impostorem Graecum, nomine Theophanem,⁹⁵ qui fingens se Patriarcham Hierosolimitarum consecravit in Anti Metropolitanum Kyoviensem Jobum Borecki, aliosque Episcopos ipsi Suffraganeos. A quo saeculo magna, ac diuturna contra Unitos persecutio principia assumpsit, ita ut uniti Metropolitanae variis cladibus pressi multisque bonis spoliati fuerint; Raphael enim Korsak, e vivis sublato Velamino Rutschi, in anno 1635 assumptus ad Metropoliam Russiae,⁹⁶ anno immediate sequenti 1636 mox a Petro Mohila, Anti Metropolita, Archiepiscopatu Kyoviensi Metropolitanato Russiae exutus fuit,⁹⁷ (: qui, facto ad S. Sedem hac super re recursu, Romae obiit:) adeo ut successor eius, Antonius Siellawa, Archiepiscopus Polocensis, anno 1642 ad Metropolitanum onus evectus,⁹⁸ Kyoviensi civitate illo tempore sub ecclesiastico quidem Schismaticorum regimine, sub Dominio tamen Polonorum Regni existente, nil quidquam praeter (f. 546v) solos Archiepiscoporum Kyoviensium titulos ex beneplacito apostolico retinuerit. Brevi vero post, cum ipsa Civitas Kyoviensis non sine amplissima territorii sui parte in Comitibus Generalibus Varsaviensibus, urgente rebellium Kosacorum Duce Chmielnicio a corpore Regni Poloniae, nunquam satis dolendo exemplo, disijuncta fuerit,⁹⁹ illico Metropolitanus Russiae Inferioris titulo Archiepiscopatus Kyoviensis et exigua illius Archidioceseos parte (: quae sub Polonorum Dominio remansit:) dumtaxat retenta, se suamque Cathedram in ditiones Magni Ducatus Lithuaniae transferre coacti fuere.

Cathedram itaque Archiepiscopi Kyovenses, cum S. Romana Ecclesia uniti, habent Vilnae, sub titulo Assumptae in Caelum B. V. M., ex latere cocto antiquissime exstructam, quae anno 1748 cum integra ferme Civitate Vilnensi violentissimo igne absumpta fuit, modo vero cura et maximis impensis meis plus quam ad sexaginta millia floren. polon. ascendentibus reparata, et exornata extat, circa (f. 547) quam duo Praesbyteri saeculares pro absolvendis ibidem devotionibus, et respective administrandis Sacramentis aluntur, et sustentantur ex redditibus Mensae meae Metropolitanae.

In qua quidem Civitate ad praesens binae tantummodo Ecclesiae Parochiales saeculares cum tertia regulari Patrum Ordinis Divi Basilii Magni reperiuntur, quarum primam sub titulo S. Nicolai ultima conflagratione Vilnensi devastatam notabili sumptu ad viginti millia floren. polon. ascendente pariter reparavi, et ad nobiliorem

⁹⁵ Theophanes, Patriarcha Hierosolymitanus, qui anno 1620 Kioviae navam constituit Hierarchiam ruthenam non unitam, cum novo Metropolita non unito, Hiob Boreckyj. Consecrationem hanc et institutionem eosaei sub ductu hetmani eorum Petri Sahajdačnyj promovebant.

⁹⁶ Josephus Velamin Rutskyj obiit die 5 Februarii 1637; ei successit hoc eodem mense Raphael Korsak, iure successionis in Metropolia. Cfr. hac de re *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, vol. I et vol. II, Romae an. 1956.

⁹⁷ Iam tunc temporis accessus Metropolitanis Kioviae impeditus fuit; ab anno vero 1633, cum Petrus Mohyla in Metropolia Kioviensi non unita a Rege Poloniae confirmatus fuit, Sedes haec de facto iam perdita fuit.

⁹⁸ Ad Metropoliam Kioviensem promotus anno 1641. Cfr. *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, vol. II, Romae 1956.

⁹⁹ Bellum polono-cosacicum duce Chmelnyckyj (1648-1656). Kiovia adjudicata fuit Moscoviae in tractatu s. d. Andrusoviano an. 1667, dein cessio haec confirmata fuit in s. d. «pace aeterna» an. 1687.

formam, quam antea fuit, Deo benedicente, reduxi; alteram vero, sub titulo Resurrectionis Christi, conflagratione mox recensita paulo antea penitus dirutam, non nisi feliciore tempore restaurandam praevideo, cum ad praesens multis litigiis circa erectionem Ecclesiae Cathedralis Polocensis nimium pressus, vix habeam unde vivam. Tertiam vero sub titulo SS. mae Trinitatis, Monachi Ordinis Divi Basilii Magni gubernant, qui nescitur quo iure quartam quoque Ecclesiam Parochialem (f. 547v) tituli S. Praxedis occuparunt, eamque ita ad praesens neglexerunt, ut ex bonis ad illam spectantibus proventus percipiant, nullas prorsus in illa devotiones amplius peragentes, pro cuius rehabilitatione humiliter supplico Sanctae Sedi Apostolicae una cum Clero meo.

Reperitur pariter in eadem supradicta Civitate Vilenensi prope Cathedram Metropolitanam situm satis angustum pro dignitate Metropolitanarum Palatium, post ultimam conflagrationem Vilenensem tandem anno 1750, non exiguo sumptu meo, reparatum, uti etiam per ipsam Civitatem, et respectiva suburbia dispersae plurimae domus lapideae, et lignae ad Mensam Metropolitanam pertinentes extant, quae praedicta conflagratione Vilenensi nimium attritae, Deus scit, quando ad pristinum statum reduci poterunt, et respectivos fructus Metropolitae Russiae adferent. Adsunt pariter ibidem duae Confraternitates, totidem Xenodochia, satis bene provisae, et ordinatae.

(f. 548) Quia vero inter Ecclesias per Magnum Ducatum Lithuaniae sparsas notabilis intercedit distantia, hinc Metropolitae Russiae duas alias Ecclesias, primam videlicet in Civitate Novogrodek dicta, sub titulo SS. Romani et Davidis, sitam, ex lateribus coctis antiquissime extractam, anno vero proxime praeterito pro exigentia et posse meis impensis reparatam, circa quam Monachi D. Basilii Magni manent; alteram vero in Civitate Minsk nuncupata, tituli Assumptae in Caelum Beatae Mariae Virginis, ante decem annos repentissimo igne absumptam, penes quam Praesbyteri saeculares Divina peragebant, in Cathedrales Vilenensi subordinatas assumpserunt hoc unico fine, ut ita commodius Pontificalia exercere valerent. Quantum autem attinet Ecclesias inferiores Parochiales Metropolitanas per Magnum Ducatum Lithuaniae dispersas, hae ad 21 Decanatus, a principalioribus Civitatibus, et Oppidis denominatos, reducuntur, videlicet ad Decanatum Vilenensem, qui Ecclesias (f. 548v) Parochiales tres tantum complectitur, eo quia plurimae Parochiae Ruthenae intra et extra Civitatem Vilenensem ex instinctu RR. Parochorum latinorum insolenter a nativo Rutheno Ritu defecerunt; Lidensem, qui Ecclesias 13; Osmianensem, qui Ecclesias 26; Dolhinovienensem, qui Ecclesias 29; Miadzielsciensem, qui Ecclesias 22; Novogrodensem, qui Ecclesias 35; Slonimensem, qui Ecclesias 45; Cyrinensem, qui Ecclesias 17; Niesvizenensem, qui Ecclesias 31; Clecensem, qui Ecclesias 36; Minscensem, qui Ecclesias 46; Blonscensem, qui Ecclesias 34; Lohoyscensem, qui Ecclesias 25; Puchovicensem, qui Ecclesias 14; Thumenecensem, qui Ecclesias 14; Hluscensem, qui Ecclesias 19; Bobruyscensem, qui Ecclesias 18; Rohaczoviensem, qui Ecclesias 37; Homelscensem, qui Ecclesias 19; Grodnensem, qui Ecclesias 33; Volkovyscensem, qui Ecclesias 38; Podlachiensem, qui Ecclesias 22, iuxta Visitationem generalem 1748 et 1749 annorum, in se continent, quarum universa summa praeter illas Ecclesias Parochiales, quae a Monachis Basilianis reguntur, efficit numerum (f. 549) 566.

In Palatinatu quoque Kyoviensi reperiuntur Decanatus itidem 21, videlicet: Zytomiriensis, qui Ecclesias Parochiales 49; Kanioviensis, qui Ecclesias 48; Pawolocensis

qui Ecclesias 64; Pohrebiscensis, qui Ecclesias 48; Tetioviensis, qui Ecclesias 55; Lubarensis, qui Ecclesias 44; Fastoviensis, qui Ecclesias 39; Mosznensis, qui Ecclesias 35; Smilanensis, qui Ecclesias 33; Bohuslaviensis, qui Ecclesias 42; Korsunensis, qui Ecclesias 41; Berdyczoviensis, qui Ecclesias 45; Ciudnoviensis, qui Ecclesias 47; Czehryniensis, qui Ecclesias 31; Zywtoviensis, qui Ecclesias 33; Radomisiensis, qui Ecclesias 43; Owrucensis, qui Ecclesias 41; Dimirensis, qui Ecclesias 37; Baraszoviensis, qui Ecclesias 24; Brahinensis, qui Ecclesias 19, juxta factas diligentias in anno 1749, in se continent. Quae quidem Ecclesiae efficiunt numerum 861.

Accedunt Ecclesiae Parochiales in Palatinatu Braclaviensi, in confiniis Palatinae Kyoviensis siti, reperibiles, ubi iuxta (f. 549) debitum examen, in annum 1748 et 1749, praemissum, reperiuntur Decanatus 11, nimirum: Braclaviens., qui Ecclesias 52; Komargroden, qui Ecclesias 43; Raszkovien., qui Ecclesias 37; Niemirovien., qui Ecclesias 46; Vinnicen., qui Ecclesias 47; Humanen., qui Ecclesias 59; Jampolien., qui Ecclesias 38; Krasnianen., qui Ecclesias 37; Brahilovien., qui Ecclesias 42; Kalnicen., qui Ecclesias 60; Czczelnicen., qui Ecclesias 37 in se continent; quae Ecclesiae numerum 498 constituentes, olim a bo.me. Ill.mo, et R.mo Athanasio Szeptycki, pro tunc Episcopo Leopoliensi, usque ad annum 1720 iniuste per suos Antecessores Episcopos Leopolienses, stante praepotentia Schismatis, occupatae regebantur, ab eodem tamen in Synodo Zamosciana, vigore inconcussorum iurium Sedi Metropolitanae suffragantium, per publicum scriptum tamquam vere ad iurisdictionem Metropolitanam spectantes, sub die 7 Septembris, an. 1720, favore Metropolitanorum Russiae fuerunt manumissae, quas tamen Ecclesias Leo Kiszka (f. 550), tunc Sedem Metropolitanam gubernans, sicut dictum est, recuperatas, eidem Athanasio, Episcopo Leopoliensi, seorsivo suo iuramento, sub die pariter 7 Sept. anno 1720, Zamoscii emanato, administrandas, ex motivo litem in Tribunali Regni pro recuperatione Bonorum Grodek, et Obarov institutam fortius promovendi commisit,¹⁰⁰ ad suae tantum vitae tempora, praecustodito nihilominus suo suorumque Successorum primitivo, et originario iure super Decanatibus in Palatinatu Braclaviensi reperibilibus. Unde res in claro posita est, Athanasium, Leopoliensem Episcopum, praedictos Decanatus, stante vita Leonis Kiska, precario dumtaxat titulo, et vicaria potestate Metropolitana gubernasse, elevatum vero ipsum ad dignitatem Metropolitanam proprio titulo, et auctoritate Metropolitana rexisse ad annum 1746, seu ad suam mortem. Qua subsequuta die 10. Xbris, ego tunc vacantis Metropoleos, iuxta Synodi Zamoscianae dispositiones, legitimus Administrator, in universa Archidioecesi (f. 550) Metropolitana, et signanter Decanatibus Braclaviensibus, per meos Vicarios generales debitam fundavi iurisdictionem, in cuius exercitio ad diem 22 Junii, anno 1750, imo gratia Sanctae Sedis renunciatus Metropolita a nemine praepeditus fui, quibus modernus Episcopus Leopoliensis per subdole exportatam sub die 4 Junii, 1750 ann., ex Sacra Nunciatura, meo vero Officio Kioviensi die 22 Junii eiusdem anni, sine debita legalitate, intimatam inhibitionem me spoliavit, ac tandem in Sacro Tribuali Nunciaturae Apostolicae possessionis, et iurium meorum firmitate iudicialiter deducta, decisum fuit die 24 Septembris, 1751 anno, omnes Decanatus Braclavienses Sedi Metropolitanae

¹⁰⁰ Cfr. epistolam Leonis Kiszka, sub dat. 7. IX. 1720.

restituendos esse, cuius Decreti, licet si debita intimatio die 16. Xbris 1751 anno facta fuerit, non tamen plenam executionem obtinere potui propter nimiam Episcopi Leopoliensis in parendo Decretis Apostolicis renitentiam.

Hos quoque omnes Decanatus 53, seu Ecclesias Parochiales, sicut supra ad numerum (f. 551) 1925, praeter illas Parochiales, quas Monachi Ordinis D. Basilii Magni regunt, diligenter reductas iuxta praescripta Sacrorum Canonum per subdelegatos, eaque omnia, quae ecclesiasticam disciplinam, bonum ordinem, et salutem animarum respiciunt, pro tenuitate virium mearum, Deo benedicente, adimplevi.

Monasteria Monialium Ordinis D. Basilii Magni, iurisdictioni, et curae meae Metropolitanae subiecta, in Magno Ducatu Lithuaniae quinque extant, nimirum in Civitate Vilnesi, ad Ecclesiam Regularem SS. mae Trinitatis; in Civitate Minscensi, ad Ecclesiam S. Spiritus, alterum vero ad Ecclesiam SS. mae Trinitatis; in Civitate Nowobrodensi, ad Ecclesiam SS. Martyrum Romani, et Davidis, et in Civitate Grodnensi ad Ecclesiam Nativitatis B. V. M., quae omnia statutis temporibus, ad tenorem Apostolicarum Constitutionum, per meos Commissarios speciales visitantur. Extra vero Magnum Ducatum Lithuaniae, in Palatinatu scilicet Braclaviensi, civitate vero Winnica dicta,¹⁰¹ sextum (f. 551v) earundem Monialium reperitur Monasterium, pariter inspectioni Metropolitanae subordinatum. De Monasteris virorum Ordinis D. Basilii Magni in Archidioecesi mea Metropolitana id solum referendum esse arbitror, quod licet haec ipsa a suis immediatis Superioribus gubernentur et regantur, nihilominus iuxta Constitutiones, et Concordata, praecipuae in Capitulo Dubnensi subsequuta, nec non in his, quae loci Ordinariorum iuris sunt, respective etiam Metropolitanarum iurisdictioni subsunt. Suprasliense autem Abbatiale Monasterium cum Varsaviensi, et Kuznicensi suis filiis,¹⁰² uti majori in parte a variis Metropolitibus dotatum, et vi suae fundationis immediate Metropolitanarum iurisdictioni subditum, gubernatur a suo Abbate, dependenter tamen a Metropolitibus, pro cuius regulari disciplina, et omni integritate proxime elapso anno Commissarii a me delegati canonicam visitationem eiusdem Monasterii absolverunt, et Decretum reformationis protulerunt omniaque Acta illius visitationis in meo Archivio (f. 552) Metropolitanato reposuerunt.

Quo vero ad prerogativas, privilegia, et facultates Archiepiscopis Metropolitanis Russiae concessas, maxima certe illorum dignitas in eo elucet, quod ad vacantes in Regno Poloniae, et Magno Ducatu Lithuaniae Ecclesias Episcopales, sine novo ad S. Sedem Apostolicam recursum, praevia nominatione Serenissimorum Regum Poloniae, vigore Bullae fel. recor. Clementis VIII, Pontificis Maximi, anno 1595, septima Kalen. Martii emanatae, consecrant, et investiunt, specificè ad Ecclesiam Polonensem, quam ex concursu Sanctae Sedis Apostolicae una cum Metropolia retineo; Vladimiriensem, sub regimine Ill.mi Theophili Godebski; Praemisiensem, sub regimine Ill.mi Honufrii Szumlanski; Chelmen, sub regimine Ill.mi Feliciani Wolodkovicz; Pinscen., sub regimine Ill.mi Georgii Bulhak; Leopoliens., sub regimine Ill.mi

¹⁰¹ In Podolia, in Ucraina.

¹⁰² Archimandria Suprasliensis erat extra Congregationem Lithuanam SS. Trinitatis et Ordinem Basilianorum, gaudebatque quadam speciali exemptione, subiecta immediatae inspectioni Metropolitanarum Kioviensium inde a temporibus Iosephi Velamin Rutzkyj. Postea in hac Archimandria erecta fuit Eparchia Suprasliensis in Prussia (ab an. 1798).

Leonis Szeptycki, ad praesens existentes, Luceoriensem, quam post fata Ill.mi Theodosii Rudnicki, Exarchae totius Russiae, anno proxime praeterito, Mense Novembri subsequuta, (f. 552) R. mus Pater Sylvester Rudnicki, Abbas Ourucensis,¹⁰³ ex nominatione Regia, brevi hic in Episcopum consecrandus, gubernabit, et Smolenscensem, quae cum integra sua Dioecesi, omnibusque bonis ab anno 1657 sub Dominio Moschovitico gemit, relicto dumtaxat Unitis solo titulo Archiepiscopatus, qui ab Anno 1745, cum maxima vicinorum Disunitorum derisione, in hucusque suo quantumvis titulari caret Antistite unito, hac unica causa, quod nempe PP. Ordinis D. Basilii Magni, non obstante antiquissima consuetudine, Regum nominationibus, et ipsa Synodi Zamoscianae dispositione posthabita, Monasterium Abbatiale Onufriense pro sustentatione Archiepiscoporum Smolenscensium unitorum determinatum sui iuris faciunt,¹⁰⁴ illudque favore Archiepiscoporum Smolenscensium dimittere renuunt, proventus illius beneficii in suos usus convertentes.

Auxerunt etiam Metropolitanam auctoritatem Serenissimi Poloniae, Reges, dum fundatas pro Ordine Basiliano Abbatias (f. 553) in Regno Poloniae, et Magno Ducatu Lithuaniae, non alteri cuiquam, quam Metropolitanarum Russiae iurisdictioni (: uti videre est in Privilegio, et Diplomate Serenissimi Regis Sigismundi,¹⁰⁵ Anno Mundi 7019, die secunda Julii, Indic. 14, Brestae, sub tempus Comitiorum generalium Regni emanato, antiquissimis olim Vitoldo, Casimiro, et Alexandro ¹⁰⁶ promanatorum Confirmativo:), una cum personis Abbatum, subordinarunt, et subiecerunt, vacantiaque Episcopalia et Abbatialia Beneficia omnino per Russiae Metropolitanas (:ut liquet ex Privilegio et Diplomate Serenissimi Regis Joannis Casimiri, sub die 29 Augusti anno 1668, Varsaviae expedito:) administrari sanxerunt. In quo fundamento, accedente Ruthenae Ecclesiae immemorabili praxi, et consuetudine, non solum super personas Abbatum, sed etiam super eorundem Bonis iurisdictionem suam constanter extendebant, a cuius exercitio PP. Ordinis D. Basilii Magni me retrudunt, cum ipsi etiam vacantes (f. 553 v) Abbatias administrent, et benedictos a me Abbates, suppressa Metropolitana Installatione, propriis Instrumentis illos instituunt, cum evidenti ultimarum praerogativarum Sedis Metropolitanae iactura.

Praeter Archiepiscopatum Kyoviensem et Haliciensem, superius descriptum, habent quoque Metropolitanae Russiae titulum Archimandriae Kyovo-Pieczarensis,¹⁰⁷ per

¹⁰³ Dein Episcopus Luceoriensis (1752-1777).

¹⁰⁴ Archiepiscopatus Smolenscensis saeculo XVIII erat iam quasi titularis, quia territorium eius maebat in dominio moscorum, qui iurisdictionem episcopalem catholicis exercere impediabant. Proinde Synodus Zamostiana statuit, ad sustentationem dignitatis episcopalis debere spectare monasterium Onufriense et Pustynense. Sed prout de iure, ita etiam de facto monasteria haec postea erant in manu Archiepiscoporum.

¹⁰⁵ Agitur de temporibus Regis Poloniae Sigismundi I (1506-1544), et de eius diplomate, ut videtur, de anno 1511.

¹⁰⁶ Magni Duces Lithuaniae: Vitoldus (1392-1430). Casimirus (1440-1492), Alexander (1492-1506).

¹⁰⁷ Famosa Archimandria Kioviensis, inde a saeculo XI; hanc Clemens PP. VIII Metropoliae Kioviensi Catholicae coniunxit modo perpetuo. Sed ab an. 1603 iurdictio Metropolitanarum in hac Archimandria a non Unitis impedita fuit, exceptis quibusdam bonis huius Archimandriae alibi sitis.

Bullam S. M. Clementis VIII, sub die 4 Nonas Martii, 1599 anno, expeditam, una cum Bonis ad eandem Archimandriam spectantibus (: quorum pars maxima sub Dominio Moschorum haeret:) Sedi Metropolitanae perpetuo adiunctum, et unitum, pro cuius Archimandriae bonorum, in ditionibus tamen Regni Poloniae reperibilium, recuperatione, praecipue vero Villarum Grodek, Obarov, et Didouszczyzna, a pluribus annis alienatarum, b. m. Athanasius Szeptycki, immediatus Praedecessor meus, ad centum millia floren. polon. expendit, eaque bona ad eam perfectionem adduxit, ut proventus (f. 554) bonorum ad Ecclesiam Cathedralem Metropolitanam, et dictam Abbatiam pertinentium, ipso adhuc vivente, ad quadraginta millia floren. polon. ascenderint.

Stante vero regimine meo relatos immediate proventus ad quinquagintamilia floren. polon. adauxi, et Villam Potyoroka nuncupatam (: cuius Incolae Dominos Haereditarios illius et Nobiles se esse, ab anno 1745, in Tribunali Regni, fulti protectione nonnullorum Poloniae Procerorum fortiter promovebant:) ad Metropolitanitas Russiae spectare, eiusque Colonos veros Metropolitanarum esse subditos in Tribunali Regni probavi, et anno proxime praeterito cum maximo dispendio et labore meo sententiam favorabilem obtinui. Bona vero Ruta apellata, a praetensionibus Dominorum Rutsciorum,¹⁰⁸ ac sic dictae Villae Haeredum Decreto Tribunalis Lithuanici liberavi, et alteram eorundem Bonorum Ruta partem, quae adhuc cum Dominis Jesman sublatae fuerat, magno sumptu, et cura mea Nowogrodensi anno 1749 perpetui iuris, ac proprietatis Metropolitanarum feci, uti pariter Bonorum Privilegii et Waka dictorum limites, a (f. 554v) multis annis usque ad profusionem circa finem sanguinis controversos, cum pluribus Magnatibus, ac Proceribus Lithuanis anni 1749, cum notabili Mensae Metropolitanae emolumento, definivi; Nunc vero cum Ducibus Radivilis, Jablonouski, Palatino Rauctensi, cum Civitate Minscensi, Poloniae, Nowogrodensi, et Grodnensi pluribusque aliis Nobilibus tam in Regno quam in Magno Ducatu Lithuaniae, pro recuperatione avulsorum, et definitione limitum in variis subsellijs magno motu, studio, conatu, et impensis (: quibus ulterius substinendis Deus scit, an sufficiam:) iure ago, hoc unicum quaerens, ut iuratae obligationi meae satisfaciam, et meis in Ecclesia Metropolitana Successoribus maiorem tranquillitatem, quam ipse nunc habeo, relinquam.

De Populo Archidioeceseos Metropolitanae, numerum ultra millionem constituyente, id solum dicere possum, quod eiusdem saluti, quantum possibilitas permittit invigilo, et ut a Parochis in iis, quae fidem (f. 555) sanctam, et morum rectitudinem spectant, instruatur, continuam impendo operam, eo summopere afflictus, quod ipso rummet numerosissimorum Parochorum ruditatem circa infinitas expensas meas ut supra erogatas, et adhuc erogandas nondum extirpare possum

Intra Archidioecesim Metropolitanam meam per Lithuaniam reperiuntur Monasteria Schismaticorum, cum satis numeroso Populo, praecipue in Civitate Vilnensi, Minscen., et Slucensi, qui conversione particularium ad veram fidem notabiliter imminuitur. In Palatinatu vero Kyoviensi, et Braclaviensi Filipianae haereseos sectatores,

¹⁰⁸ Familia Dominorum Rutski, e qua proveniebat Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensis (1613-1637). Haec familia bona haereditaria Ruta in possessione habuit.

ex vicina Moscovia advenae, foventur, ac proteguntur, nec desunt inter ipsos Unitos, qui non obstante Constitutione S. M. Urbani VIII, ex instinctu RR. Parochorum et Religiosorum latinorum insolenter, et adeo frequenter Orientalis Ecclesiae Ritus deserunt, ut nisi suprema in Ecclesia Dei potestas, publicatione efficacioris Constitutionis, viam tantae (f. 555) licentiae praecludere dignetur, brevi certe Ruthenus his in oris Ritus defectior timeatur. Neque enim aliter vicinorum Disunitorum ora pro virili ocludentur, qui ubique disseminant, Ruthenos ad obedientiam Sanctae Sedi promissionibus prerogativarum, immunitatum, protectionisque allicitos fuisse, nunc vero effectu promissorum carere, brevi cum suo Ritu extinguendos.

Ad extremum non inutiliter Sanctae Sedi puto referendum, quod a tempore, quo Schismatici Civitatem Kyoviensem, et Cathedram Metropolitanam ibi sitam occupaverunt, seu ab anno 1642, quo Antonius Siellawa, Archiepiscopus Polocensis, ad Metropolitanam dignitatem elevatus fuit, ad haec novissima nostra tempora omnes Metropolitae Russiae non interruptim gubernabant, hac unica de causa, ut Mensam Metropolitanam per occupationem a Schismaticis Cathedrae Dioeceseos, et Bonorum Metropolitanorum nimium depauperatam saltem huiusmodi retentione valerent ad taliter (f. 556) qualiter sustinendam Metropolitanam dignitatem. Hac igitur praxi hucusque constanter in unita Russia observata, ego quoque Regimen Metropolitanum assumpsi, retento tamen ex gratia SS.mi Domini Nostri hocce Archiepiscopatu Polocensi.

Ut autem de huiusce Archiepiscopatus Polocensis statu hac eadem occasione opportunam faciam mentionem, paucis expono, quomodo hic Archiepiscopatus brevi post introductam in ditiones Russiae Orthodoxam Fidem, a Ducibus olim Polocensibus erectus, et dotatus, a Ducibus vero Russiae, Lithuaniae, et respective Poloniae permultis Privilegiis, et Bonis auctus fuerit.¹⁰⁹

32.

Polock, 13 . II . 1752.

Commendatur P. Jason Smogorzewskyj in Urbem proficiscens.

ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 263, fol. 127-27v.

(Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine, Domine Colendissime).

Partes iuratae fidelitatis meae adimplere summopere cupiens, cum infirmitate et ipso senio a sustinendis quibusvis itinerationibus omnino prohibear, R. P. Jasonem Smogorzewski latorem praesentium ad Urbem mitto, ut ibi nomine meo Sanctorum Apostolorum limina visitet,¹¹⁰ et genuinam de statu Metropolitanae tum quoque Polocensis Ecclesiarum mearum Sanctissimo Donino Nostro exhibeat relationem, optatissimum in meis negotiis curaturus finem. Quae omnia ut eo felicius consequi valeam, compertissimam Eminentiae Vestrae benignitatem, protectionem et clemen-

¹⁰⁹ Relationem de hoc Episcopatu non invenimus in Archivis romanis, etiamsi, ut videtur Romam transmissa fuit.

¹¹⁰ Basilianus, alumnus romanus, Vicarius generalis Archieparchiae Polocensis, dein et ipse Archiepiscopus (1762-1780), et Metropolitanus Kioviensis (1780-1786).

tiam, (f. 127v) iuxta exponenda per mentionatum Emissarium meum, ferventissime imploro, atque in reverentissimo ss. fimbriarum osculo constanter maneo, qui sum

Eminentiae Vestrae obsequentissimus et humillimus Servus

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis m.p.

Polociae, 13 Februarii 1752.

33.

Strunie, 15 III 1752.

Petit ultiores informationes de suppressione monasteriorum Basilianorum, quae insufficientem habent dotem.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1750-52, vol. 114, f. 332rv.

Excellentissime, Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

Quae in mandatis ab Excellentia Vestra super Unione Monasteriorum Provinciae Basilianae Polonae anno praeterito accepi, ut nimirum a Superioribus illius Provinciae exquiram, quid causae fuerit, quominus hucusque Decretali SS.mi Domini Nostri ad praesens feliciter regnantis satisfactum sit, tandem edoctus ab Admodum R.vdo Patre Provinciali Polono,¹¹¹ epistolam eius ad me scriptam Excellentiae Vestrae transmittito. Intelliget facile Excellentia Vestra, quae pie functum Praedecessorem meum permoverunt motiva, ut paucis poenitus suppressis Monasteriis, reliqua, quibus spes meliorandae foundationis enitebat, insignioribus Monasteriis in Congressu Dubnensi, anno 1745, eum ad finem instituto, univerit. Cuius Acta ad me ab eodem Patre Provinciali transmissa praesentibus adiungo, supplicans Excellentiam Vestram, quatenus (f 332v) iisdem motivis expensis, quid ex ulteriori SS.mi Domini mandato facto opus sit, gratiose mihi significare, idemque cum Rev.mo Protoarchimandrita tum Admodum Rev.do Patri Provinciali iniungere dignetur, ut una mecum ad mentem Decretalis SS.mi Domini Nostri, qua non minus illis ac pie functo Praedecessori meo Metropolitano id negotii commissum fuit, ad ea peragenda descendant, quae ad exactam regularis disciplinae observantiam atque Religionis incrementum conferre Excellentiae Vestrae videbuntur. Ego vero quemadmodum prompte cuncta Sanctitatis Suae, ab Excellentia Vestra mihi communicata mandata exequi non negligam, ita ad quaeque Excellentiae Vestrae obsequia paratissima voluntate permaneo.

Excellentissimae, Ill.ssimae et Rev.mae Dominationis Vestrae

obligatissimus et humillimus Servus

FLORIANUS HREBNICKI, Metrop. tot. Russiae, Archiepiscopus
Polocen. (mpr).

Die 15 Martii 1752, in Strunie.

¹¹¹ P. Sylvester Malski, electus anno 1751 ad quadriennium.

34.

Vilna, 17 . II . 1753.

*In defensionem Unionis contra quoddam opusculum auctoris anonymi.*APF, *Srit. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 436-37

Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Parvam olim exordio sui Ruthenorum cum S.R.E. Unionis rem, concordia, quam Rev.mi Episcopi Ritus Latini cum Unitis Ruthenis Episcopis colierant, adeo crevisse in comperto est, ut gentem nostram devotionis erga Sanctam Sedem ardore nulli genti cedere, numerum quoque Unitorum ex conversis, benedicente Domino, Schismaticis decuplo, quam olim fuerat, maiorem iure merito gloriemur. Concordiae eiusmodi et consecutivi in rem Unionis incrementi cardines potissimi fuerant atque sunt Bullae, Brevia, atque Decreta, quibus Apostolica Sedes benevolentiam suam erga gentem nostram declarando, eius indemnitati atque conservationi prospectura cavit strictissime, ne quispiam de Graeco ad Latinum Ritus, sine expresso Sanctae Sedis beneplacito, transire praesumeret. Classico enim istius securitatis animati Rutheni, nullis in promovenda Unione pepercerunt conatibus, sanguinem etiam cum vita adeo liberaliter profuderunt, ut plures Unita Russia (: absit iactantia verbo :) quam Japonia numeret Martyres fidei Cathalogo, (f. 436v) cui etiam regnante feliciter Sanctitate Vestra nonnulli accessere. Sanguis Martyrum quemadmodum uberes Ecclesiae germinavit fructus, ita lividum salutis humanae (: non aliter enim opinari licet :) excitavit inimicum, qui beatos Unionis progressus impediret. Prodierunt quippe in publicum authore anonymo (: Ecclesiasticum Latini Ritus non ambigimus :) reflexiones duplicati Decreti fel. rec. Urbani VIII, transitum de Graeco Ritu inhihentis, relaxationem non minus temere quam impie attentantes, quae cum nostras quoque manus attigerint, iusta indignatione exarsimus tantae iniquitatis ultionem omni via quaesituri. Verum cum nimis latere amet scelus, composito tantisper animo, operae praetium esse duximus, impietas genti Rituique nostro atroces calumnias mitiori, quam anonymus mereatur, calamo, et patheticis rationum momentis diluere. Et cum indefessam Sanctitatis Vestrae pro emolumento Universalis Ecclesiae vigilantiam, Divinarum humanarumque rerum compraehehsivam scientiam Orbis adoret universus, peculiarem denique erga (f. 437) gentem nostram benevolentiam in comperto habeamus, hinc est, quod huic confisi perspicacissimo etiam Sanctitatis Vestrae conspectui innocentiae nostrae argumenta per exhibitorem praesentis, Rev.mun Dominum Nominatum Coadiutorem cum futura successione Archiepiscopatus Polocen. exhibenda censuimus,¹¹² enixe supplicantes, ut hanc tempestatem quam genti nostrae imo toti Regno Poloniae imprudens zelotes parat, pro suprema autoritate sua prohibere, et prorsus compescere sibi compleceat. Horremus enim et totis artibus contremiscimus ad solam imaginem eorum, quae oritura forent, si libertas transeundi ad Ritus La-

¹¹² Agitur de Jasone Smogorzewskij. Cfr. notam 110.

tinum ianua malorum omnium panderetur. Assequimur, Beatissime Pater, quid apud minus peritos, atque solidioris prudentiae expertes conciliare possint speciem boni praeseferentes reflexiones, sed nec author earum, nec alii praetensi rerum Ruthenarum scioli assequuntur, quantae ex pervicaci huius contra memoratum Urbani VIII Decretum, verum etiam contra Leges publicas Patriae, Regumque privilegia (: quae favore Ritus gentisque nostrae uberrima sunt:) attentati prosecutione calamitates emergerent. Nemo indolem ovium, rerumque nostrarum genuinas qualitates novit melius, quam nos ipsi Pastores, et proinde tempestivas ad pedes Sanctitatis Vestrae D.N.C. preces effundimus pro avertendis (f. 437v) eiusmodi malis, ne deinceps nostrae tribuatur oscitantiae, quod aliena causabit molestia evadamus, iungimus ardentissimas preces pro declaratione Brevis Benedicti XIII, secundum exponenda per memoratum Exhibitorum praesentium. Nos porro cum gregibus nostris pro diuturna incolumitate Sanctitatis Vestrae Divinam iugiter exorabimus Maiestatem, et circa devotissima sacrorum pedum oscula manemus.

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini Nostri Clementissimi humillimi Servi et Continui Exoratores

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis (m. pr).

THEOPHILUS GODEBSKI, Prototronius totius Russiae, Episcopus Vlad. et Brest. (m. pr).

SYLVESTER L. RUDNICKI, Exarcha tot. Russiae, Episcopus Luceorien. et Ostrog. (m. pr).

GEORGIUR BULHAK, Episcopus Pincen. (m. pr).

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Episcopus Chelmensis (m. pr).

ONUPHRIUS SZUMLANSKI, Ep. Premislien, Sanocen. et Samborien. (m. pr).

LEO SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliens., Halicien., Kamenenec.

HERACLIUS LISANSKI, Ordinis S. Basilii M. Congregationis Ruthenorum Proto Archimandrita (m. pr).

Vilnae die 17 Febr. 1753.

35.

Vilna, 17 . II . 1753.

De prohibendo transitu Ruthenorum ad Riturum Latinum nova instantia Hierarchiae unitae.

APF, *Scrit. rif. n. Congregazioni Particolari*, a, 1748, vol. 103, f. 360-61.

Illustrissime et Reverendissime Domine,
Domine Patrone Colendissime.

Clamat ad nos sanguis Fratrum nostrorum, pro sustinenda cum Sancta Romana Ecclesia Unione a Schismaticis fratricidis uberrime profusus, et quod adhuc calet Roxolana terra, ut eum ab iniurioso scripto, seu verius famoso libello, contra Riturum nostrum unitum a quodam (: ut in comperto est:) ex Clero polono-latino compilato, pro illa devotione, qua prosequimur Majores nostros vindicemus. Porro eiusmodi calumniosi operis innominatus Auctor id sibi unice in animum induxisse videtur, ut Riturum illum nostrum unitum tot Summorum Pontificum oraculis approbatum, tot Regum Poloniae Privilegiis, Regnique Constitutionibus firmatum, tot Sac. Congregationis de Propaganda Fide gratis cumulatam, tot Divorum Ruthenorum mi-

raculis insignem, tot denique Martyrum sanguine gloriosum, et in quo, scilicet, tum Maiores nostri, tum nosmet ipsi Deo propitio complures Schismaticorum ecclesias ad regnoscendum Visibile in terris Caput traduximus, perditum iret, et totaliter ferme everteret. Nequit enim vero aptius (f. 360v), et quod magis conducere possit ad finem abolendi Ritus Uniti, exorgitari medium, quam ex Ritu nostro Unito ad Latinum liber transitus, quem ex iustissimis caeteroquin motivis felicitis recordationis Urbanus VIII, Summus Pontifex, duplicato prohibuit Decreto; at ecce nunc Decretum illud Ritus nostri Uniti conservativum cum evidentissimo, facileque inferibili S. Unionis periculo, adiecta etiam gravi calumnia, ac si Unio nostra non vera, sed simulata esset propter ipsam prohibitionem, contenditur relaxandum esse. Quapropter nos mature rebus nostris consulturi, ad compertam Vestrae Excellentiae recurrimus benevolentiam, eiusque manibus consiguando nostram informationem pro defensione Uniti Ritus nostri confectam,¹¹³ enixissime rogamus, quatenus apud SS.mum Dominum Nostrum, et Eminentissimos rebus Propagandae Fidei Praepositos Cardinales, singularissimos Russiae Unitae Protectores, officia sua interponere faveat, ut pro insigni suo circa propagandam Unionem zelo, Decretum felicitis record. Urbani VIII, in suo robore manutenere, et hoc modo Riturum nostrum S. Romanae Ecclesiae (f. 364) devotissimum tueri dignentur. Nos vero participes eiusmodi gratiae Apostolicae futuri, in hoc S. nostro Ritu eidem felicitati, ac devotioni, qua Maiores nostri erga Sanctam Sedem Apostolicam constantissime ferebantur, ardentissimo studio operam navare conabimur. Vestrae quoque Excellentiae aeviternam habituros nos gratitudinem pollicemur, id in praesentiarum testantes, quod circa officia obsequiorum nostrorum perseveremus.

Illustrissimae et Rn.dissimae D.nis Vestrae obsequentissimi Servi
 FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita tot. Russiae, Archiepiscopus Polocen. (m. pr).
 THEOPHILUS GODEBSKI, Prototronius totius Russiae, Episcopus Vlad. et Bresten.
 (m. pr).

SYLVESTER L. RUDNICKI, Exarcha tot. Russiae, Episcopus Luc. et Ostrog. (m. pr).
 Vilniae, 17 Februarrii 1753

36.

Vilna, 17 . II . 1753.

Amplissima refutatio accusationum cuiusdam anonymi auctoris, tendentium ad concedendum liberum transitum Ruthenis ad Riturum Latinum. Solvuntur difficultates, refutantur obiectiones, proponuntur remedia, indicantur pericula.

ASV, Nunz. di Polonia, vol. 393, fol. 327-46v.

INFORMATIO

materiam transitus a ritu ad ritum concernens, una cum examine succinctarum reflexionum ab anonymo auctore in vulgus editarum, pro tuitione Ritus Graeci uniti in Regno Poloniae et in Ducatu Lithuaniae a tota Hierarchia Ruthena Sanctae Sedi Apostolicae humillime porrecta.

¹¹³ Cfr. documentum sequens.

Postquam a confirmata Ruthenae Ecclesiae cum Latina unione centum sexaginta annorum decursu,¹¹⁴ operante Dei Optimi Maximi (qui verae charitatis fons est) gratia, fideles utriusque in Polonia ritus sinceram inter se amicitiam colere, mutuisque debitae observantiae et christianae dilectionis studiis prosequi se curassent; unde quam uberes orthodoxa religio fructus perceperit? collato eius antiquo cum praesenti statu facile colligere licebit, ubi ante unum saeculum Photiana, Lutherana et Calviniana haereses latissime diffusae in praesentiarum ad angustissimos fines redactae sunt; Infelici tandem nostrae aetatis exemplo inimicus homo discordiarum semina, in agro Domini spargens, ut prope imminens ad extrema iam redactae haeresi periculum averteret et reliquum, quod sibi de late olim diffuso in Imperio Sarmatiae tenebrarum principatu superfuit, securius possideret, catholicorum in suos confratres tela convertit. Prodiit quippe non adeo pridem in publicum quaedam anonymae scripturae copia, cuius innominatus auctor, quo facilius decreti Urbani VIII transitum a ritu graeco prahibentis revocationem obtineret, nullo gentis atque Ecclesiae Ruthenae de religione atque Republica optime meritaie habito respectu, quaeque atrocissima perduellionis, apostasiae, inconstantiae in religione, libertatis vitae etc. conquirit undique crimina, quorum Ruthenos Unitos coram Sede Apostolica nec non Excelso Regni Poloniae Ministerio insimulat, atque hac ratione integram Ruthenorum famam crudelem in modum lacerans, sperat se, deleto eorum nomine, in tam debili calumniarum fundamento trophaea erecturum, deque Catholica Ruthena Ecclesia, veluti de quapiam truculenta (f. 328v) haereseos hydra triumphaturum, quae autem causae suae confidentia vel inde cognosci potest, quod nomen suum publico abscondit. Verum facile est de latebris transeuntes lacessere: detrahat larvam, prodeat in aciem, atque cominus dimicet; nullus est Ruthenorum, qui eius frontem exhorrescat.

Porro, antequam accedemus ad examen succinctarum nostri innominati auctoris rationum, praete rirennon possumus, quin prius conqueramur gravissimum Ecclesiae atque integrae Ruthenae genti vulnus fuisse inflictum in quadam epistola, quae incipit:¹¹⁵

Epistola innominati auctoris una cum succintis reflexionibus in vulgus edita.

Cum maxima admiratione querellantes apud Sanctam Sedem Episcopos ritus graeci accepi, ac si Episcopi ritus latini subditos illorum non modo ad ritum suum facillime admittant, sed modis et artibus variis ad huiusmodi transitum sollicitent, et quantum ego personas ecclesiasticas eiusdem ritus a plurimis oneribus, statui et dignitati sacerdotali contrariis et iniuriis, vindicavi, defendi et protexi, ut tamen veriora dicam, iuste et aequae Episcopi latini Sanctissimo Domino Nostro contra Graecos conqueri possunt, multa satis preiudicia patienter tolerantes. Sed nunc ommissis omnibus, super quibus maxime in Domino indolui, de obiecta transitus pertractione replicando, ingenue et veraciter dicere debeo: Sacerdotes ritus graeci saepius praetextuosa neces-

¹¹⁴ A. s. d. Unione Berestensi an. 1595-6.

¹¹⁵ Textus, quos hic adiungimus scriptos scriptura cursiva extant in margine nostrae relationis. Sunt quasi puncta ad quae Metropolita respondit.

sitate infantes etiam ex utroque parente latino procreatos suis caeremoniis baptisant, in libros matrices inscribunt et cum adoleverint ad ritum suum, tanquam a se baptisatos, pertrahunt, litibus excitatis, de quo ad Iudicium Episcopale etiam moderni Reverendissimi Szumlanski, Episcopi ritus graeci Praemysliensis, quam plurime citati et vocati non semel fuere; imo, etiam populus ritus latini et maxime rudis liberiorj vitae (f. 329) facilius serviens, populo ritus graeci in his oris permixtus, ab ecclesiis latinis longius inhabitans, ideoque ecclesias graecas saepius frequentans, ad eorum incorrectos mores et male ordinatam disciplinam christianam facile assuescit, et eundem ritum successive amplectitur, quod mihi semper detenti persaepe innotuit. Recordari enim licet pientissimi Regis Sigismundi III repraesentationes et instantias suas Sanctae Sedi porrectas, quibus Decreti Congregationis particularis, die septima Februarii anno 1624, super universali prohibitione transitus de ritu graeco ad ritum latinum, ab Urbano VIII felicitis memoriae iam approbati, restrictionem ad solos tantum Ecclesiasticos sive alios aliud ex intergo Decretum sub die septima Julii eiusdem anni 1624 ab eodem Sanctissimo Pontifice obtinuit, super quo Romae certa et indubitata habetur notitia, et mihi optime constat.¹¹⁶

Cum maxima admiratione, una cum succinctis reflexionibus, in vulgus emissa in qua auctor postquam insignia sua in Ruthenos beneficia magnificentissimis atque amplissimis verbis depraedicasset, objicit tandem Ruthenis studium liberioris vitae, incorrectos mores atque male ordinatam disciplinam ecclesiasticam, super quibus a se deprehensis maxime coram Domino indoluisse significat. Felicem nos sane hominem existimamus, qui in eos litem effundit, quorum pectori alte caritas christiana inhaerens facile praestat, quominus qui male dicit, male audire cogat; fatentur equidem Rutheni se esse filios Adae, variis humanae fragilitatis adminiculis obnoxiosi, negant vero, imo pernegant se reliquis mortalibus esse deteriores, neque satis admirari valent, qua ratione auctor in Polonia, in qua omnium christiani mores oculis communibus expositi sunt, vitia Ruthenorum debuccinet. Profecto Rutheni, etsi non sunt curiosi rerum alienarum exploratores, complura, ultro sese oculis eorum objicientia, vicissim proferre valerent, ex quibus quis trabem? quis festucam oculis geratur? facile dignosci posset. Verum tamen satis sibi defensionis habent, ubi adversario verbis Christi responderint: Aequo animo laturos ab iis se (f. 329) lapidibus peti, qui sunt absque peccato.

Et sane unde haec liberior vita, atque incorrecti Ruthenorum mores promanarentur difficile est invenire; non a praeceptis Divinis et ecclesiasticis, haec enim omnibus christianis communia sunt, non a ritibus et caeremoniis Ruthenorum, quae, usu divinissimorum Orientalis Ecclesiae patrum consecratae, nil nisi pietatem cordibus hominum nspirant, non a disciplina ecclesiastica, quae quantum rigiditatis praefert, facile a viris doctis, graecorum rituum non ignaris, criminatores Ruthenorum edoceri poterunt; non a ruditate Ruthenorum, cum haec non nisi plebeis (prout et in omni ritu contingit), non autem viris liberaliter educatis adscribi potest. Verum nec plebeiorum in utroque ritu est adeo crassa ruditas, ut aequum ab iniquo discernere nesciat, aut cardi-

¹¹⁶ Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, ed romana 1953, vol, I, pag. 16, nr. 9, et pag. 22-23, nr. 24.

nales christianae fidei articulos ignoret; non denique a negligentia praelatorum, nulla quippe adeo exquisita diligentia adhiberi potest, quae pravam subditorum voluntatem penitus coërceat. Si itaque ad liberiores vitam nonnullos Ruthenorum pronos, si in quibusdam ruditatem et incorrectos mores animadverterit auctor, id non sanctissimis Orientalis Ecclesiae ritibus, sed cupiditatibus animi, sortique nascendi, atque inde provenientes plebeiae educationi referre debuit. Quod autem verum est, neque sunt adeo improbi, neque frequentes, si cum aliis comparentur, Ruthenorum mores, atque id facile inductionibus probatum redderetur, ni turpe foret id a Ruthenis praestari, quod ipsi in suo adversario improbare coguntur. Ubi vero asserit auctor complures e ritu latino descendentes ab ecclesiasticis Ruthenis ad graecum traductos fuisse, toto caelo a veritate aberravit; quodsi id sibi dici aequo animo ferre non potest, sedat traductorum cathalogum, quos Episcopi Graeci illico ad proprium (f. 329v) ritum compelli sinent, dummodo suos ad ritum latinum pertractos rehabeant. Quod autem fide ad calcem memoratae epistolae de Decretis Urbani VII auctor disserat, mox demonstrabimus, ubi ad dissertationem succinctarum reflexionum scriptoris egregio suo operi praemissam respondebimus.

*Dissertatio innominati auctoris succinctis reflexionibus praemissa.*¹¹⁷

Incomparabili prudentiae ac infaticabili vigilantiae et sollicitudini Supremi Christi fidelium Pastoris, Sanctissimi Domini Nostri Papae Benedicti XIV adscribendum est, quod in tam gravi religionis ac status materia per suum Nuntium Apostolicum mentem ac sensum S. Regiae Maiestatis, Domini Nostri Clementissimi, sibi communicatum habere voluit. Indubitatum est, quod antequam promulgatum fuerit Decretum s.ae memoriae Urbani VIII sub die septima Februarii anno 1624 instantibus Episcopis ritus graeci, Sacra Congregatio de Propaganda Fide in suo particulari Consistorio de die septima Februarii fecerat quoddam Decretum, in quo prohibebatur Rhuthenis unitis tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus et regularibus, ne ex quacunque causa, etiam urgentissima, sine speciali S. Sedis is Apostolicae licentia transirent ad ritum latinum. Sed postquam Serenissimi Poloniae Reges, cum Statibus et Episcopis latinis regni nostri publicationi huiusmodi Decreti ex motivo impediendi progressus religionis in amplectenda unione se opposuissent, et informatio literalis pro tunc Illustrissimi Nuntii in Regno Poloniae commorantis per rationes Status ad eandem Sacram Congregationem sub die septima Maji praecessisset, s.ae memoriae Urbanus VIII Papa moderavit et (f. 340) restrinxit Decretum ad solos ecclesiasticos tantum, in Congregatione habita die septima Julii anno recensito 1624, debentque haberi eiusmodi rationes dicti Illustrissimi Nuntii in Archivio Sanctae Sedis Apostolicae.

Responsio ad dissertationem super Decretis Urbani VIII, reflexionibus succinctis praemissam.

Auctor reflexionum acerbo atque crudelissimo stylo contra Ruthenos conscriptarum incepit opus suum a dissertatione super Decretis Urbani VIII, transitum a ritu graeco ad latinum prohibentibus. Affirmatque anno 1624, die septima Februarii, emanasse Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Decretum, quo cum laicis, tum ecclesias-

¹¹⁷ Hic incipiunt iam accusationes concretæ anonymi auctoris.

tis Ruthenorum desertio proprii ritus vetita fuit, deinde asserit, ad instantissimas statuum Regni Poloniae preces, opponente se publicationi huiusmodi Decreti Republica, atque transmissa Romam, nescimus qua, per rationes status, ab Excellentissimo pro tunc Nuntio conscripta informatione, memoratum Decretum eodem anno 1624 die septima Julii ad solos ecclesiasticos restrictum fuisse. Haec auctor ille; tanta vero fiducia et securitate, ac si Tabularia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ipse evolvisset, neque in Polonia, 300 leucis Roma distante, res gestas describeret. Sed ut omittamus, adeo brevi inter primam et alteram legem quinque mensium intervallo haud potuisse status Reipublicae convenire, legem Sanctae Sedis inusitata apud Polonos praxi examinare, publicationi Pontificii Decreti se opponere, summo (qui apud Polonos requiritur) omnium ordinum consensu (cum tamen magna in Senatu et Equestri ordine pars Ruthenorum Unitorum foret) eam improbare (f. 340), rationes nescimus quas (nam hanc quam auctor innuit, quantum valeat mox examinabimus) Sedi Apostolicae pro tollendo priori Decreto afferre, atque iis debita, quae S. Romanae Ecclesiae in more est, maturitate et diligentia, expensis tam brevi ut diximus viginti circiter hebdomadarum spatio, revocationem huiusmodi Decreti obtinere; ut, inquam, haec omittamus, quantum in hac dissertatione sinceritatis contineatur, facile ex ipsis Decretorum datis colligi poterit, ex quibus, in authentica forma apud Ruthenos extantibus, patet evidenter, auctorem datas Decretorum invertisse, atque huic tam infirmo fundamento totam hanc suae dissertationis molem superstruxisse, quae labente fundamento integra concidat necesse est. Sciat itaque innominatus scriptor (quod antequam ad compilandam suam dissertationem se accingeret, didicisse debuerat), primum Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, solis ecclesiasticis transitum a ritu graeco ad latinum prohibens, occasione derelicti a Cassiano Sakowicz ritus graeci formatum fuisse anno 1624, die septima Julii, alterum vero, quod omnibus Christi fidelibus tam laicis quam ecclesiasticis sub paenis gravissimis, atque nullitate actus eiusmodi transitum vetat, in supplementum et ampliationem prioris latum, non anno 1624, ut auctor anonymus fallitur, sed anno 1627, Romae septima Februarii,¹¹⁸ ex quibus quid tota adversarii dissertatio evincitur, vel ipse solus iudicet. Qua enim ratione potuerint status Reipublicae anno 1624 motivo huius Decreti congregari? preces pro aperiendo laicis graecis ad ritum latinum transitu Sedi Apostolicae afferri, informationem liberalem Excellentissimi pro tunc Nuntii¹¹⁹ per rationes status Sacrae Congregationi porrigi cum eo tunc laicis Ruthenis ad ritum latinum transitus nondum praeclusus fuerit, qua, inquam, ratione priori decreto posterius valuerit (f. 330v) restringi, vel is qui sibi verba pro rebus facile dari sinit, haud aegre imposturam agnoscere. Neque facilius demonstrabit auctor, unde hoc hausit? quae de celebrato in causa horum decretorum anno 1624 statuum Reipublicae Conventu, de impedita a devotissimis Sedi Apostolicae Polonis, multo magis ut ipse affirmat Episcopis, decretorum

¹¹⁸ Fallitur hic auctor, nam revera decretum prohibens transitum tum laicis tum ecclesiasticis editum fuit sub die 7 Februarii 1624, quod tamen decretum eodem anno, die 7 Julii restrictum fuit ad solos ecclesiasticos. Cfr. nostram editionem *Actorum. S. C. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1953, pag. 16, nr. 9 (de dat. 7. II. 1624), et pag. 22-23, nr. 24 (de dat. 7. VII. 1624).

¹¹⁹ Anno 1624 Nuntius Apostolicus Varsaviensis erat Joannes Franciscus Lancellotti (1622-1627).

Pontificiorum publicatione disserit, cuius hac in re historici fidem appellat? Num Piasevii? num Kwiatkiewij,¹²⁰ qui res Polonas cum sacras, tum politicas huius saeculi minutim annotatas posteritati transmissere, num cuiuspiam alterius? proferat nomen auctor, proferat librum, non enim in eos incidit, qui absque examine et teste coaevo auctori res aetate sua superiores describenti levissima atque viro cordato indigna credulitate fidem adhiberent. Supplevit itaque Sedes Apostolica, transitum laicis graecis a ritu suo vetans, posteriori anno 1627 edito Decreto, quod priori anno 1624 emanato similem transitum solis ecclesiasticis prohibente ommissum fuit. Haec solo duo Decreta praesentem materiam concernentia Ruthenis innotuerunt, atque ab illis veluti pretiosa amoris Sanctae Apostolicae Sedis erga Ruthenam Ecclesiam pignora et ferme vitales Sanctae Unionis succi maximo zelo, ac summa cum diligentia conservantur. Neque Rutheni in animum suum inducere possunt, ut aliqua alia, prout adversarius pretendit, prohibitum laicis Ruthenis transitum relaxantia Decreta formata fuerint, uti enim firmissime credunt, Sanctam Romanam Ecclesiam communem Graecorum et Latinorum matrem suis circa initam a Ruthenis Unionem servandorum manten-tandorumque Orientalis Ecclesiae rituum promissionibus nunquam defuturam, non secus in casu, quo aliqua etiam ad sequiorem informationem, inauditis Ruthenis, obtenta fuerint, nec hucusque per centum et amplius annos publicata, nihil quidquam integritati Ruthenae Ecclesiae effectura certo certius confidunt.

Post quod decretum licet ab aliquibus laicis fuerat occursum ad Sanctam Sedem Apostolicam pro dispensatione transitus de ritu graeco ad latinum, dicta Congregatio resolvendo de puris laicis, semper respondit, non indigere dispensatione, sed hoc vigore dicti decreti die septima Julii anno 1624 lati et in una dispensationis Poloniae fuit existimatum superfluum facere instantiam aliquam pro magnifico Szczawinski, qui cum sit laicus, potest sine ulla dispensatione transire ad ritum latinum et postea ordinari in sacerdotem, sicut desiderat.

Extant sane adhuc in (f. 331) vivis complures, qui non attento praetense ab adversario Decreto de speciali Sedis Apostolicae licentia, et nonnisi favorabili loci Ordinariorum suorum voto et informatione praecedente, ad ritum latinum transierunt. Inter quos DD. ... Zurakowski et... Narolski, quibus exemplis recentissimis totum id, quod de quodam Domino Szczawinski affertur dilui potest. Imo modernus etiam felicissime catholicam ecclesiam gubernans Summus Pontifex Benedictus XIV, Dominus Noster Clementissimus, prohibito graecis, melchitis, etiam laicis, ad ritum latinum transitu, anno 1743 die 24 Septembris emanato Decreto, tandem in Encyclica 1744 die secunda Maji ad Ruthenos transmissa epistola, praelaudatam suam pro Graeco-Melchitis formatam constitutionem quoad punctum integritatem rituum Orientalis Ecclesiae respiciens expresse servari Ruthenis iniunxit.¹²¹

¹²⁰ Agitur de Stanisla'o Kwiatkiewicz, S. J., historiographo Ecclesiae (1630-1703) reliquit circa 40 opera typis impressa, historica et rhetorica. Piasecki Paulus, Ep. Peremyshliensis, historiographus (1578-1649). Opera maiora eius sunt: «*Chronica gestorum in Europa singulariorum recentiorum ad an. 1636* Cracoviae 1645 (et aliae editiones), nec non «*Pamietniki do panowania Zygmunta III*, Varsaviae 1846.

¹²¹ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 88, nr. 704.

Nec praetermitti debet, quin censuram et maturum examen subeat, quod auctor imaginario statuum Regni Poloniae in materia religionis celebrato Conventui imponit, motivo scilicet quopiam amplissimos Regni ordines permovente executionem decretorum pontificiorum impeditam fuisse; ait enim: Serenissimos Poloniae Reges (cur plures nominet ignoramus, cum tamen anno 1624 solus Sigismundus III Polonis imperaret) cum statibus et episcopis latinis regni nostri publicationi huiusmodi decreti ex motivo progressus religionis in amplectenda Unione se opposuisse; quid sibi haec velint? ipsi etiam Aedippo difficile est conjicere. An quia conversio Ruthenorum ad fidem Orthodoxam integro eorum ab Catholica Ecclesia ritu approbato persistente progressum seu verius propagationem religionis impedit? At haec sunt contradictoria; quomodo enim conversio ad catholicam fidem propagationi fidei, quam auget, officiat. An quia Rutheni (f.331v) catholici in proprio ritu permanentes propagationi religionis inviderent? At quid eos ad amplectendam unionem incitavit? quid ad innumeras aerumnas et labores in provehenda ecclesiae unione exantlatos, quid ad sudores ipsumque sanguinem (ut pleno ore coevi fidem perhibent historici) in testimonium orthodoxae religionis abunde profusos permovit? si tam infesto erga orthodoxam religionem animo essent; an denique quia sanctissimi Orientalis Ecclesiae ritus propagationi religionis impedimento forent? At praeterquam quod id impium dictu est, res ipsa auctorem refellit, ubi in ritu graeco orthodoxa religio late per oras Sarmatiae diffusa documento est haeterodoxis, insignem Orientalis Ecclesiae partem sua sponte, non tyrannidis Turcicae iugo pressam, non afflictionibus et necessitatibus temporaneis permotam, non opum alienarum indigentem, sed unico pacis et tranquillitatis ecclesiasticae amore Occidentali consentire, indiesque augeri, atque iam ad insignem amplitudinem pridem excrevisset, ni complurium partim invidia, partim falso zelo constringeretur, ut traductis omni ferme anno non paucis ad ritum latinum Ruthenis haud postremum Ecclesiae Ruthenae decus traheretur, quod ex consensu sub uno visibili Capite Romano Pontifice Orientalis cum Occidentali Ecclesia, atque in ea fidei unione ex varietate ritus et caeremoniarum sacrarum religio orthodoxa nanciscitur. Indignum itaque Majestate Polonae Reipublicae foret tam debili et frivola ratione permoveri, eam in medium proferre atque temere contra tot privilegia Serenissimorum Regum Poloniae et leges patriae publicas ritum graecum formantes, decretis Sedis Apostolicae refragari. Quam vero atrox piissimae Sanctacrucii (qui tum Legatione Reverendissima in Polonia fungebatur, atque insignem cum in Polonia, tum Romae dein Sacro Senatui adlectus, iuvandae, exornandae, atque amplificandae (f.332) Ruthenae Ecclesiae operam navarit) memoriae iniuria infertur,¹²² facile cognosci poterit, ubi egregia nostri auctoris dissertatio expendatur, quae eum sui muneris oblitum in concessionem et abrogationem decretorum Sedis Apostolicae cum Statibus et Episcopis latinis Regni Poloniae conspirasse posteris prodit. Neque praeteriri debet, quod auctor noster sat incaute affirmat, Nuntium Sedis Apostolicae cum Serenissimis Regibus et Statibus Poloniae sua commutasse officia, hic quippe per rationes status, illi vero motivo impedimenti progressus religionis publicationi decretorum Pontificiorum praepostero ac inverso ordine se opposuisse asseruntur. His innumera alia adiungi possent, quae

¹²² Antonius Santa Croce, Nuntius Varsaviensis (1627-1630).

memoratae auctoris dissertationem falsi convincerent, ni haec, quae diximus evidenter demonstrassent, qua sinceritate et fide, quo denique rerum apparatu instructus Ruthenis bellum indixit. Iam vero quod respicit coacervatas undique ab auctore succinctas reflexiones, quibus revocationem decreti Urbani VIII transitum Ruthenis ad ritum diversum prohibentis persuadere nititur, nihil sane facilius est, quam ad eas respondere, cum sint adeo infirmae, ut detractis, quas abunde caritatis christianae immemor scriptor congescit calumniis atque verborum ablato cortice solae facile concidant; neque Rutheni, qui innumeris exemplis constantiam suam in retinendo zelum et ardentissima studia in propaganda orthodoxa religione orbi catholico probata effecere ad eiusmodi vexatorias de latebris emissas voces respondere dignarentur, nisi Schismaticorum scandalo, quod ex huiusmodi famoso libello abunde promanavit, recens conversorum infirmitati atque indemnitati et honori orthodoxae Ruthenorum religionis hac occasione ab hostibus ecclesiae irrisae subvenire et providere operae pretium existimarent. Respondebunt itaque auctori anonymo Rutheni, ne sacrilego, ubi (f.332v) de religione agitur, silentio atque intempestiva tam gravium calumniarum dissimulatione causam fidei proderet videantur. Respondebunt Rutheni, ut intelligat auctor anonymus non deesse illis pietatem, veritatem et iustitiam, quarum adminiculo orthodoxam religionem mille ab eo calumniis in catholica Ruthena Ecclesia proscissam tueri possint. Respondebunt Rutheni, unde Schismatici facile cognoscant anonymum auctorem ex suo privato spiritu, non ex more Sanctae Latinae Ecclesiae in Ruthenos arma sumpsisse, desinantque tandem orthodoxae Latinae cum Ruthena Ecclesia insultare unioni, unaque discant ea firmitate et constantia Ruthenos catholicae Ecclesiae adhaerere, quam nec suorum in religione confratrum a recta nonnihil perfectionis christianae via aberrantium emulatio, et insidia nec hostium Ecclesiae modo acerbi insultus, modo fraudulenta amicitiae atque simulatae compassionis ostentatio unquam commovere valebunt. Respondebunt denique suo accusatori Rutheni, ea tamen animi lenitate, quae turbatorem ecclesiasticae tranquillitatis pacem doceat, non bellum accendat.

Sed quia Reverendissimi Episcopi Graeci in Polonia et M. D. Lithuaniae post sopitum tanto motu huiusmodi negotium, rursus ianuas liberi transitus claudere incipiunt, salva per omnia Sanctae Sedis, Serenissimi Regis et Republicae integritate id Graecos minime debere permitti ex rationibus sequentibus et respective ad manutationes integritatis religionis.

Reflexiones succinctae innominati auctoris pro libertate transitus a ritu graeco conscriptae.

Primo. Quia religio latina in hoc Regno et M. D. Lithuaniae est dominans, debetque praeferrri, et non esse deterior ritui graeco, cum etiam latinis laicis absque ulla dispensatione ingressus ad Religionem graecam S. Basilii permittitur.

Responsio ad succinctas reflexiones innominati auctoris pro libertate transitus a ritu graeco conscriptas.

Ad primum. Tria sunt in hac prima anonymi auctoris succincta reflexione consideranda. Primum quod religionem latinam a graeco ritu distinguat intolerando ter-

minorum abusu, et vocibus unitatem religionis convellentibus; discere, antequam haec conscriberet, prius debuerat ritum et caeremonias diversam non efficere religionem, et uti non dubitamus haec eum probe novisse, admirari non possumus, cur malitiose abutatur (f. 333) terminis religionem latinam a graeca distinguens? Cur formulis quas de haeterodoxis agendo communiter adhibemus, cum orthodoxis Ruthenis abutatur? Alterum est: Quod religionem latinam ritui graeco in Polonia et M. D. Lithuaniae dominari asserat, quod sane competentius de orthodoxa religione ex graecis atque latinis in Polonia et M. D. Lithuaniae congregata haeresibus Photianae, Calvinianae, Lutheranae et reliquis acatholicorum sectis dominante protulisset, si aequali zelo haeterodoxos quam orthodoxos Ruthenos odio insectari vellet. At cuperemus saltem innueret, quid dominium latini ritus super graecum in Polonia constitueret. An quia fideles ritus latini imperent subinde subditis graecum ritum profitentibus. At pari ratione interdum contingit Dominos Ruthenos latini ritus subditis imperare. An quia numerosior est ritu graeco latinus? At ut ommittamus numero dominium non constitui (alias enim subditi cum familia ipsis imperante numerosiores sint, Dominis suis iura darent) hoc, inquam, ommissio, cur auctor infra conqueritur: Ruthenorum populum esse adeo copiosum, ut illi sit impar respondendi latinus. An denique quia soli Episcopi latini inter Senatores Regni Poloniae recenti sunt? At saecularis et politica praerogativa nullum super suos confratres in Ecclesia fundat dominium, extante huius veritatis declarativa lege: primo, Sacrae Congregationis Rituum anno 1632; altera, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide anno 1676 edita, qua tam Episcopi quam presbyteri Graeci Episcopis respective et presbyteris latinis, quoad characterem, dignitatem, nomen, praecedentiam et (f. 333v) cuiusvis generis praerogativas per omnia pares sunt agnoti. Imo, si etiam leges civiles Poloniae consulentur, mox occurrent constitutiones Regni Poloniae in generalibus Statuum Republicae anno 1659 et aliis annis plurimis celebratis Conventibus sancite, per quas clerus Ruthenus quoad omnia privilegia, libertates, exceptiones, immunitates clero latino aequalis est declaratus. Divulget itaque atque depraedicet auctor suum in ritum graecum dominium vel ex hac, quam modo refert, responsione, Ruthenos sibi subiectos intelliget, quod si sanioribus Ruthenorum consiliis acquiescere voluerit, evolvat satius divinas a doctore gentium traditas doctrinas, alteque cordi christiano imprimat, quod in epistola ad Gal. cap. 3 conscriptum traditur: Non est Judaeus, neque Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus neque faemina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Ultimum tandem, quod in hac prima reflexione auctor Ruthenis obiicit, est: latinos Religionem graecam S. Basilii absque ulla dispensatione ingredi. Fatemur sane complures e ritu latino Basiliano Ordini nomen dare, sed nec auctor negabit, multo plures e ritu graeco ad latinas Religiones admitti, nihil est igitur, cur hac causa de Ruthenis conqueratur, cum enim quisque suam vocationem sequatur necesse sit, uti Ruthenis liberum ad latinos religiosos Ordines transitum non negamus, non secus latinos Religionem graecam S. Basilii intrantes repellere non debemus, quod inter praecipua verae inter Latinam et graecam Ecclesiam Unionis argumenta per centum sexaginta annos reputatum fuit.

Secundo. Quia per talem prohibitionem destrueretur unio confidentialis (f. 334) inter ritum graecum et latinum, tollereturque libertas.

Ad secundum. Hic quoque duo sunt expendenda, quae ab auctore annotantur. (f. 334) Primum, negato transitu Graecis laicis ad ritum latinum, fore, ut destruat

Unio confidentialis inter utrumque ritum; quomodo autem id, quod affert, probare posset, non satis intelligimus, imo verius permissio huiusmodi transitu, nulla amplius esset inter Praelatos latinos et graecos unio confidentialis, nulla amicitia, cum unicuique pro tuenda aut amplificanda sua jurisdictione acriter dimicandum, multa ad alliciendos ad diversum, vel retinendos in proprio ritu fideles conniventia (ut in humanis contingint) criminumque etiam dissimulatio adhibenda foret, ac denique aperta ultro porta traductis ad ritum latinum graecis omnis prorsus destrueretur unio, cum, unum ex extremis uniendis deesset. Alterum est, quod auctor affirmat, negato huiusmodi transitu destruendam libertatem. De qua hic libertate ait: non satis se explicat an de libertate arbitrii humani? hanc sane semper salvam esse oportet, at quomodo hanc libertatem lex Urbani VIII tollat? nec ille, qui libertatem mentis humanae negat, probare contenderet. An denique de libertate voluntatis a lege, qua coerceretur, atque intra fines aequi et honesti contineretur; at viderit egregius scriptor cuius libertatis patrocinium sumpsit, alias enim nullam legem esse oportet, quia per illam destrueretur libertas, abroganda essent omnia Divina et ecclesiastica statuta, saltem illa, quae ritus et ordinem Sacrorum respiciunt, uti non celebrandi ante auroram et post meridiem, promiscuo ritu sacro non obeundi Latinis graeco, Graecis latino ritu non utendi, et his similia alia providissime a Romanis Pontificibus Universalibusque Conciliis sancita, hae, inquam, prohibitive leges e medio auferendae essent, quia per huiusmodi (f. 334 v) prohibitiones tollitur libertas. Tandem integrum adversarii nostri argumentum evincit pari ratione, nec latinis laicis, excussa petulanter suorum pastorum legitima jurisdictione, transitum ad ritum graecum prohiberi debere; quia per huiusmodi prohibitionem destrueretur unio confidentialis inter ritum graecum et latinum, tollereturque libertas.

Tertio. Non est unio Graecorum vera, sed simulata, propter ipsam prohibitionem.

Ad tertium. Perpendat, quaeso, auctor, quid haec propositio mereatur? Sciatque se primum (quod nec ipsi Schismatici caeterique haeterodoxi hucusque ausi sunt) eo temeritatis devenisse, ut Ruthenos universim simulatae fidei atque ad speciem duntaxat inita cum S. Latina Ecclesia Unionis accuset. Nos profecto vix credere possumus, egregium nostrum auctorem Ruthenos novisse, dum haec scribendo putaret se inpune Ruthenis de Ecclesia et Republica optime meritis insultaturum, fallebatur attamen, cum facilius sit longe Ruthenis reponere, auctorem adversarium nihili christianam caritatem, nihili iustitiam, nihili sanctam veritatem, dum haec scriberet, pendisse, quam ut ipse intamato atque integro hucusque Ruthenorum honori, eorumque in Sacram Romanam Ecclesiam innumeris exemplis probatae fidei suis inconsideratis reflexionibus quidquam detraheret. Verum haec sunt minora, si comparentur cum eo, quod auctor famae confratrum suorum lacerandae assuetus in ipsam communem omnium matrem et magistram, S. Romanam Ecclesiam, ausus est, ubi non solum Ruthenorum graeco ritu viventium simulatam (ac si intima eorum animi latibula excussisset) unionem, sed etiam huius simulatae unionis decretum Urbani VIII, Graecis laicis ad ritum diversum transitum prohibens, causam esse asserit; ait quippe: Non esse veram sed simulatam graecorum unionem propter (id causam significat) ipsam prohibitionem. Nec male (putamus) (f. 335) auctorem sibi consuluisse quod se, quis sit, latere voluerit,

multo enim labore ipsi opus foret, quo, non praemissa catholicis auctoribus consueta operi suo protestatione, nomen scriptumque suum a censorio (hoc quippe temeraria piarumque aurium offensiva propositio promeruit) stigmate tueretur. Nec immerito paenas daret, quod suas succintas reflexiones irreflectente se ad eas animo temere praecipitanterque profuderit.

Quarto. Multiplicaretur religio graeca, quae sat abunde multiplicata est in partibus Russiae et M. D. Lithuaniae, finitimis Valachis, Moldavis et aliis gentibus schismaticis, ita ut centenario superet Latinos, signanter inter plebeios, et diminueretur latina cum periculo status Reipublicae.

Ad quartum. Plura hic auctor confuse congescit ad quae sigillatim respondere operae pretium existimamus. Primo ait: prohibito transitu laicis Ruthenis ad ritum latinum fore, ut multiplicetur religio (verius ritum scripsisset) graeca. At cur vir orthodoxus multiplicationi fidelium in ritu graeco invideret? non modo conjicere, verum nec rationem amplius quaerere audebimus, nullam enim adhuc assertorum ab eo in integro hoc opere (si odium duntaxat atque animi livorem excipias) invenire potuimus. Hoc itaque permissio, cur se non satis explicat, quid fideles tantopere in ritu graeco multiplicaret, quandoquidem aequali omnium conditione nascentes Rutheni morientibus succedant, nec peculiarem immortalitatis aut longaevae vitae, aut denique insuetae cuiuspiam faecunditatis ritui suo prerogativam adnexam habent. Alterum est: quod auctor conqueratur, iam actu multiplicatum esse ritum graecum in Russia, ita ut centenario superet Latinos. Crederes eum Ruthenorum capita censuisse, tam exactam eorum rationem se teneri iactat, nisi leges Poloniae Reipublicae atque libertatis praerogativa capita censi vetans in numero Ruthenorum designando auctoris confidentiam falsi convincerent. Verum respondeat vellemus in partibusne Poloniae sic proprie dictae, an potius in Russiae provinciis Ruthenos multiplicari animadvertit; non in Polonia, cum nec una ibi parochialis Ruthenorum extet (f. 335v) Ecclesia. At si in partibus Russiae complures Ruthenos esse deprehendit, quid mirum! num plures in Germania Gallos quam Germanos quaerere vellet, abstineat itaque ab huiusmodi potius risu quam miseratione dignis querelis; desinatque lamentari complures in Russia esse Ruthenos, neque se credat de Albanensibus profugis, atque in extremas Italiae oras advenis orationem texere, ubi de ab originibus in Russia Ruthenis iuxta S. Orientalis Ecclesiae ritum fide christiana initiatis sermonem instituit. Fatemur equidem nova in dies Schismaticorum ad Sacram Unionem accessione multiplicari Orthodoxam Ruthenam Ecclesiam, verum id nullius damno et detrimento, sed soli lucro catholicae religionis cedere evidentissimum est. Tertium est, quod auctor Ruthenos unitos (ut eorum insignem numerum exaggeret) cum Moldavis et Valachis (Turcarum mancipiis) et aliis (ut ipse fatetur) gentibus schismaticis nec leges, nec linguam, nec mores, nec dominium, nec religionem, nec aliud quidquam commune cum Ruthenis habentibus misceat; miramur sane, cur iis Transylvanos, Slavos, Serbos, Bulgaros, Croatas, Macedones, Thessalos, Atholos, Beotios caeterasque ritu graeco Sacra obeuntes gentes non annumerarit, tunc enim religio (ut auctori placet) graeca non modo Polonos, sed etiam Gallos et Germanos Latinos numero superasset. Verum potius ad Moldavos, Valachos, aliasque gentes schismaticas, non tantum e Photiano schismate, sed etiam

e ritu, si ita placet, graeco, ad orthodoxam religionem ritumque latinum traducendos zelum suum converteret, quam Ruthenos catholicos acerbo calamo insectaretur. Sed jandem (si id displicet consilium) Valachos et Moldavos omittat, sat habet in Polonia, In quo suum zelum exerceat; adsunt tot Lutherani, Calvinistae, Photiani, Tartari Mahometis sequaces, nil vero de Hebraeis dicimus, quos sane si (f. 336) converteret- forte ipsos Ruthenos plusquam centenario novis proselytis superaret, atque periculum (nescimus quale) a statu Reipublicae averteret. Verum hae sunt spinae et tribuli propter nostrum apostolum, cavendum sibi ducit ab aculeis, facilius putat, his omissis, maturas iam et selectas Domini fruges e campo alieno ad horreum suum congregare, atque tanto iustitiae, veritatis, pacis et unionis ecclesiasticae detrimento alienorum in Vineam Domini laborum fructu potiri. Nil moratur noster auctor, quis pondus diei et aestus sustulit? quis agrum coluit? quis cum lacrymis semina spersit, sudoribus et sanguine rigavit? dummodo ipse manipulos cum exultatione portet. Haec est summa rei, totumque argumentum, quod auctorem ad huiusmodi indignas luce rhapsodias conscribendas permovit. Tertium est, quod ritum graecum inter plebeios praesertim multiplicatum esse asserit. Non negamus sane notabilem nobilium numerum imprudenti nonnullorum facto ad ritum latinum traductum fuisse, unde quantum multiplicetur religio graeca etiam ipse noster eximius scriptor haud obscure innuit. Verum tamen sciat non deesse adhuc graeco catholico in Russia ritui viros nobilitate, auctoritate atque opibus praeditos, qui acerrime, ubi primum nomen auctoris innotuerit, tam graves genti atque ritui illatas iniurias persequi et vindicare non omittent.

Quinto. Quia ritus graecus Poloniae a suscepta unione non semel et ultimarie ab ultimo saeculo defecerat, et in qualibet defectione tot motus in Republica et ultimarie Chmielniccii interceperant, metusque est, ne propter multiplicationem populi graeci ritus sit impar respondendi latinus, tollaturque in duplici ritu aequilibrium.

Ad quintum. Hic tandem totum quod animo gerebat virus in gentem Ruthenam auctor iridus evomuit, duo esserens: primum, quod ritus graecus non semel et ultimarie ab ultimo saeculo defecit. Haec assertio nulla alia responsione indiget, quam auctorem nostrum atrox cum alibi, tum hic potissimum sanctae veritati bellum indixisse; quam vero feliciter! ipse intelliget, ubi id (f. 336v) quod asserit, nullo documento, nullo exemplo, nullius auctoris testimonio probare valebit. Se aeterna veritas Ruthenos innocentes appellant, quam non latet, qua constantia centum sexaginta annis pactam, iuratumque Sedi Apostolicae fidelitatem servarunt, postquam anno 1595 Clementi VIII, Pontifici Maximo, debitam obedientiam devovissent, nonne Roxolana Ecclesia serie haud interrupta a Michaele Ragoza usque ad modernum feliciter eam gubernantem iam duodecim Metropolitanos a Sancta Apostolica Sede confirmatos et institutos recenset. Nullus profecto ex schismaticis etiam eo proterviae progressus est, ut unionem Ruthenae Ecclesiae incostantiae argueret, quod sane ad eam impugnantam atque e numero operum Dei delendam haud incongruum inimicis Ecclesiae argumentum foret. Excutiantur Sacrae Congregationis de Propaganda Fide tabularia, quae omni anno authentica non interruptae Ruthenorum cum Sede Apostolica communionis documenta offerrent. Consulat tandem auctor Kojalovium, Soc. Jesu, in *Miscellaneis*, titulo: *de statu religionis orthodoxae in Lithuania*; Kviatkievium in *Gest.*

Pol., Leonem Krewzam in *Apologia Unionis*, Joannem Dubovium in *Hierarchia ecclesiastica*, Pachomium Ohylevium in *Harmonia rituum ecclesiasticorum*, Jacobum Susza in *Cursu vitae, Saulo et Paulo, Phaenice redivivo*,¹²³ atque in quadam manuscripta Sacrae Congregationi de Propaganda Fide oblata informatione de anno 1640, quam in Archivio Sacrae Congregationis extare in comperto habemus; Moysium Kulesza, Soc. Jesu, in *Fide Orthodoxa*, tandem novissime Ignatium Kulczynium in *Specimine Ruthenae Ecclesiae*,¹²⁴ ex quibus facile unionem Ruthenae cum Latina Ecclesia toto hoc centum sexaginta annorum spatio inviolatam perstitisse discet. Sed quid nos huic calumniae refellendae immoramur, quae adeo evidenter cum veritate pugnat, ul' ulteriori responsione non egeat, officium tamen christianae caritatis praeterire non possumus, quin auctorem (f. 337) moneamus, expendat secum ipse quam aequissimo iuxta ac veracissimo iudici excusationem afferet, cui etiam otiosi unuscuusque verbi exacta ratio reddenda erit. Alterum in hac reflexione auctoris nostri annotari debet, quod perfricta atque in omnem casum obfirmata fronte asserat: Ruthenos tot motus in Republica, Duce Chmielniccio, excitasse. Quam gravis hic Ruthenae genti iniuria afferatur? quisque intelligat, ubi expenderit auctorem nostrum unam praedonum manum ripas Borystenis incolentem, ex variis nationibus, gentibus, ritibus et linguis congregatam (quam Cosacos nominant), ut hac ratione odium integrae Ruthenae genti conscisceret, nomine Ruthenorum appellare non dubitasse. Nullus profecto historicorum bellum Chmielniccio Duce susceptum Ruthenis adscripsit, nemo e nobilitate Ruthena, imo nequidem de ipsa plebe sub signis Chmielniccii militavit, si solos Borystenis accolae excipias, qui ingentibus Chmielniccii promissis inducti, atque ab emissariis graecorum (Exarchas se Constantinopolitani throni dicebant) religione obstricti Cosacis Zaporoviensibus adhaeserunt, multo minus nemo, praeter nostrum eximium auctorem, cum coaevis, tum etiam posterioribus historicis affirmavit, Ruthenos Unitos unquam debitam Reipublicae fidelitatem violasse. Si vero de Chmielniccio disserere velimus, quo ex ritu ortus sit? nunquam nos satis auctor noster docere poterit.¹²⁵ Quanquam ire inficias nequimus, eundem postquam inter Cosacos, quibus nomen dederat, crevisset, schismaticam sectam publice professum fuisse, quo homo

¹²³ Jacobus Susza, Ep. Chelmensis (1652-1685), qui scripsit plurima opera, inter qua etiam: *Cursus vitae et certamen martyrii B. Josaphati Kuncevicii*, Romae 1665; *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine beati Josaphati transformatus sive Meletius Smotricius*, Romae 1666; *Phoenice redivivus sive imago longe vetustissima Virginis Matris Chelmensis*, Zamostiae 1646, Leopoli 1653, Zamostiae 1684, 1689. Opus Pachomii OHILEVYC prodiit, ut videtur, anno 1671, lingua polonica scriptum. Joannes DUBOVYC et Leo KREUZA agebant et scribebant an. 1620-1630 Opus Krouzae prodiit anno 1617 Vilnae: «*Obrona jednosci cerkiewnej*». KOJALOWICZ ALBERTUS. S. J., *Miscellanea rerum ad statum ecclesiasticum in Magno Lithuaniae Ducatu pertinentium*. Vilnae 1650. De Stanislae Kwiatkowski cfr. notam 120.

¹²⁴ Kulesza Joannes Aloysius, S. J. (1660-1706). Missionarius et scriptor. Edidit opus famosum suis temporibus in lingua polona: «*Wiara prawoslawna pismem s. soborami i sw. ojcam, mianowicie greckimi, i historia koscielna objasniona*, Vilnae 1704. Ignatius KULCZYNSKI, *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Romae 1733.

¹²⁵ Bohdan Zenobius Chmielnycyj, nobilis ucrainus, discipulus scholarum S. Jesu, dux cosacorum in bello contra Regnum Poloniae (1648-1656). Ucrainam anno 1654 Imperio Moscovitico nuivit. Plurima exstant opera de eo scripta in lingua ucrainica, polonica et moscovitica aliisque,

novis rebus studens, infestos Polonis schismaticos Transborystenenses populos atque iis vicinos Valachos, Moldavos et Moschos praetextu tuendae graecae (sic Schismatici Photianam sectam appellabant) religionis in societatem belli pertraheret, vix tamen in dubium verti potest, cum nulli religioni interne addictum, non pluris schismaticam sectam, quam orthodoxam fuisse religionem. Ut enim caetera (f. 337v) simulatae ab eo duntaxat ad speciem religionis documenta ommittamus, satis erit innuere eum inter Zaporovienses praedones educatum, quos nemo non scit, nihili religionem, nihili fas et aequum, ipsamque vitam facere solitos. Tandem sufficit referre, quae de eo contemporanei scriptores (inter quos Aloysius Kulesza, Soc. Jesu, citans ibidem Kojalovium, eiusdem Soc. et Twardowscium, indigenas et coevos historicos) ad posteros transmisere: Illum, nimirum, interdum ebrium et vix sui compotem Eucharistiam de manibus suorum Mystarum sumere non dubitasse; nil vero evidentius monstrabit, quid de omni religione sentiret, quam quod ingenti praelio a Polonis victus, ut labentem fortunam erigeret, Turcarum Tyranni auxilium imploravit et quo facilius eum ad bellum Polonis inferendum concitaret, se atque integram Ukrainam illius potestati obtulit, nec dubitavit spondere, se, etiam Christo abnegato, Mahometi nomen daturum. Simulate itaque vir impius et nullius fidei Photianae sectae adhaeserat, quod eam rebus suis utilem esse nosceret, et hinc sumpsere originem ardentis ad speciem Chmielniccii curae tollendae e Russia Unionis, hinc gravissimae Ruthenorum Catholicorum persecutiones, innumerae neces et sat copiosa martyrum Ruthenorum caelo transmissa cohors, ut ex relatione coevi, qui et ipse innumeras aerumnas, carcerem atque vulnera a Chmielniccianis sibi illata fortiter pertulit, Iacobi Susza, Episcopi nostri Chelmensis,¹²⁶ Sacrae Congregationi de Propaganda Fide porrecta facile discimus. Et sane cur Chmielniccius in oblati aliquoties Reipublicae pacis conditionibus, atque in illis praesertim, quas ad pagum Zboroviensem ipse,¹²⁷ tum post eius interitum ad Hadziak Wyhowscius et Niemirycius,¹²⁸ Schismatici, cum Republica polona inierunt nomen Unionis e partibus Russiae deleri, catholicos Ruthenos Praesules Ecclesiis pelli, Schismaticos praerogativis Senatorii Ordinis cohonestari tanto studio curassent, si huius belli et motuum in Republica Rutheni uniti complices, aut Chmielniccianae factionis assertores forent. Tandem si Cisborystenses Rutheni, qui Unionem ab anno 1590 cum Sancta Latina Ecclesia inierunt, (f. 338) Chmielniccio adhaesissent, motusque quorum auctor meminit, concitassent, olim iam Republicae polonae leges objicerent, atque ut Transborystenenses a Chmielniccio seducti perduellionis erga Rempublicam, atque pervicaciae in retinendo Schismate rei Moscoviticae servituti addicerentur.¹²⁹ Grati itaque auctor noster Schismaticorum crimina Ruthenis catholicis imputat, alias enim bellum rusticum, pseudo-evangelizante Luthero in Germania, conflatum, Germanis

¹²⁶ Fortasse agitur de s. d. *Laboribus Unitorum*, editis in M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, pag. 298-349.

¹²⁷ Tractatus s. d. Zboroviensis an. 1649, mense Augusto, inter polonos et cosacos initus,

¹²⁸ Joannes Wyhovskij, dux Cosacorum, et Georgius Nemyrycz, Nobilis ucrainus, auctores ex parte ucraina s. d. tractatus Hadiacensis an. 1658.

¹²⁹ Obiectio haec saepe saepius a polonis movebatur, ucrainos moscovitis favere et in perniciem Reipublicae polonae adlaborare. Cum hac obiectione characteris politici etiam illa ecclesiastica et religiosa iungebatur, nempe ucrainos semper ad schisma proclives fuisse et esse.

catholicis adscribendum foret, hoc unico intercedente discrimine, quod hi vere a religione orthodoxa apostatae partibus Lutheri addicti publicam Germaniae tranquillitatem turbarunt, at Transborystenenses, qui Chmielnicianorum Cosacorum partes auxere Rutheni semper alieno ab unione ecclesiastica animo fuerunt, et (si aliquam excusationem merentur) facile ab erroribus graecorum ad sectam photianam etiam armis asserendam incitari potuere, cui pertinacissime adhaerentes interna Chmielnicii sensa noscere non valebant. In vanum itaque pertimescit noster scriptor inauditum a saeculis ritus bellum inter catholicos, vereturque ne propter multiplicationem populi graeci ritus sit impar respondendi latinus, tollaturque (crederes auctorem aliquod generale Europae faedus meditari) in duplici ritu aequilibrium. Ritus quippe diversitas diversitatem populi non efficit; et si hucusque Rutheni catholici debitam Republicae fidelitatem atque devotam semel Sedi Apostolicae obedientiam constanter servarunt, nihil est, quod sibi religio orthodoxa a catholicis, Respublica a suis civibus pertimescat; noscunt peroptime libertatis, qua in Polonia perfruuntur, praerogativam Rutheni, noscunt veritatem orthodoxae religionis, eiusque retinendae ad consequendam aeternam salutem necessitatem, neque verentur religioni atque patriae tuendae, ubi opus est, vitam sanguinemque impendere. Quidquid itaque hac integra succincta reflexione caritatis, iustitiaeque parcus, honoris vero alieni prodigus auctor in medium attulit, totum est mera, eaque atrocissima, nequidem verosimiliter Ruthenis catholicis assuta calumnia, (f. 338v) ore vero verbum Divinae veritatis dispensante prorsus indigna.

Sexto. Derelinquerentur ecclesiae latinae ob defectum parochianorum et augmentarentur graecae, propter numerosissimum populum Ruthenum, quod nunc etiam in experimento habemus; etenim in uno pago aut villa tres vel quatuor parochi graeci et totidem ecclesiae ritus ejusdem reperiuntur, a contrario vero parochiae ecclesiae latinae intra suos fines viginti et ultra pagos, et villas comprehendunt, paucissimis parochianis latinis numeratis et copiosissimo numero Ruthenorum cum suis ecclesiis graecis inhabitatas.

Ad setum. Nisi omnes fideles ritus latini simul mortem obire, aut steriles vita decedere contingerent, aliter id, quod hic asseritur, evenire non posset. Quod si Rutheni libere latinis laicis ad proprium ritum transitum a Sede Apostolica procurarent, tunc forte cum aliqua ratione diceretur derelinquendas ecclesias latinas et augendas graecas, ast ubi latini proprium, graeci vero suum ritum retinuerint, quid tandem causae foret derelinquendarum ecclesiarum latinarum? plane non videmus. Non difitemur unam latinam parochialem ecclesiam non modo viginti et ultra pagos, sed alicubi quinquaginta et amplius villas et oppida suae spirituali respective curae subiecta possidere, uniusque latini parochi jurisdictionem ad 80 imo etiam ad centum milliaria italica subinde extendi, atque iam magna nobilium et opulentorum parte e graeco ad latinum ritum traducta, ingentem pauperorum et rudiorum numerum Divino Consilio frequentioribus parochis graecis relictum, ut essent, qui parvulis petentibus panem frangerent quin imo ipsis latini ritus fidelibus in extremo necessitatis casu subvenirent, quorum complures longe a sua ecclesia parochiali habitantes recensere possemus, qui proprii pastoris nec vocem, nec faciem noscunt. Quo itaque

ausu? quo salutis animarum periculo? auctor reliquos quoque Ruthenos ad ritum latinum traducere vellet, ubi frequenter contingit, ut pauciorum ad praesens spiritualibus obsequiis latini parochi pares esse nequeant.

Septimo. Quia Sedes Apostolica plus confidere potest probatae in hoc Regno fidelitati et obedientiae Latinorum quam Graecorum.

Ad septimum. Non est ratio cur Latinos erga Sanctam Romanam Ecclesiam in hoc regno fidelitatem observantiae erga eandem communem omnium matrem et magistram atque devotioni Ruthenae gentis auctor praeponat. Noscit peroptime Sancta Romana Ecclesia Ruthenos unico salutis suae atque unitatis ecclesiasticae amore eius se fidei permisisse, nec iniquum auctoris odium quidquam de gentis nostrae gloria detrahet, quam ex tot fortissimis auctoritatis Romanae Sedi suo e sinu proditis vindicibus et assertoribus nacta est, quorum unius (f. 339) paenae saeculi spatio (initio ab Hypatio Pociey Metropolita Russiae, qui sanguine suo forum Metropolitanæ Vilenensis civitatis perfudit, sumpto, ad Emilianum Klimontovicz, nostra aetate, atque recentissima memoria anno 1742 a Schismaticis interfectum) plusquam ducentos martyres recenset, qui in Polonia constantem Ruthenae Ecclesiae erga Sanctam Apostolicam Sedem fidelitatem et obedientiam sanguine fuso probare non dubitarunt. Cujus veritatis probationes et documenta authentica contemporanee transmissa extant in Archivio Congregationis de Propaganda Fide. Profecto his luculentiora fidelitatis, devotionis et amoris Ruthenorum erga Sanctam Romanam Ecclesiam documenta desiderari nequeunt, cum ipso Servatore nostro docente, mortis terroribus spretis, ipsaque anima posita major caritas et dilectio dari non possit.

Octavo. Quia Graeci uniti conversantes cum Latinis majorem habent fructum in religione et pietate.

Ad octavum. In quolibet ritu, gente et communitate adesse oves, adesse haedos bonosque malis misceri, et uti nonnullos Ruthenos improbos bono latinorum exemplo aedificari contingit, non secus quoque persaepe evenit, probos ritus graeci fideles operibus pietatis et religionis cum proprii, tum alterius ritus fidelibus a via christianae perfectionis declinantibus facem praeferre. Sed quid tandem haec auctoris succincta reflexio probet? aut ad rem praesentem faciat? longa etiam adhibita meditatione conjicere non potuimus.

Nono. Quia plebs graeco-ruthena etiam a Latinis descendens nullomodo firmiter constituitur in religione sancta, imo plurimum declinare videtur a veris principiis, cum exiguum vel nullum faciet discrimen inter Unionem et dogma schismaticorum, visitando cum concursu populi ac speciali devotione loca distinctiora eorum extra Regnum, peregrinantes Kijoviam, quam summa venerationis habent, et ibi, ut plurimum, depravantur, peregrinanturque non (f. 339v) clandestine, sed palam et ad ejusmodi peregrinationis effectum ordinarie muniuntur testimonialibus suorum parochorum, qui ut plurimum, suos filios literis instruendos Kijoviam mittunt, et, proh dolor! plurimis in occasionibus afferre praesumunt se ad vomitum redituros.

Ad nonum. Falsissimo prima auctoris propositio supposito laborat: quod plebs graeco-ruthena a latinis descendat. Quod autem eadem plebs nullum inter photianum schisma et orthodoxam religionem discrimen facere asseritur, facillime auctor vel a rudissimo Ruthenorum falsitatis convinci potest; cur itaque videatur auctori declinare plebs Ruthena a veris religionis sanctae principiis? Nos sane non intelligimus, nisi id vitio ipsiusmet auctoris fieret, qui quae videt, videre se dissimulat, quae autem errore depravatae phantasiae somniat, videre se putat. Fatemur equidem plebem Ruthenam speculative (f. 339v) et doctrinaliter (ut aiunt) errores schismaticorum a dogmatibus fidei distinguere non posse, uti nec plebs latina in Polonia theologica processionis Spiritus Sancti a Filio, iustificationis per fidem bonis operibus fultam, infallibilitatis et efficaciae gratiae divinae salva libertate mentis humanae etc. assequitur arcana. Verum scit se utraque plebs in sinu orthodoxae ecclesiae positam, noscit bene, idque expresse lutheranos, calvinianos, socinianos, manichaeos, photianos a via salutis declinare, confitetur explicitè in Symbolo Fidei Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, audit in omni Missae Ruthenorum Sacrificio ter nomen Romani Pontificis, tanquam Supremi Ecclesiae Capitis publicis Deo precibus commendari. Quanquam controversa inter haeterodoxos et catholicos dogmata penititius (ut theologi faciunt) introspicere nequeant, non enim omnibus datum est nosce haec mysteria, neque adhuc auditum est in Ecclesia, ut quotquot sunt fideles, tot forent fidei magistri. Reliquum, quod hac succincta reflexione continetur, est pura calumnia, et si aliquos Ruthenorum novit auctor, qui peregrinationem devotionis causa Kijoviam susciperent, aut peregrinantes commendatitiis literis prosequerentur, cur eos locorum Ordinariis non detulit? contra quos uti vehementer in sinceritate fidei suspectos Episcopi, prout de iure, procedere non neglexissent, neque tam gravia crimina inulta sinerent. Verum hae sunt consuetae auctoris fabellae, quae eadem, qua asseruntur, facilitate negari debent. Neque credendum est quod auctor, ut Ruthenis odium consciscat, affirmare non veretur, eos interdum se ad vomitum redituros afferre; potissima quippe Ruthenorum pars est, qui in ortodoxa fide a teneris educati, ad vomitum, nescimus quem, unde non exiverunt, redire non possunt. Quod si de recens conversis ex schimate ruthenis id intelligi vult, fatemur ipsi periculum non deesse, ne auctoris nostri caritatis obliti, atque hac ratione pacem unitatemque catholicae ecclesiae convellentis, malo exemplo permoti, a sancta, quam (f. 340) recenter inierunt, unione desciscant, adque vomitum redeant; quid autem maneat eum, qui unum ex huiusmodi parvulis (nondum enim in religione adulti sunt) scandalizaverit, facile intelliget, dummodo Evangelium consulere velit.

Decimo. Quia ecclesiae et ritus latinus propter prohibitionem transitus essent in detrimento, et ritus graecus ejusque ecclesiae cum iactura alterius ditarentur, quia parochi ritus graeci praecipue in partibus Russiae et Podoliae latinos de Polonia advenas facillime ad suum ritum pertrahunt, infantes parochianorum latinorum, nulla habita super ipsis jurisdictione, in suo ritu baptizant, matrimonia benedicunt, et iis praetextu mulieris graecae assistunt; Corpora mortuorum latinorum contra praescriptum iuris sepelire non verentur, et saepe fit, quod vivente uno conjuge mulieres cum aliis viris et e contra copulare faciunt, et ex causa talium matrimoniorum innumerae oriuntur lites.

Ad decimum. Hic tandem auctor congerit rationes, quibus negato laicis Ruthenis a suo ritu ad latinum transitu, ritum latinum ad angustias redactum, ritum vero graecum cum alterius iniuria ditatum iri persuadeat. Verum perpendat secum, Ruthenos semper se intra limites justitiae et aequitatis continuisse, neque unquam importunis precibus Sanctam Apostolicam Sedem sollicitasse, ut latinis laicis transitus ad eorum ritum liber foret. Quis itaque cum iniuria alterius ditari vellet? An qui suam iurisdictionem duntaxat tuetur, an potius qui in alterius iura involaret? eiusque subditos ad diversam cum ritu iurisdictionem pertrahi curaret? Iudicium vel hostis esto.

Quod vero auctor peccata particularium personarum integrae Ruthenae genti et Ecclesiae imputet, ex suo ingenio et solito more id facit, ac primo universim persuadere vult parochos Graecos in Russia, praesertim in Podolia (male Podoliam a Russia distinguit, cum sit pars illius) commorantes, latinos de Polonia advenas ad suum ritum pertrahere. Quod si id imprudenti nonnullorum facto foret verum, uti est falsissimum, facile Rutheni Praelati consentirent, imo ultro ipsi Sanctam Apostolicam Sedem, quae Ruthenos ad unitatem fidei redeuntes paterno sinu excepit, favoribus et gratiis abunde cumulavit, iura omnia et privilegia atque integritatem ritus eorum firmam et inviolatam per Apostolicas Literas in perpetuum esse voluit, atque ea, quae pollicita est integerrima ad invidiam haeterodoxorum fide praestitit, ultro, inquam, Praelati Rutheni Apostolicam Sedem orare nunquam desistent, quatenus in unaquaque Dioecesi Commissarios ex utroque ritu designare velit, qui utriuscuiusque iniurias examinent, expendant, qui cum alterius iniuria (f. 340v) ditari curent? ad diversum ritum et iurisdictionem subditos alterius pertrahant? redeant sane ad proprium ritum, si qui invenientur traducti ad ritum graecum latini laici, dummodo ad ritum, graecum vicissim rediri compellatur, qui eum absque dispensatione Sedis Apostolicae deseruere. O, utinam aliquando huiusmodi iudices a Sede Apostolica delegarentur! volumina iniuriarum suo ritui et iurisdictioni illatarum afferrent Rutheni. Comprobarent facile actis suorum iudiciorum delata ad Praelatos parochorum suorum crimina, usurpatam latinorum parochorum iurisdictionem, praestitam matrimoniis latinorum assistentiam, copulata ut auctor ait, vivente uno conjugum cum altero matrimonia impunita, aut malitiose dissimulata nunquam mansisse. Comprobarent tandem nihil adeo enorme, facinorosum, impium apud Ruthenos contingere, quod etiam apud alios interdum non eveniat. Ex his facile auctor ipse sibi solutionem formabit ad reliqua accusationum capita contra presbyteros graecos hac sua reflexione formata.

Quantum attinet rationem status Reipublicae, nemo ignorat provincias Poloniae versus orientem sitas bello Turcarum, Tartarorum, ante pacta Carlovicensia¹³⁰ adeo depopulatas et devastatas fuisse, ut post retraditionem fortaliti Camenecensis vix aliqui veteres illarum provinciarum incolae remanserint, potissima nempe illorum pars vel hostili ferro sublata, vel servitutis iugo dedita fuit, successive tandem dum pax optata terrore victricium armorum Serenissimi olim Augusti II Regis Poloniae comparata reflorescere caepisset, populi, ut plurimum, latini e meditulo Regni congregati easdem provincias inhabitaverunt, qui sensim a ritu suo ob defectum ecclesiarum latinarum pro

¹³⁰ Pacta Carlovicensia inter polonos et turcas anno 1699 inita cum restitutione partium terrarum ucrainarum et arcis Camenecensis ex parte turcarum.

tunc dirutarum ad ritum graecum unitum declinarunt, suos ad suum (f. 341) ritum descendentes traxerunt, et licet subsequenter ecclesiae latinae, quarum adhuc magna pars desideratur, sensim restauratae sint, populusque superveniens latinus ritum suum ex parte retinet, at nihilominus in comparatione ritus graeci uniti, ut supra expressum, ritus latinus maxime est exiguus, unde Episcopi ritus graeci non habent in quo accusent Latinos, ac si pertrahant Graecos ad suum ritum, imo contrarium ex supra scriptis probari potest.

Hucusque noster auctor personam ecclesiasticam exhibuit, nunc autem alio se convertit, novas machinas admovet, quibus legem transitum a ritu graeco prohibentem expugnet, et sane ubi se nihil profecturum formatis praetextu religionis calumniis intelligeret, nunc iam togam induit, rationes quas status appellant conquirat, neque forte etiam a Sago abhorreret, si ipsi adeo facile catholicos inter se committere succederet, quaemadmodum fabellas texeret placet. Tota autem haec status ratio, quam ultimo loco annotavit, atque integri sui excellentissimi operis Achillem esse voluit, uno, quamquam sat prolixo syllogismo expedita est ab auctore, atque in prima propositione exponit. Ante pacta Carlovicensia oras Podoliae adeo devastatas a Turcis fuisse, ut post retraditionem fortaliti Camenecensis vix aliqui veteres illarum regionum incolae remanserint. Restituta tandem una cum fortaliti Camenecensi, Reipublicae Poloniae Podolia sensim (f. 341) populus christianus illas oras incolere caepit, atque ob defectum ecclesiarum et parochorum latinorum ad ritum graecum unitum defecit. Haec est summa primae propositionis, sat tamen incaute conscriptae; quaerimus enim: an solis Latinis ferrum hostile Turcarum fuit infaustum? An soli Latini servituti addicti? An solae ecclesiae Latinorum dirutae, soloque aequatae remanserint? fidelibus graeci ritus ecclesiisque eorum intactis? Minime gentium! Omnes pari servituti addicti, aequali clade affecti in spoliis genti immani, atque tristes barbarae crudelitati victimas cessere, nullum extante Turcis subiecta Podolia publicum religionis orthodoxae in utroque ritu exercitium permissum fuit, et nonnisi obtenda terrore victricium divae memoriae Augusti II armorum pace, simul cum Graecis tum Latinis illas oras incolere, ecclesias de ruderibus excitare, atque neglectum veri numinis cultum restituere licuit. Incredibile itaque est, quod auctor asserit, Latinos ob defectum latinorum tecclesiarum ad ritum graecum descivisse. Neque enim credimus (ut auctor non obscure innuere videtur) adeo tunc negligentes latinos Praelatos fuisse, ut Graecis ecclesias suas reparantibus, paraecias distinguentibus, pastores et Presbyteros instituentibus, ipsi otiosi permanerent, suumque latinum ut plurimum populum e meditullio Regni congregatum a graecis Praelatis, parochis et populo numero inferiore alienae jurisdictioni addici sinerent. Verum tamen facile falsitas hujusmodi propositionis demonstrabitur, ubi Sancta Apostolica Sedes iudices Commissarios delegare dignata fuerit, Rutheni successores enim illorum, qui tunc ritum latinum petulanter dereliquisse asseruntur, ad ritum majorum suorum haud aegre redire poterunt, dummodo pari ratione suos rehabeant.

Cum tamen Sacrae Regiae Majestatis et Reipublicae Polonae summopere interest, ut in his regionibus Moschorum, Moldavorum schismaticorum (f. 341v) provinciis finitimis ritus latinus si non superet, saltem adaequet numerum Graecorum ad evitan-

das similes rebelliones, quales tempore regiminis Vladislai, Sigismundi et Joannis Casimiri, Regum, per famosum Bogdanum Chmielnicki,¹³¹ cum summo discrimine religioni-excitatas Respublica experta est, ubi ut plurimum presbyteri graeci etiam uniti rebelles schismaticos ad furendum contra Latinos incitabant, eo vel maxime attento, quod Graeci ut plurimum, innatum quoddam erga Latinos fovent odium.

Progredimur iam ad alteram auctoris propositionem, in qua auctor docet expedire Reipublicae, ut numero latinus ritus si non (f. 341v) superet, saltem adaequet fideles ritus graeci. Quod si exquiramus, cur id expedire auctori nostro videatur? respondebit, se ea ratione consulere velle integritati Reipublicae, ut similes illis rebelliones, quae aetate et scelere Chmielnicci acciderunt, evitentur; verum olim iam auctori respondimus: vanum esse eius timorem, iniuste Cosacorum crimina Ruthenis unitis ab eo imputata; ne vero a suo ingenio vel ad latum unguem recederet, hic quoque novam attexuit fabellam, catholicos graeci ritus presbyteros caedium a Chmielnicci patratum auctores fuisse per atrocem, atque omnis verecundiae expertem calumniam affirmans; ait enim: Ubi, ut plurimum, presbyteri graeci etiam uniti rebelles Schismaticos ad furendum contra Latinos incitabant. Profecto, cum ipse noster eximius scriptor bello Chmielnicciano non adfuerit, earumque, quae tunc gerebantur rerum estis esse non possit, aliquem assertorum a se contemporaneum testem adducere dequeret, sed nullum poterit; omnes, quippe, qui res a Chmielniccio eiusque asseclis datatas memoriae posterorum reliquere uno ore fatentur, Cosacos cum in omnes catholicos, tum vel maxime in Ruthenos unitos crudelem in modum saevisse; nullus tunc eorum absque evidenti vitae discrimine cum Cosacis congregari, multo minus dexteris iungere, aut contra alios incitare auderet, nullus quippe domi secure mansit, omnes ferme patriis sedibus extorres, voluntario exilio funestam aut vitae aut religionis amittendae necessitatem evitabant. Testabuntur Prussia et Silesia aliaeque conterminae Polonis orae, quae innumeros Ruthenorum ecclesiasticos, ipsam patriam, ubi a Cosacis ad necem quaererentur, relinquere coactos a furore Schismaticorum protexere. Testem tandem aget ipse Chmielniccus, qui, ut supra diximus, in oblati Reipublicae pacis conditionibus, omissis Latinis, solos Ruthenos unitos tolli, imo et nomen Unionis in Russia abolere contendebat; unde itaque tanta inter (f. 342) Cosacos Chmielniccianos et unitos Ruthenos necessitudo et amicitia repente oriretur? ut eorum presbyteros et Unionem Sanctam retinere permitterent, et in amicitiam reciperent, imo et consiliorum suorum participes facerent, atque in gratiam eorum contra Latinos, quos illi ad caedem designassent, furores exercerent? nemo nos, praeter nostrum scriptorem docere poterit. Profecto nihil magis sub tempus Chmielnicciani belli zelum et pericula Ruthenae Ecclesiae probare valebit, quam publica protestatio in generali Episcoporum et monachorum Basilianorum Bythenensi,¹³² die 21 Junii anno 1657 celebrato, conventu emissa, de tenore sequenti: Tertiae Sessioni adfuit Illustrissimus, Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Smolenscensis; repetita fuerint coram sua Illustris-

¹³¹ Annis 1648-1656, s. d. bellum polono-cosacicum, ex parte Chmelnickij excitatum ad executiendum iugum et dominium polonorum.

¹³² Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954.

sima Dominatione puncta supra scripta in praeteritis Sessionibus constituta, quibus libenter subscripsit sua Illustrissima Dominatio, ibique in particulari exposuit, qua ratione possemus, salva fide et conscientia, inire aliquam concordiam cum clero schismatico Kijoviensi; nec ea ad inventa, unanimiter constituimus prius facere facienda, et modos tentare praescriptos in prima Sessione, quod si memoratis modis non proficeremus, fidem sanctam catholicam firmissime tueri, cum iactura etiam bonorum et monasteriorum, ac tandem, si opus erit, patria quoque exulare et vita privari non detrectabimus. His evidentissimis aliisque compluribus fidelitatis et devotionis Ruthenorum erga Sanctam Romanam Ecclesiam argumentis minime attentis, licere sibi putat noster eximius scriptor, res quas nec vidit, nec audivit, nec a scriptoribus coaevis didicit, ad posteros transmittere et cum forte vix levissimam gestorum a Chmielniccio notitiam haberet, commentarios belli Chmielnicciani de suo (f. 342v) exornare, atrocissimis suorum confratrum calumniis augere, innocentes perduellionis, apostasiae, caedum, latrociniorum auctores facere non erubescit; imo, nos opinamur, se paulo plus se suo ingenio permisisset, Ruthenos etiam cum Juda Iscarioti in necem Christi conspirasse scribere non vereretur. At tandem, quanquam sero, intelleximus, quod ad huiusmodi calumnias Ruthenis presbyteris affingendas auctorem permovit, neque enim, ut quae scripsit, persuadent historicorum fidem consulendam, nec caritatem christianam, nec reclamantem conscientiam, nec veritatem posthabitam expendendam, sed id vel maxime attendere iubet, quod Graeci innatum quoddam erga Latinos foveant odium. Miseret nos sane hominis, qui ut Ruthenorum existimationi noceret, multum propriae detrahit, ubi haec, quae de gente graeca ante reparatam generis humani salutem alicubi scripta reperientur, Ruthenis nec linguam, nec mores, sed duntaxat ritum Sacrorum communem cum Graecis habentibus applicans, quanta rerum scientia polleat, satis se prodit. Nulla apud Homerum in Iliade Ruthenorum mentio, nemo eorum sub signis Agamemnonis militavit, nunquam Rutheni Trojanis (a quibus suam originem latini populi, non autem ritu duntaxat latino Sacra obeuntes Poloni traxerunt) infesti fuere. Quod si idem de modernis etiam graecis aliquos scripsisse inveniamus, esto; viderint illi, quod faciant Rutheni, profecto cum ritu mores et indolem Graecorum non contraxerunt, ubi semel devotam Sedi Apostolicae fidelitatem et observantiam, fortunarum etiam suarum et vitae discrimine constanter servantes, quam longe a levitate et inconstantia graecanici ingenii distent, satis superque comprobarint.

Proinde maximopere congruit, ut Sacra Regia Majestas, Dominus Noster Clementissimus (f. 343), ex motivis praeallegatis apud Sanctissimum Dominum Nostrum Papam instare dignetur, quatenus citata Bulla s.ae memoriae Urbani VIII non solum integra maneat, verum etiam nullum omnino Ruthenis laicis graeco unitis ponatur obstaculum transeundi sponte ad ritum latinum, et ut eo fine per novam declarationem mens Sanctissimi omnibus innotescat.

Nihil itaque est causae, cur Serenissimus Rex, Dominus Noster Clementissimus, suis fidelibus (f. 343) subditis, atque incluta Polona Respublica suis civibus, communibusque cum securitatis tum libertatis publicae vindicibus diffidat. Imo, ut evidenter pateat, cum orthodoxae religioni tum Reipublicae nullatenus expedire, ut liber Ruthenis laicis ad ritum latinum transitus aperiat (omissis profundioribus

Status rationibus, quos in hac materia solertibus et peritioribus investigandas et expendendas relinquimus), nostras nonnullas reflexiones una cum integro hoc scripto iudicio Sanctae Sedis Apostolicae, atque respective Excelso Regni Poloniae Ministerio submittimus.

Primo. Quia in multis Russiae partibus rarissimae sunt latinae ecclesiae adeo, ut interdum quindecim vel viginti leucarum intervallo vix una latina parochialis ecclesia reperiatur, et nisi hucusque spirituali fidelium latini ritus necessitati ex sola charitate et ad continuas latinorum parochorum preces parochi graeci subvenirent, crebro contingeret, ut in huiusmodi locis fideles latini ritus gratia Sacramentorum frustrati mortem obirent.

Secundo. Quia permissio huiusmodi transitu, evidenter in abolitionem integri in Russia graeci ritus tendente, nullus Episcopus graecus, salva conscientia, poterit alicui ex saecularibus Sacros Ordines conferre, deficiente certo et justo titulo, ad quem presbyteri saeculares ordinari possunt. Unicus titulus, quo Ordines apud Ruthenos saecularibus conferentur, sunt beneficia curata, modico ex agris proventu, praecipue autem spontaneis suorum parochianorum eleemosinis gaudentia; quocirca, stante incertitudine persistentiae in ritu graeco fidelium, incerti eo ipso fierent reditus adeoque et ipse titulus.

Tertio. Quia cessante ritu, emortuis ad praesens viventibus presbyteris, nec aliis ob defectum certi tituli substitutis atque sublata (f. 343v) facilitate opera presbyterorum graecorum subveniendi fidelibus ritus latini, brevi quaerendus erit, qui tot millionibus animarum inserviat, usquequo novis foundationibus augerentur a Graecis derelicta beneficia, cum haec, quae ad praesens Graeci possident, latinis presbyteris, majores proventus exigentibus, sufficere non poterunt, neque ut opulentiora reddantur, ob insignem quae inde magis augetur parochianorum copiam, uniri possunt. Unde ingens animarum sequerentur pernitias et millionibus hominum infernus impleretur, quod nos certo certius praevidentes, non alia de ratione, praeterquam exonerando nostras conscientias, Sanctae Apostolicae Sedi deferimus.

Quarto. Quia traductis laicis graecis a ritu proprio ad diversum, clerus quoque praelaturae et episcopatus ritus graeci, cum iactura iuris patronatus tam Serenissimi Regis, Domini Clementissimi, quam etiam aliorum respective interesse habentium tollantur, necesse est; ecclesiae quippe absque populo, pastores absque ovibus subsistere non poterunt.

Quinto. Quia nulla a fidelibus suis parochis et episcopis servabitur reverentia et obedientia, nulla in moribus disciplina christiana, nullus metus censurarum, cum unicuique, sui pastoris iurisdictionem transeundo, pro arbitrio ad ritum diversum excutere licebit.

Sexto. Quia hac ratione praecludetur via conversioni schismaticorum, praebebiturque occasio, ut religionis orthodoxae inimici proclives e suis ad Unionem in cordis durtia confirmant, neoconvertos et nondum satis firmos in ruinam trahant, aperto ore id verificari declamantes, quod ad praesens cum summa religionis orthodoxae iniuria Ruthenis unitis coniective obiectant, eos hoc unice fine a Latinis ad unionem tractos, ut Episcopatibus, praerogativis, bonis et iurisdictione una cum ritu graeco abolito sensim spoliarentur.

(f.344 Septimo. Quia permissio huiusmodi transitu, novum cum commorantibus

in Polonia schismaticis, tum etiam finitimi Imperii incolis praebebitur scandalum novumque pervicationis in Sanctam Romanam Sedem odii argumentum, quo declamabunt non modo schisma, sed etiam sacros Orientalis Ecclesiae ritus a Latinis improbari, ubi unitos cum Sancta Romana Ecclesia ritus graeci fideles, ultro iis oblata facultate, proprium ritum deserere animadverterint.

Octavo. Quia cum Rutheni curent sacris missionibus numerum catholicorum in dies augere, Unionem sacram per innumeras aerumnas, sudores ipsumque sanguinem largiter toties effusum propagare, verendum, ne aperto arbitrarii transitus a ritu graeco ostio, videntes se fructu laborum suorum spoliari, aliquid humani patiantur, et non nihil de ardore suorum in Vineam Domini laborum remittant.

Nono. Quia cum antiquissimis Serenissimorum successive Regum privilegiis, etiam a moderno feliciter nobis imperante confirmatis, legibusque patriis cautum sit, ut per praecipuas Russiae et Lithuaniae civitates aequali ex latino et graeco ritu numero viri in magistratum legerentur, traductis Ruthenis catholicis ad ritum latinum' beneficio huius legis soli Schismatici potentur necesse erit. Hinc quid etiam cum episcopatibus, beneficiis et bonis ecclesiarum Ruthenarum, cessante vel ad infirmitatem reducto ritu graeco catholico, contingeret facile colligere licebit, cum enim episcopatus, beneficia et bona Ruthenarum ecclesiarum expresse atque immemorabili tempore pro ritu graeco fundata sint, deficientibus graecis catholicis superstites adhuc in Polonia Schismatici haud aegre tantum praesidii in finitimo (f. 344v) imperio habebunt, quo praetextu graeci ritus innumeris privilegiis, constitutionibus et legibus Regni Poloniae et M. D. Lithuaniae firmati, in iuria Ruthenorum catholicorum succedant, quae autem inde integritati cum religionis orthodoxae tum etiam Reipublicae metuenda provenirent, nobis pro debita erga Sanctam Sedem Apostolicam et Rempublicam observantia et fidelitate innuere sufficiet.

Novissime tandem inimici Ruthenorum novas in vulgus sparserunt schedulas, consimili ac succinctae informationes spiritu, justitia, et veritate conscriptas, quas uti non dubitamus a coniuratis in Sanctae Unionis perniciem et securim ferme ad radicem apponere cupientibus propediem Romam afferendas, ne imparati adoriatur, easdem hic inserere et quantum cum veritate pugnent, demonstrare operae pretium ducimus.

Primo. Rutheni censuras adhibent cogendo Ruthenos latinizatos ad reditum ac si in fundamento Bullae Urbani VIII.

Ad primum. Merito, etsi id perraro contingit, Ruthenos censuras adhibere in casu praemisso, id quippe quod invalide factum fuit, pro infecto censeri debet, cum itaque sub paena invaliditatis actus Ruthenis transitus ad ritum latinum vetitus fuerit, profecto Rutheni, qui petulanter ritum proprium deserunt, quousque dispensati specialiter a Sancta Sede hac super re fuerint, ad iurisdictionem Episcopi Rutheni certo certius spectant, atque ubi citati comparere in iudiciis renuunt, praemissis canonicis monitionibus tanquam contumaces et inobedientes excommunicari debent, neque a censuris in praemisso casu adhibendis unquam Rutheni Episcopi abstinebunt in fundamento decretorum Sedis Apostolicae, atque exhibitae illis circa confirmatam sub Clemente VIII cum Sancta Latina Ecclesia Unionem servandorum manutendentiumque Orientalis (f. 345) Ecclesiae rituum promissionis, cui Sanctam Apostolicam

Sedem tamquam comunem Graecorum et Latinorum matrem nunquam defecturam firmissime credunt.

Secundo. Rutheni parum iuste conqueruntur, cum facto calculo reperientur paucis ab hinc annis plures Latini ruthenizati, quam sint Rutheni latinizati, imo Ruthenizati etiam cum Schismaticis communicant.

Ad secundum. Utinam aliquando calculus atque ratio latinizatorum atque ruthenizatorum ineatur, facile constabit, qua fide et sinceritate haec propositio conscripta sit, quod autem de communicatione ruthenizatorum cum Schismaticis affirmat, praeterquam quod in falso supposito procedit, est pura calumnia, cui absque maturo examine fidem adhibere non licet.

Tertio. Latini nunquam adhibent persuasivas malas artes, minas, ut Ruthenos ad ritum latinum trahant, imo potius Rutheni pluribus artibus utuntur ad attrahendos Latinos, quos complures ad regimen parochialium ecclesiarum assumpserunt.

Ad tertium. Innumeris exemplis, quod hic negatur, probari potest, atque primo sufficet innuere hanc licentiam alicubi, uti in Dioecesi Brestensi non adeo pridem etiam ad illicitos et minus honestos modos progressam fuisse.¹³³ Recentissime vero falsitatem allatae propositionis evidenter demonstrat integra amplissima Luczaiensis parochia, quae ab Illustrissima Domina Puzynina, Castellana Livoniae, pulso spoliatoque presbytero rutheno atque fundis ecclesiasticis in usum suum conversis, per vim adhibitam, caedes etiam et vulnera ad ritum latinum amplectendum coacta fuit, uti ex instituta cum praemissa Domina Castellana, ubi de iure, actione evidenter demonstrabitur. Rutheni, e contra, quibus artibus ad ruthenizandos Latinos uterentur non satis edocet auctor, nec diffitentur graeci Episcopi nonnullos Latinos clero Rutheno cooptasse, sed id Latinorum exemplo fecisse, qui multo plures Ruthenos clero latino cooptarunt.

Quarto. Rutheni occasionem querelandi sumunt ex eo, quod Schismatici abjurato schismate communiter amplectuntur ritum latinum, ut nequidem occasionem (f. 345v) habeant redeundi ad vomitum, istis enim libertas est acceptandi ritum pro libito.

Ad quartum. Nunquam Rutheni inficiantur neoconversis Schismaticis, ut quem voluerint ritum amplectantur, noscunt bene pretium salutis aeternae, quod haud aegre omnes etiam Schismaticos (f. 345v) ritum latinum profiteri paterentur, dummodo communionem Sedis Apostolicae inire vellent, multum quoque cum veritate pugnat, quod asseritur: Schismaticos communiter cum schismate ritum graecum

¹³³ Modi hi varii erant: in scholis, in vita publica et politica, in vita sociali polonos et ucrainos inter, actio militaris, actiones cleri tum saecularis tum regulatis, etc. Historia huius causae transitus plena est exemplis, quae hic enumerare esset impossibile. Hoc modo natio ucraina omnem fere suam nobilitatem amisit, quae ad castra transiit polonorum, non solum in rebus ecclesiasticis, sed etiam politicis.

deserere, cum vix centesimus id faciat. Et si aliquem privato respectu non autem amore salutis aeternae unionem amplecti contingit, quemcunque ritum profiteatur, latinum vel graecum, cessante fictionis motivo ad vomitum impune redire patet id in Viszniewscio, moderno Smolenscensi in Moschovia Episcopo schismatico, et Zaborowscio non adeo pridem vita functo Kijoviensium Pseudoepiscopo,¹³⁴ imo iam ferme apostasia pro communi non censetur, quod validissimo finitimi imperii praesidio protecta sit. Ruenter Oranscius, publicus e ritu latino apostata, monasteriorum in Polonia schismaticorum praefecturam gessit, neque ad eam insolentiam et proterviam modernus Mohiloviensis Pseudo-praesul devenisset,¹³⁵ ut ritum latinum, quem una cum unione inierat, abjiceret, et veluti in praemium boni operis infulis etiam intra Regni catholici fines exornatus, Unioni Sanctae insultaret, nisi probe sciret, se potentissima finitimi Imperii manu suffultum, quaeque etiam atrocissima absque ullo metu praestare posse. Utinam huc suum zelum Domini Ecclesiastici polonolati convertenter, unitosque in hoc monstro debellando expetitis toties auxiliis iuvarent, plus sane de Deo, quam Catholicos Ruthenos oppugnando, religione et patria mererentur. Quantum enim memorati Pseudoepiscopi audaciam augeat praesens, quam a suis in religione confratribus patiuntur Rutheni persecutio, non modo enarrari, verum ne fonte etiam lacrymarum deplorari valebit.

Quinto. Maximus numerus Ruthenorum (f. 346) schismaticorum etiam ex eo est, quod ipsorum natio a Latinis respiciatur ut servillis, et de schismate suspecta.

Ad quintum. Haec propositio ab homine exotico et qui Poloniam vix a longe novit (f. 346) conscripta esse videtur. Quis unquam in Polonia audivit, ut ritus nobilitatis argumentum sit? Alias enim omnes rustici, qui ritum latinum profitentur, stivas et aratra olim abiecissent. Vellemus sane, ut huiusmodi sciolus aliquem in Russiae partibus nobilium conventum adiret, atque hanc, quam hic temere profuxit, propositionem recitaret, facile, quam responsionem promeruit, edoceretur et bene, quanquam sero, intelligeret quantum in Russia constet nobilitatem et sinceritatem religionis ex ritu aestimare. Et sane palam est, et evidentissimum, graecum ritum nemini ad Senatum amplissimasque etiam in Republica dignitates aditum praeccludere, idque omnis aetatis exemplo demonstrari potest. Moderna etiam tempora Illustrissimum, Excellentissimum Dominum Basilium Ustrzycium, gentis Ruthenae decus Castellanae Premysliensem, Senatui Regni Poloniae allectum testantur. Qui autem cum militaria tum Palatinatum publica officia etiam in praesentiarum gerunt nobiles Rutheni, quantam hic sibi iniuriam inferri patiantur, facile, ubi innotuerit, auctor cognoscat. Nulla sane Generalia Regni Poloniae Comitia celebrata fuerunt, quin complures Rutheni nobiles legatione Palatinatum fungerentur, aequalique cum latinis nobilibus praerogativa gauderent. Haec omnia sunt publica, neque ulla probatione

¹³⁴ Raphaël Zaborovskyj, Metropolita Kioviensis in iurisdictione Patriarchatus Moscovien-
sis (1731-1747).

¹³⁵ Episcopus Mohiloviensis tunc temporis erat Hieronymus Wolczanskyj (1743-1754); Obit
die 14 Octobris 1754 Mihiloviae.

egent, credat itaque, qui vult, tam eximio fabellarum architecto, qui etiam suae existimationis immemor, ut famam gentis Ruthenae proscindat, publicas falsitates venditare non dubitat.

Tandem Rutheni Catholici coram Deo, Sede Apostolica, Serenissimo Rege, Domino suo Clementissimo, integra inclyta Republica, atque universo christiano orbe ad memoriam etiam posterioris aetatis protestantur, se una ex parte a Schismaticis, ex altera autem a suismet in religione confratribus oppugnatos vehementer (f.346v) pertimescere, ne deficientibus in dies per continuas vexationes viribus ad eum statum redigantur, in quo orthodoxa religio in Russia a Schismaticis (quorum adhuc ingens numerus superest), validissimo finitimi Imperii patrocinio fultis, memorandum aliquod, et nunquam satis deplorandum vulnus percipiat.

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis (m. p.)

THEOPHILUS GODEBSKI, Prototronius totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis et Brestensis (m. p.)

SYLVESTER L. RUDNICKI, Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceoriensis et Ostrogensis (m. p.)

GEORGIUS BULHAK, Episcopus Pinscensis et Turoviensis (m. p.)

ONUPHRIUS SZUMLANSKI, Episcopus Premisliensis, Sanocensis et Samboriensis (m. p.)

LEO SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, Kamenecensis (m. p.)

FELICIANUS WOŁODKOWYCZ, Episcopus Chelmensis (m. p.)

HERACLIUS LISANSKI, Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum Proto Archimandrita (m. p.)

37.

Vilna, 17 . II . 1753.

Informatio de transitu ad Ritum Latinum, adiuncta litteris Metropolitae, qua periculum Unionis demonstratur et motiva Latinorum explicantur. Informatio, ut videtur, compilata fuit calamo vel iussu Metropolitae.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 380-91.

INFORMATIO

Super Ruthenorum transitu ad Ritum Latinum.

Ea est in praesentiarum Ruthenae Ecclesiae infelicitas, quod ultra Schismaticorum gravamina, ab Ecclesiasticis quoque latinis Poloniae mirum in modum opprimatur. Qui relictis Schismaticis, Calvinistis, Lutheranis, et Mahometanae Sectae Asseclis, ipsisque in Regno Poloniae innumerabilibus Iudaeis, omnes conatus ac vires eo direxerunt, ut Catholicos Ruthenos ad Ritum Latinum pertraherent, et SS. Orientalis

Ecclesiae Ritus de Regno Poloniae, Magnoque Lithuaniae Ducatu pellerent. Quod est idem, ut proprias iurisdictiones cum damno Ruthenorum dilatarent, copioso alieni laboris fructu potirentur, non sine maximo etiam Schismaticorum scandalo, qui hac potissimum de causa ab amplectenda Unione S. retruduntur, *timentes* id secum posse fieri, quod Unitis contingere cum exultatione advertunt. Quibus malis et absurdis S. M. Urbanus VIII, Pontifex Maximus, pro sua paterna sollicitudine occurrere cupiens, prohibuit sub die 7 Februarii 1624 anni cum laicis, tum Ecclesiasticis Ruthenis, ne de caetero sine expressa S. Sedis Apostolicae dispensatione ad Ritus Latinum transire valeant, *Summario num. 1^o*. Quia vero Episcopis latinis (f. 380v) distinctam Ecclesiae Ruthenae iurisdictionem aegre ferentibus huiusmodi Apostolica Providentia summopere displicuit hinc maxima arte Regem Sigismundum III induxerunt, ut Nuntio Apostolico suasisset praedictum Pontificium Decretum omnino tendere in damnum Fidei S., eo unico adducto motivo, quod scilicet Rutheni eo usque dumtaxat in S. Unione contineri possent, quousque ipsorum Metropolita, vir ille zelantissimus Josephus Velaminus Rucki, e vivis non subtraheretur. Tali motivo undique falsissimo Nuntius Apostolicus super inductus *nimis* praecipitanter S. Sedi sub die 31 sequentis mensis Mai persuasit, praelaudati Decreti ad solos Ecclesiasticos restrictionem, *Summ. num. 2.*, quae attentis Nuntii Apostolici literis sub die 7 mensis Iulii eiusdem anni sequuta fuisse dicitur, *Summ. et num. eodem B.*; suaderi tamen haud possemus praefatum S. Sedis Apostolicae Nuntium rebus Ruthenorum satis fuisse addictum, tum quia motiva alioquin falsissima verificare praetermisit, et non verificata, nec umquam verificanda pro restringendo illo Decreto ad solos Ecclesiasticos S. Sedi suggestit; tum quia sequenti anno 1625, referens S. Congregationi perseverantiam Regis in opugnando priori Pontificio (f. 381) Decreto, agnovit quodammodo suam erga Ruthenos parvam additionem, ubi pertimescebat de hoc posse argui ab Eminentissimis Patribus, *Sum. num. 3.*

Neque fallimur Episcopos latinos pro libertate transitus Ruthenorum desudasse, et desudare, unico parum commendabili motivo propriae iurisdictionis dilatandae, ubi in coperto habemus eosdem Antistites statim anno 1626 a Rege Sigismundo emunxisse, ut Episcopi Rutheni uniti rationem spiritualis, et temporalis regiminis singulis annis plene ipsis redderent, *Summ. num. 4^o A.*, et quamvis huiusmodi Regia voluntate *nimis* Unitis iniuriosa *penes* Apostolicae Sedis patrocinium anno 1627 feliciter revocata, *Summ. num. eodem B.* a proposito subiugandi Ruthenos aliquantulum recesserint, occasione tamen Provincialis eorumdem Synodi anno 1720 Zamosciae celebratae, effectum antiquioris suae machinationis urgentes, non neglexerunt tentare, ut ipsis libera esset ecclesiarum Ruthenarum visitatio, nec uxor latina Ritus marit, Rutheni amplius sequi valeret, *Summ. num. 5. A.*, quamvis subinde lecto Leonisi Ruthenorum Metropolitae reponso improbante, ut par erat, iniustas ipsorum praetensiones ac instantias, *Summ. num. eodem B.*, subtacere. Spe itaque omni amissa iurisdictionem supra Ruthenos unitos mediante (f. 381v) aliquo tractatu obtinendi, eandem dilatare pertractione Ruthenorum ad Ritus Latinos maxima vi adnituntur, et ne ab incepto malo opere praepedirentur provida S. Sedis sollicitudine, quae iam in promptu erat, cumulatim adversus Unitos atrocissimis criminibus, veluti essent Rebelles, et Proditores Patriae, ac S. Sedis Apostolicae, expositaque quadam *nimis* interessata necessitate multiplicandi latinas, et imminuendi Ruthenorum ecclesias, super-

induxerunt Regem piissimum ad dandas anno 1752 Summo Pontifici Literas pro Ruthenorum e Graeco ad Latinum Ritum transitu non amplius inhiibendo. Obiectis sine pietate criminibus Episcopi Rutheni debitas, et lachrimis potius quam verbis conceptes iustificationes S. Congregationi de Propaganda Fide, et ipsi Summo Catholicae Ecclesiae Pastori per suum hic in Urbe Agentem exiberunt, instantissime expetentes, quatenus bona ipsorum fama adeo graviter vulnerata, et publicis scriptis coram toto Orbe penitus prostituta, saltem Literis Apostolicis sanari possit, et transitus Ruthenorum tam insolens, et scandalosus quantocitius improbetur, validiusque prohibeatur, ut latius habetur in annexa Episcoporum Ruthenorum informatione et ipsorum Agentis memoriali.

Remissis autem omnibus Ruthenorum precibus mense Julio (f. 382) proximi anni ad emeritissimum S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium,¹³⁶ ac brevi post eidem consignatis literis, quas Rex Poloniae pro conservanda Ritus Graeci Ruthenorum integritate SS.mo Domino Nostro scripsit, praedictus Russiae Agens mense elapso 7mbris urgentissime supplicavit praelaudato Ministro, ut Regiis oppositionibus sufficienter iam sublatis, et absurdis, ac scandalis ex insolenti Ruthenorum transitu magis magisque crescentibus, Decretum Urbani VIII, sub die 7 Februarii 1624 anni latum, sine alteriori retardatione publicari, ac bonam Uitorum famam criminibus temere obiectis mortaliter vulneratam sanari faciat. Cum autem idem Agens *jussu* eiusdem ministri nuntiasset Russiae Praesulibus, quod scilicet S. Sedes Uitorum super transitu prohibendo votis annuere minime valeat, tum quia huiusmodi negotium respiciat integrum Poloniae Regnum, tum quia Rex prohibitionem transitus impugnet, nec in postremis literis vel minimum verbum de amotione praecedentis suae oppositionis facere videatur, hinc Episcopi Rutheni maiori tacti dolore, eumdem Agentem suum de quadam in operando lenitate graviter arguerunt, suasque anteriores preces SS.mo Domino Nostro, et Emin.mo S. Congregationi Praefecto¹³⁷ renovarunt, aliisque Emin.mis Patribus (f. 382v) enixe supplicarunt, id unice expetentes, ut materna S. Ecclesiae Romanae pietate, clementia, iustitia, et auctoritate tandem aliquando liberentur a praepotentia, oppressione, et violentia latinorum Poloniae Ecclesiasticorum, ac denique tot tantisque absurdis, et scandalis ex petulanti Laicorum transitu *impune* crescentibus optatissimus finis imponatur.

Quod ut facilius miseri Uniti consequi valeant, Emin.mo Cardinali S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, ac eius mediante patrocinio Emin.mis DD. Cardinalibus S. Congregationem de Propaganda Fide componentibus, nec non ipsi SS.mo Domino Supremo Universalis Ecclesiae Pastori veraciter ac humiliter exponut, quod etsi publicatio prioris Decreti Urbani VIII, ob Sigismundi III Regis contradictiones, *suspensa* fuerit quoad Laicos Ruthenos, nihilo tamen minus ipsum Decretum in toto suo robore firmum, et intactum remansit, quinimo a S. Sede confirmatum, et ab Episcopis latinis Poloniae acceptatum, ac executum fuit, *accedente* in id consensu, adeoque cessante praecedente oppositione Regis, et Regni. Quantum attinet S. Sedem, haec licet si attentis inattendibilibus motivis a Nuntio Poloniae sibi propositis prae-

¹³⁶ Nicolaus Lercari (1744-757).

¹³⁷ Silvius Valenti-Gonzaga (1747-1756).

cedens Urbani VIII Decretum ad solos Ecclesiasticos restrinxerit, effectum tamen etiam (f. 383) quoad Laicos *eundem* obtinere satagens, confessarios latinos, ne amplius cum tanta diligentia Laicos Ruthenos ad Ritus Latinum sollicitarent, et inducerent, monendos esse voluit, tum per Nuntium Poloniae, *Summario num. dicto 2. B.*, tum per Generalem Societatis Jesu Praepositum, *Sum. num 6. et 7.*, atque in anno 1631, viriliter declarato, non esse recedendum a Decreto, cuius publicationem Sigismundus Rex impedire non cessaverat, *Summario num. 8. A.*, districtius monere iussit eosdem Confessarios, ut de caetero a reductione Ruthenorum Unitorum ad Ritus Latinum prorsus abstinerent, *Summario numero eodem B.* Quinimo Georgio, Russiae Metropolitana,¹³⁸ quaerente: Ultrum Laicis Ruthenis transitus ad Ritus Latinum licitus sit, minime haesitavit primum Urbani VIII Decretum Nuntio Varsaviensi ad exequendum anno 1712 transmittere, qui ab eiusdem publicatione intantum se abstinuisse retulit S. Sedi, inquantum credebat sufficienter posse votis Unitorum, et mandato S. Congregationis satisfieri obtenta sponsione, qua Episcopi et Regularium capita Ritus Latini sese obstrinxerunt super executione, et omnimoda observantia eiusdem Pontificii Decreti, ut publicum omnibus Polonis est.

Denique modernus SS. mus Dominus noster in sua Decretali, sub die 2. Mai 1744 ad Ruthenos data, quae incipit « Inter Plures » (f. 383v), Unitis sub maximo paenarum rigore praecepit, ut alteram praecedenti anno 1743, sub die 24 Decembris, ad Graecos Melchitas directam, quae incipit « Demandatam caelitus », strictissime observarent, qua non solum prohibuit transitum a Graeco ad Latinum Ritus, sed etiam benigniter declaravit, infantes Graecorum non inde censi esse Ritus Latini, quod interdum urgente aliqua necessitate a latinis Sacerdotibus baptizentur, *Summario num. 9. A. B. C.*, atque Nuntium Varsaviensem statim *instruxit* specialius, ut confessariorum latinorum libertatem in pertrahedis unitis ad Ritus Latinum cohiberet, nec abusum fieri permetteret, ex Responso S. Congregationis de Propaganda Fide interdum emanato, sed numquam publicari *permisso*, quod nempe Laici Rutheni in vim posterioris Decreti Urbani VIII nulla amplius indigeant facultate, aut dispensatione, ad effectum amplectendi Ritus Latinos, ut mox Ruthenis relatum fuit. Denique in suis Literis ad Episcopos Ruthenos anno 1751, mense 7mbris datis, confessus fuit suos Praedecessores semper abhorruisse, et se quam maxime abhorrere a libertate nociva, qua Laici Rutheni ad Ritus Latinum transeunt, atque pro paterna sua sollicitudine, et incomparabili erga gentem Ruthenam benignitate pollicitus fuit (f. 384) omnem movere lapidem, ne decretum Urbani VIII debito caveat effectu, declaravitque se desiderare non destructionem, sed conservationem Ritus Graeci, *Sum. num. 10.* Quis igitur amplius cogitare nedum sustinere poterit primum Urbani VIII Decretum abrogatum, et non potius intactum, confirmatumque fuisse, et esse? ubi luculentissimis factis supra relatis usque ad evidentiae gradum convincimur, S. Sedem constantissime, quovis tempore, et maximo zelo, ac studio indefesso, illius Decreti *etiam* quoad Laicos effectum, publicationem, executionem, et omnimodam observantiam commendasse, et praecepisse, atque a libertate transitus veluti SS. Orientalis Ecclesiae

¹³⁸ Georgius Vynnyckyj (1708-1713).

Rituum destructione, vehementer abhorruisse, et eorundem conservationi summopere invigilasse.

Pari certitudine credimus non posse negari idem praelaudatum Decretum acceptatum, executum, et observatum fuisse ab ipsismet latinis Poloniae Episcopis, qui Ruthenos latinizatos ad nativum Riturum redire saepius coegerunt, nec semel a Regularium Societatibus dimitti debere iusserant, ut super his Decreta prolata brevi huc transmittenda edocebant. Interim ad demonstrandam Episcoporum latinorum (f. 384 v) firmam voluntatem, et debitum zelum, quo saltem in publicis gestis semper pollebant pro conservatione Ritus Graeci, et executione Decreti toties laudati, exuberabant sequentes actus, quos inter non postremum obtinet locum celebris ille Regni Poloniae Tractatus, consentientibus Episcopis latinis, Regni Ministris, et Senatoribus, de expressa voluntate Magni Joannis III, Regis, anno 1681 conclusus, et subscriptus in Comitibus Regni generalibus, quo Ruthenis nonnullarum Dioecesium ad S. Unionem accedentibus¹³⁹ cauta fuit plena Decreti Urbani VIII executio, ne scilicet amplius ullus pro suo placito a Ritu Graeco ad Latinum transire praesumeret, aut Episcopi latini negotiis Ruthenorum sese immiscerent, *Summario num. 11*, neque minoris est ponderis notissima Episcoporum, et Regularium Poloniae sponsio super exactissima Decreti Urbani VIII observantia, Nuntio Apostolico sub annum 1712 data, ut hic: § Quod ut felicius, diximus. Cuius quidem sponsionis, ac praecedentis Polonae Reipublicae Tractatus bene memor vir ille clarissimus Joannes Skarbek, Archiepiscopus Leopoliensis latinus (f. 385) publico Pastoralis Editto sub annum 1714 cunctis suae Dioeceseos Ecclesiasticis commendavit, praecepitque, quatenus Ruthenos Sacerdotes Pontifici Romano obedientes, sincera charitate, amicitia, et cultu prosequerentur, nec in ipsorum iura involarent, aut Laicos contra Decretum Urbani VIII, die 7a Februarii 1624 latum, suscipere, minusque superinducere ad deserendum Graecum, et amplectendum Latinum Riturum praesumerent, *Summario num. 12*.

Ubi autem nonnulli ex Clero latino sponsiones suorum Praedecessorum ex una parte aegre ferentes, et ex altera Riturum Graecum speciosius evertere cupientes, verabantur transitum Ruthenorum esse licitum, clare, et directe praetendere, tentarunt Episcopos unitos sub tempus Synodi Zamosciensis, ut hi in proprio Ritus perniciem sua sponte declarerent Bullas Summorum Pontificum contra Graecos, Siculos, et Calabros olim publicatas etiam in Russia servari debere, seu ut, inter caetera, Proles ex Patre, vel Matre latina procreata baptizaretur Ritu Latino, quod est idem, ut Ritus Ruthenus saltem hac via potentioribus Ecclesiasticis latinis nimis facili ex Dominis Poloniae quantocius pelleretur, *Sum. num. S. A.* (f. 385 v), quamvis subinde huiusmodi tentatores perniciosae machinationis suae effectum obtinere minus valentes reiecti fuerunt graviori Episcoporum unitorum vigilantium responso, *Summ. numero S. C.* Quo laudabiliter permotus hodiernus Episcopus Vilmensis,¹⁴⁰ universo suae Dioeceseos Clero sub annum 1743 inhibuit, ne de caetero matrimoniis Ruthenorum,

¹³⁹ Agitur de Eparchia Leopoliensi et Peremysliensi; anno 1681 de professione publica Episcoporum Leopoliensis et Peremysliensis in Comitibus Regni agebatur; antea tamen quasdam conditiones proposuerunt.

¹⁴⁰ Michael Joannes Zienkowiez, Episcopus Vilmensis (1729-1762), antea Samogitiensis et tit. Ep. Julipolitanus.

etiam mixtis, assistere auderent, qua super re satis a Nuntio Varsaviensi coram S Sede Apostolica laudatus fuit in anno 1748. Quinimo idem praestantissimus Antistes, lecta SS.mi Domini nostri supracitata Decretali ad Melchitas directa, et Ruthenis ad observandum transmissa, perspectisque gravissimis absurdis, ac scandalis, quae dietim ex petulanti Ruthenorum transitu eveniunt, ac denique facta anno 1744 cum p. r. Athanasio, Russiae Metropolita,¹⁴¹ prudentissima conventionem, deputavit e Clero suo binos egregios viros, debitis facultatibus munitos, et expresso mandato instructos, ut omnibus Parochis Dioeceseos Vilmensis severe inhiherent, ne de caetero ullus Laicos Ruthenos contra Urbani VIII, et moderni SS.mi Domini Nostri Decreta ad Ritus Latinum suscipere audeat, utque ad reditum cogere omnes (f. 386) illos qui proprio arbitrio insolenter deserto Graeco ad Latinum Ritus convolarunt, *Summum num. 13.* Quibus luculentissimis publicis factis nemo est, qui non convincatur de constantissimo sensu, et maximo studio, quo Episcopi latini adhaeserant toties Decreto Pontificio super Ruthenorum transitu, ac proinde concipere non possumus, cur in praesentiarum evertere quaerant cum tanta diligentia, quae singulari zelo ipsimet observabant, et a suis subditis observari toties praeceperant.

Demonstrata itaque constantissima S. Sedis Apostolicae voluntate, et publico latinorum Poloniae Episcoporum zelo pro manutenendo, exsequendo, et observando Urbani VIII Decreto, credimus non licere, ut qui SS.mos Orientalis Ecclesiae Ritus *contra* sensum Apostolicae Ecclesiae de Regno pellere adnituntur, proprium scelus Regia voluntate, semper aequissima, palliare simulent, praecipue ubi de facili quisque suaderi potest, Rempublicam Poloniam cum suo Rege libenter recessisse ab oppugnando toties laudato Urbani VIII Decreto. Ut enim duos solum numeramus Poloniae Reges, Sigismundum nempe III, et Augustum pariter III, qui ex motivis sibi falso suppositis publicationem praedicti Decreti impedivere, ita utrumque (f. 386v) detecta accusantium malitia, et comperta Unitorum innocentia, a praecedentibus suis contradictionibus gloriose recessisse non ignoramus. De falsitate enim motivorum piissimis Regibus temere insinuatorum omnis dubitatio exsulat, vel ex hac sola veritatis ac facti circumstantia, quod nempe Rutheni uniti integro 158 annorum spatio, quo obedientiam Summis Pontificibus Romanis profitentur, nihil quidquam perpetrarunt, quod ipsos de prodicione Patriae, aut aliqua, vel minima erga S. Sedem infidelitate arguere posset, cum satis universo Orbi, et nominatim S. Congregationi de Propaganda Fide notissima sint molimina, et bellici conatus, quibus Schismatici crudelissime in Unitos saevientes non solum ecclesias, ac bona ipsorum occuparunt sed etiam nomen Unionis S. delere tota vi quaesiverunt, nec etiam modernis temporibus eosdem persequi sinunt, profecto non in vim alicuius amicitiae, sed potius execrabilis illius odii, quo Unionem Ruthenorum cum S. R. E. habere solent, ut fusius in annexa unitorum Informatione exponitur.¹⁴² Quod autem praedictae Regum oppositiones temporibus respective subsecutis fuerint revocatae, iudicium vel hostis esto

¹⁴¹ Athanasius Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis (1729-1746) et Episcopus Leopoliensis (1715-1746).

¹⁴² Hoc anno plurimae infirmationes transmissae fuerunt Romam. Cfr. documenta praecedentia et subsequents.

ex illa celeberrima Reipublicae (f. 387) Poloniae declaratione, sub auspiciis Joannis III, Regis, anno 1681 solemniter, et plausibiliter facta, sacrosancte cautum fuit Urbani VIII super transitu Decretum exesequi, et observari debere, nec latinos Poloniae Episcopos negotiis Ruthenorum posse immisceri, interposita super his etiam Regis ad S. Sedem auctoritate, *Summ. num. 11*. Quae quidem totius Reipublicae, et Regis tam publica, sollemnis, atque adeo clara declaratio utique de medio tollit praecedentes Regis Sigismundi oppositiones, nisi velimus temere sustinere, maioris ponderis esse privatas solius Regis literas priores, quam sint publici posteriores totius Regni, et simul Regis actus.

Quantum denique spectat modernum Regem Augustum III, satis evidenter constat, quod hic iustissimus Princeps exemplo Sigismundi III quidem permotus, sed de subsecuta totius Reipublicae solenni declaratione studiosius *celata* haud informatus, licet si anno 1752 pro libertate transitus S. Sedi scripserit, nihilo tamen minus subauditis durioribus contentionibus inter Ecclesiasticos utriusque Ritus damnosissime exortis, cognitaque Latinorum minus iusta contra Unitos machinatione, eidem S. Sedi sequenti 1753 anno dedit literas, quibus praecedentes suas contradictiones, quantum (f. 387v) autoritas Regia permisit, plus quam sufficienter revocavit, *Summ. num. 14*. Etenim initio harum posterius datarum literarum graviter fuit protestatus, se non alias quam *intra* limites iustitiae favore cuiuscumque supplicantis intercessisse, et intercedere apud S. Sedem, *Summ. num. eodem A.*, adeoque fassus fuit praecedentes suas favore Latinorum contra Unitos agentium intercessionem minus attendi debere, quoties S. Sedes iudicaret, eadem tendere in eversionem Catholici Graeci Ritus, in perturbationem pacis, iurisdictionis, et boni regiminis Ecclesiasticorum, in augmentum odiorum et scandalorum, ac propterea in evidens Unitorum damnum; quae omnia cum intra limites iustitiae contineri nequeant, piissimus Rex, eo S. Sedi exposito, qualiter noluit, nec volet suis intercessionibus iustitiam laedere, seu relicta Apostolicae Sedi plena libertate administrandi iustitiam sive Latinis, sive Ruthenis eam quaerentibus, specialissime revocavit praecedentes suas literas contra Unitos datas, ubi lachrimis, et iustitia Ruthenorum permotus, integritatem Ritus Ruthenici manutenendam urgeret, et quantum in illis circumstantiis autoritatis Regiae respectus (f. 388) posse permittere *credebatur*, Pontifici Maximo commendavit, *Summ. num. eodem B.*, atque instantissime rogavit, ut Sua Sanctitas eandem Ritus Graeci integritatem protegere dignetur, *Summ. num. eodem C.*; cum autem insolens Laicorum transitus maximus sit malorum, et scandalorum fons, iurisdictiones Episcopales, et Parochiales perturbet, confundat, et nihili faciat, et consequenter *validitatem* Sacramentorum offendat, ac non in manutationem sed potius in evidentissimam destructionem integritatis Rituum Ruthenicorum tendat, ut SS. mus Dominus Noster in suis literis optime advertit, et rotundis verbis confitetur, *Summ. num. 10.*, et ut in informatione Episcoporum Ruthenorum validius deducetur, sequitur proinde necessario, Regem pro manutenendo Graeci Ritus integritatem instantem, noluisse id durari, quod eandem integritatem convelleret, nec animum habuisse quidquam agendi, quo S. Sedes prohiberetur, ne eorundem Rituum conservationi provideret, et maximis scandalis ex insolenti transitu crescentibus occurreret.

Quod si huiusmodi postrema Regis Poloniarum declaratio aliquo fato non videretur S. Sedi sufficere ad credendum priores oppositiones revocatas fuisse, nec

(f. 388v) proinde eandem posse quidquam adversus petulantem transitum statuere, absque clariori Regiae mentis, et voluntatis explanatione, unicum restat indispensabile, et Ruthenis afflictis optatissimum, quod nempe SS. Dominus, qui scandalosas Ecclesiasticorum contentiones tollerare, et minus adhuc permittere potest, ante omnia, et quam primum, veritatem criminum a Latinis contra Unitos publicatorum, istorumque omni iure licitas defensiones in plena S. Congregatione de Propaganda Fide examinari *permittat*, atque motiva pro, et contra libertatem transitus ab utrinque divulgata verificari iubeat; ne alias ex silentio Ruthenorum, et ipsiusmet S. Sedis, obiecta a Latinis crimina maiorem apud gentes *fidem* consequantur, et ne Uniti tandem concludant amplius *sibi* non esse coram quo conqueri possint. Ubi vero Emin. mis PP. ex maturo totius rei examine plenius constiterit tum de Unitorum innocentia aequae ac de Latinorum calumniis, tum de necessitate gravissimis malis ac scandalis occurrendi, et illam transitus libertatem nimiam improbandi, profecto rectissimi Iudices non amplius haesitabunt Nuntio Varsaviensi commendare, eumque bene instruere, ut is nulla interiecta mora Serenissimo (f. 389) Poloniae Regi *oretenus* exponat, Sanctam Sedem ex una parte evidentem Unitorum iustitiam, et levitatem rationum a Latinis propositarum satis palpare, et ex altera parte strictissime teneri iurisdictionibus Episcoporum, ac Parochorum, ut intra debitos cancellos contineantur, providere; nocivis Ecclesiasticorum contentioniibus, odiis, animositatibus, ac scandalis ne amplius crescant, et Schismaticos ab amplectenda S. Unione retrudent, occurrere; neque eandem S. Sedem posse Ritus Ruthenici integritatem, ab ipso Rege *adeo* commendatam, manutenere, ac protegere, non sublata nimia Laicorum liberate, qua e Graeco ad Latinum Ritus transeunt, et quae in destructionem eiusdem integritatis directissime fertur et proinde firmiter sperare gratissimam fore Regiae Maiestati providentiam, quam Apostolica Sedes sumeret, non solum pro amovenda omnium malorum petra, sed etiam pro restituenda Ecclesiasticis utroque Ritu Sacro secum conviventibus pace, et amicitia perfecta, tum denique pro confutando impio Schismaticorum sensu, qui plenis buccis ubique divulgant, Unionem Sanctam excogitam, et excitatam (f. 389v) fuisse unico fine paulatim imminuendi, ac denique de Regno Poloniae pellendi SS. Orientalis Ecclesiae Ritus (: quam perniciosissimam opinionem s. m. Paulus V, per suam Bullam, relatam apud Leonem Allatum, de Interstitiis, pag. 22, confutare, et reprobare dignatus fuit usque de anno 1615:) et quotidie vehementer suspirant, quam primum fieri illam Unitorum ad Ritus Latinos translationem, ut nempe, hac occasione ipsis felicissima, possessionem Bonorum, quibus Uniti gaudent, quaeque olim a piis Fundatoribus Ritui Graeco applicata fuerunt, facilius adipiscantur, fulti non solum Moschorum protectione, sed etiam ipsiusmet Reipublicae Polonae publico Tractatu, clarissime disponente, quod Unitis ad Ritus Latinos translatis, Bona ipsorum Ecclesiastica circa Ritus Graecum, id est penes Schismaticos, qui soli tunc eundem sectarentur Ritus, manere debeant, *Summario num. 15.*

Quia vero praedicta omnia in S. Congregatione nequirent breviori tempore examinari, verificari, constabiliri, Regiae Maiestati communicari, ac denique ad executionem perduci et interim Ritus Graecus circa (f. 390) maximas Latinorum artes admodum in Russia minueretur, nec amplius par esset numerus Unitorum respondendi Schismaticis, praecipue cum in praesentiarum Latini, nescimus qua potestate, et de cuius mandato, ubique palam declarant et publice docent, Laicis Ruthenis liberum

licitumque esse ad Ritus Latinos transitum, nec amplius indigere ullius facultate, aut dispensatione, *Summario Num. 16*, et quod graviori animadversione dignum est, Ruthenos cum Latinis faeminis sponsalia contrahentes publicis edictis adigunt ad praestandas nondum in Ecclesia Dei auditas Sponsiones super Prole futura Ritu Latino baptizanda, et educanda, *Summario num. 17*. Hinc durantibus nunc nonnisi per *solam* immaginationem moderni Regis contradictionibus, et oppressionibus Ruthenorum, ac scandalis Schismaticorum effective crescentibus, dignetur S. Sedes afflictis Ruthenis unitis *saltem* id nunc prae primis praestare, quod olim sub Urbano VIII, vere stantibus Regiis oppositionibus, benigniter, et maximo zelo praestiterat, inhibendo sine mora Episcopis, et Regularibus latinis, ne de caetero Laicos Ruthenos (f. 390 v) ad Ritum Latinum sollicitent, ac pertrahant, et minus divulgent, doceantque ipsos nulla indigere facultate, saltem quousque hac super re Apostolica Sedes suam non pronunciabit sententiam. Quare Ruteni uniti summam Eminentissimi Domini Cardinalis Praefecti S. Congregationis de Propaganda Fide¹⁴³ benignitatem dulci recordatione recolentes, eiusque operam sibi non defuturam fimiter sperantes, laeti confugiunt sub Emin.mi Domini patrociniū, quo mediante clementiam S. Sedis obtinere tutissime confidunt, ubi perfectius noscunt, suas supplicationes *unice* circa aequum, et iustum versari, nec quidquam vel minimum praesefere, quod novitatem aliquam inducere videretur. Sicut enim ipsa aequitas poscit, ut bona praecipue Ecclesiasticorum fama, quoties contra iustitiam enormiter laeditur, sanari non prohibeatur, neque scandala maneant impunita, aut augeantur, ita ut nihil novi fieret, si S. Sedes quibusvis in Russia absurdis, ut *unice* optamus, provide occurrendo, insolentem transitum, qui omnium malorum est origo, iam alias Laicis Ruthenis inhibuit, validius improbare dignaretur, idque *ea* sensus constantia, ac zeli intentione, qua SS. Orientalis Ecclesiae Ritus conservare (f. 391) sollicita, iniquam eorundem desertionem non semel prohibuit Ruthenis, ut supra deduximus, sed etiam Graecis, Dalmatis, et Albanensibus, *Summ. num. 18*, tum quoque Melchitis *Sum. 9*, ac denique Poloniae Armenis, *Summ. num. 19*. Qui in Regno Poloniae advenae, et meri hospites, cum sine expressa S. Sedis Apostolicae dispensatione nequeant suum Ritum deserere, nec proinde immnuere, profecto merito gloriabuntur, se esse feliciores Ruthenis unitis, veris Regni incolis, et vivere sanctiori Ritu, quam vivant Uniti, istis negarentur opportuna media, quibus possent in proprio Ritu contineri, atque conservari.

INFORMATIONE in negotio transitus Ruthenorum de Ritu Graeco ad Latinum (f. 391 v).
Ruteni 1754.

38.

Vilna, 17. II. 1753.

Summarium actorum et documentorum, quibus probantur assertiones supra adductae informationis Metropolitanae de transitu ad Ritum Latinum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 392-401.

¹⁴³ Silvius Valenti-Gonzaga (1747-1756).

SUMMARIUM

Numero. Primo. Ad conservandam pacem, et concordiam inter Ruthenos Unitos, et ob alias gravissimas Causas etc. Cfr. *Acta S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. I, p. 16, nr. 9, Romae 1953

(f. 392v) Num. 2do. — In Congregatione habita die 7 Iulii 1624, coram SS.mo. Referente Ill.mo Domino Cardinali Bandino rationes quas Nuntius Poloniae significabat a Rege opponi publicationi Decreti de transitu Ruthenorum ad Ritus Latinum, etc...

Decretum autem secundum praedictam restrictionem est, quod sequitur:

Ad conservandam pacem, et concordiam etc... Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 22-23, nr. 24, Romae 1953.

Num. tertio. — Avendo io¹⁴⁴ poi insinuato a S. Maestà il nuovo decreto della Sagra Congregazione circa l'erezzione di una nuova Congregazione de' Ruteni sotto un Proto Archimandrita, m'ha detto, che se ne informarebbe, e dubitando che si inchiodesse in esso la totale proibizione del transito al Rito Latino, io ne ho certificata, che non s'includevà, mi sono però valuto di questa incidenza per riscaldare il negozio (f. 393v) con la Maestà Sua, dicendole, che Sua Santità, e la S. Congregazione erano animatissimi di consolar il Metropolita con la publicatione di tal decreto, e che io, essendo già venuto quà il Palatino di Vilna, ed aspettandosi anche in breve il Vescovo per l'occasione della Dieta, avrei discorso sopra di ciò con essi, conforme mi fu commesso altra volta da Sua Maestà; Con tutto ciò l'ho trovata più che mai aliena dà questo pensiero, dicendomi che non poteva più succedere senza grandissimi disordini, potendosi, come ho accennato di sopra, temer grandemente dell'Unione dopo la morte del Metropolita presente,¹⁴⁵ i pensieri del quale sono santissimi, ed il zelo degl'incrementi dell'Unione mirabile, ma il fabricarvi sopra è opera senza fondamento. Io scrivo liberamente a V. S. quanto m'occorre, acciochè se ne vaglia opportunamente, ma se ella vede, che tutto ciò possa nella mente del Signor Cardinal Bandino,¹⁴⁶ o d'altri partorir concetto, che io sia poco affetto alle cose de' Ruteni, lo ritenga in se senza comunicarlo.

Num. 4to. — In ea, primo, referente Ill.mo D. C. Bandino Poloniae Regem in nominatione Episcopi Chelmensis (f. 394) Rutheni uniti facta Metropolitanae Russiae contra antiquam consuetudinem, et privilegia Episcoporum Ruthenorum ab eodem Rege confirmata addidisse Clausulam, ut novus Episcopus Kelmensis Ruthenus unitus singulis annis latino eiusdem Episcopo rationem redderet administrationis suae Ecclesiae tam in spiritalibus, quam in temporalibus, Sac. Congregatio censuit Nuntio Poloniae esse scribendum, ut cum Rege ageret pro antiquae consuetudinis, et pri-

¹⁴⁴ Nuntius Varsaviensis, Joannes Franciscus Lancellotti (1622-1627).

¹⁴⁵ Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637). Cfr. eius *Epistolas* in nostra Collectione, vol. I, Romae 1956.

¹⁴⁶ Octavius Bandini, florentinus, Archiep. Firmanensis, nomihatus Cardinalis die 5. VI. 1596 unus Cardinalium, qui ad S. C. de Propaganda Fide pertinebant. Obiit 1. VIII. 1629. Cfr. *Hierarchia Catholica Medii et Recentioris Aevi*, vol. IV, pag. 4, nr. 8.

vilegiorum praedictorum observatione ad favorem Praelatorum Ruthenorum unitorum idemque faciendum esse a SS.mo per suum Breve ad Regem Poloniae.

Ex literis Nuntii Poloniae retuli, Cancellarium illius Regni satisfacisse Ruthenis unitis circa Clausulam, quae ponebatur in provisionibus Episcopatum eorum, ut videlicet non teneantur reddere rationem suarum Ecclesiarum Episcopis latinis.

Num. 5to. — Maritus latinus Uxoris Graecae Rítum non sequatur, latina Uxor non sequatur Rítum Mariti Graeci, graeca vero Uxor sequatur Rítum Mariti latini; Proles sequatur Patris Rítum, nisi praevaluerit Mater latina; Quo in puncto sequatur instructio (f. 394v) edita de mandato Clementis VIII, sub dato Romae mensis Augusti die 3, et anno 1595.

Praecustodiuntur iura competentia Ill. mis loci Ordinariis Ritus Latini visitandi Ecclesias Ritus Graeci, idque iuxta ordinationes Summorum Pontificum, praesertim in virtute constitutionis Pii IV, quae incipit: «Romanus Pontifex» etc., sub datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, 16 Februarii, Anno Domini 1564.

Ad 4tum. Bulla SS.mi Domini Nostri Pii IV, et instructio SS.mi Clementis VIII, Pontificum Romanorum, emanarunt pro Siculis, Calabris caeterisque Graecis, Antistites sui Ritus non habentibus, seditiones et schismata cientibus cum Graecis in Turcia degentibus, imo fors cum ipsis Turcis, de eversione Latinorum in illis partibus clanculum conferrentibus. Rutheni cum habeant Archiepiscopos, Episcopos Ecclesiae praferentes Maiestatem, ac a centuria ac quingentos annos, non tam pro fide, quam pro Unione, ac Universali Gregis Pastore Christiani, caelo dederint Martyres, imo recenti Polocensium Martyrum Ecclesiam Dei resperserint cruore, non est cur adeo deprimantur ut sint infra paganos, (f. 395) Ethnicos, et Haereticos, quorum disparata in fide tolerantur matrimonia. Justiora expeteret Ritus Latino-Polonus, si in abolendum in Russia, tot tantisque celebrem Doctoribus, insignem Martyribus, conspicuum Confessoribus Rítum conspirasset, quam eundem vilioem prae Ethnicorum conditione (: immemor eorum, quae in Provinciis Russiae, Polonia amplioribus eventurum foret, si universa Russia cum Schismate monocratoris Moschici cohaereret; ac nullum esse acrius prae bello religionis, bellum edoceret:) condemnasset, nec plura prae dolore.

Numer. 6to. — Ex mandato SS.mi Domini Nostri haec Reverentiae Vestrae significo,¹⁴⁷ ut nempe nostris omnibus, qui Ruthenorum cum Romana Ecclesia confessiones audiunt, aut filios eorum in scholis erudiunt, serio iniungat, ne ulla ratione contentur illos a Ritu Graeco ad Romanum perducere, ideoque omnino absterneant ab adhortationibus, et persuasionibus, quibus videri possint velle Ruthenos a Ritu suo ad Romanum excitare.

Numer. 7o. — Accipio subinde Literas ab Ill.mo Metropolitano Russiae, quibus rogat, ut nostris isthinc commendem Unionem Ruthenorum cum Sancta Romana Ecclesia, et nominatim, ut moneam nostros ne facile (f. 395v) eos, qui ab Unitis ad Romanum Rítum transire cupiunt, admittant, et foveant, qui potius hortentur ut in Ritu suo permaneant; quod cum a Sacra Congregatione, quae Fidei Propagandae

¹⁴⁷ Agitur de temporibus Urbani VIII; ex litteris Superioris Generalis Soc. Jesu ad Provinciales Poloniae et Lithuaniae.

praest, mihi aliquoties commendatum sit, Reverentia Vestra hoc ipsum Superioribus Provinciae suae commendet.

Numer. 8^o. — Referente Eminentissimo Domino Cardinali S. Sixti etc. Quo vero ad transitum Ruthenorum ad Ritus Latinum, censuit, non esse a Decreto alias facto recedendum, et quia Rex impedivit, et impedit illius publicationem, mandavit Nuncio Poloniae scribi ut cum Provincialibus praesertim Soc. Jesu officia alijs Nuncijs ordinata repetat, videlicet ut illi Confessarios suarum Religionum admoneant ex parte S. D. N. et n. C., ut absteat a reductione Ruthenorum Unitorum ad Ritus Latinum.

Numer. 9^o. — Cum autem nos, elapso proxime anno 1743, sub die 24 Decembris, Epistolam Encyclicam dederimus ad Patriarcham Antiochenum Graecorum-Melchitarum, caeterosque Episcopos catholicos illius Ritus eidem Patriarchae subiectos, in qua plura disponuntur circa abstinentiam, et ieiunia, aliasque consuetudines Orientalis (396) Ecclesiae, volumus, ut istius quoque mentionem faciatis, et praedicto decreto huiusmodi verba addatis, iuxta Epistolam Decretalem SS. Domini Nostri etc., quae fuit a nobis, ut supra conscripta; adiecta paena privationis vocis activae, et passivae ipso facto incurrenda non solum ab is, qui Ecclesiae Orientalis usus, consuetudines, ieiunia, ritus, et caerimonias transgrediantur, sed atiam ab ipsorum Superioribus, qui dispensationem ab eorum observantia, etiam in casibus particularibus, absque iusta, et urgente causa concedere audeant.

Praeterea omnibus, et singulis Melchitis Catholicis Graecum Ritus servantibus ad Latinum Ritus transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub paenis etiam infra exprimendis aliisque arbitrio nostro discernendis, ne cuiquam ex illis huiusmodi transitum a Graeco ad Latinum Ritus svadere praesumant, aut etiam cupientibus inconsulta Apostolica Sede permittant.

Caeterum si quos imposterum Graecos necessitate cogente ob defectum Parochi catholici Ritus Graeci baptismum, aut alia Sacramenta a latino Presbytero recipere eveniat, illi non ideo censendi erunt (396v) Latinum Ritus suscepisse; sed omni dubitatione sublata, Ritus Graecum, in quo orti sunt, observare teneantur.

Num. 10. — Benedictus PP. XIV. Venerabiles Fratres, salutem, et Apostolicam Benedictionem. Vestrae ad nos delatae sunt literae, scriptae die 7 Iulii, in quibus merito conquaerimini de transitu Ruthenorum a Ritu Graeco ad Ritus Latinum. Uti bene nosti, Venerabiles, Fratres, nostri Praedecessores transitus hos abhorruerunt, et nos ipsi abhorremus *utpote* qui non destructionem, sed conservationem Ritus Graeci summopere desideramus. Specialiter de prohibendo transitu Ruthenorum actum est coram nobis anno 1748, sed nulla fuit capta resolutio, sub obtentu resistentiae factae a Rege Poloniae Decretis Urbani VIII, in quibus transitus fuerat prohibitus. Quamprimum materia resumetur, omnemque lapidem movebimus, ut nedum finali Decreto transitus prohibeatur, sed etiam ut Decretum sua non careat executione. Et interea vobis, venerabiles Fratris, et gregibus vestrae curae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. (397) Datum Ratae, apud Sanctam Mariam Maiorem, die 18 Septembris 1751. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Num. 11. — Nos infrascripti a S. Ma Regia Maestate Joannis III, Dei gratia Regis Poloniarum, Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prussiae etc. ad hunc actum delegati declaramus etc. Et in primis Ritus Graecus, ut ab initio in Synodis per Patres Spiritu Sancto instructos est ordinatus, a S. Sede Apostolica approbatus, ut in integro

suo statu in perpetuum maneat; Beneficia Ecclesiastica etc. Ex tam pio motivo Status Reipubl. auctoritatem suam interponere dignabitur Sacra Regia Maiestas ad SS-mum Dominum, ut iuxta Bullam Urbani VIII non liceat de Ritu ad Riturum transire pro libitu cuiuscumque, ne confusio iurisdictionum nutriatur. Item ne Episcopi Ritus Romani immisceant se negotiis Episcoporum Ritus Graeci, ne audeant dare Excommunicatis protectionem, neque dari permittant. Pari modo ne collatores etc. idem declarant Ill.mi Magnifici Domini delegati ad hunc actum, praecipue Ill. mus Dominus Palatinus Terrarum Russiae, campidux Regni, Ill. mus Dominus Mareschalcus Curiae Regni, propter vero meliorem huius constitutionis auctoritatem, et expressam Sacrae Regiae Maiestatis, Domini Nostri Clementissimi, voluntatem (397v) propriis, manibus subscribimus, et sigillis confirmamus. Actum Varsaviae, die 18 Mensis Martii, tempore comitiorum generalium anno 1681. Joannes Stanyslaus Vituicki, Episcopus Kioviensis, ad hunc actum a S. Regia Maiestate Delegatus. Andreas Potocki, Palatinus Cracoviensis; Stephanus in Czerniechow Niemierzyc, Palatinus et Generalis Terrarum Kioviensium; Stanislaus Jablonouski, Palatinus, et Generalis terrarum Russiae exercituum Regni dux, ad hunc actum a Sacra Regia Maiestate delegatus. Franciscus Sygismundus Galecki, Supremus Curiae Regni Praefectus, manibus propriis. L. S.

Num. 12. — Primo. Ecclesiastici Rutheni, Diaconi, Praesbiteri, monachi, omnesque, qui in obsequiis ecclesiasticis existunt, actualiter uniti cum S. R. E., iisdem Privilegiis, libertatibus gaudent, quibus Ritus Latini Sacerdotes gloriantur, ita ut quicumque illos violentis molestaret, oneribus gravaret, ad vectigalia, et contributiones ex fundis ecclesiasticis cogeret, in excommunicationem ab Ecclesia Dei cautam incidat. 2º. Neminem Ruthenum a proprio Episcopo aut eius officio excommunicatum Praesbiteri nostri, praemoniti a nobis vel nostro officio, ad ecclesias, Divinaque officia admittant, et similiter a nobis aut nostro officio excommunicati non suscipiantur ad ecclesias Ruthenorum, (398) praemonito super his ipsorum Episcopo. 3º. Neque Ruthenos infantes nostri Praesbiteri, neque infantes Latinos Praesbiteri Rutheni baptisandi facultatem habent, excepto casu periculi mortis. 4º. Infantes Ritu respectivi Parentis baptizari, ut et funeralia respectivo Ritu peragi debent, absque ulla alterutrius Ritus Parochorum praepeditione, quorum iura, et iurisdictiones intacta manere oportet, 5º. Sive Latinus Ruthenam, sive Ruthenus Latinam in vitae sociam ducere intendit, denunciations in alterutra ecclesia Parochiali fiant, et testimonio alterutrius Parochi roborentur; Matrimonia tamen contrahantur coram Parocho mulieris, iuxta antiquissimam consuetudinem, neque vir ad suum Riturum trahat mulierem, et viceversa uxor ad suum Riturum non trahat maritum. 6º. Parochi latini matrimoniis Ruthenorum, et Rutheni Parochi matrimoniis Latinorum assistere nequeunt; huiusmodi enim matrimonia iuxta Concil. Trident. essent nulla. 7º. Latini Parochi ad suum Latinum Riturum non debent suscipere Ruthenos, stante nunc ipsorum Unione; qui autem ante Unionem transierunt ad Riturum Latinum, in illoque perseverant, manere debent in eodem, iuxta (398v) declarationem Supremi Pastoris Urbani VIII, sub die 7 Februarii anno 1624 emanatam. 8º. Rutheni Praesbiteri nequeunt confessiones fidelium latinorum excipere sine facultate, et approbatione nostra vel vestri Officij, uti similiter latini Praesbiteri non possunt fidelium Ruthenorum confessiones excipere, nisi de expressa facultate proprii eorundem Episcopi, aut eius Officij. In casu tamen periculi mortis, deficiente Praesbitero respectivi Ritus, licet uti quocumque Sacerdote.

9º. Nemini vagabundo Praesbitero cuiuscumque Ritus in ecclesiis Latinorum, et Ruthenorum permittatur Missarum celebratio, aliorumque Sacramentorum administratio; Si quis autem horum in aliqua Parochia reperiretur, et Sacra celebrare in ecclesiis Dei, vel domibus privatis praesumeret, ad Officium cui subest, deferatur. 10º. Maxime, denique, Praesbiteri nostri latini propter firmandam Unionem studeant omnem amicitiam, et reverentiam servare ad invicem cum Presbiteris Ruthenis, et in Divinis Officijs mutuam humanitatem, et obsequia sibi praestent.

Numer. 13. — Illustribus, Admodum R. dis Dominis Commissariis nostris ad negotia utriusque Ritus delegatis, Fratribus observandis. — (399) Illustres, Admodum R. ndi Domini, et Fratres observandi. — Venientes hac Novogrodeco Admodum R. ndi Commissarii Ill. mi Domini Metropolitanae, detulerunt nobis, quod Dominationes Vestrae super redeundis ad proprium Ritus se excusent, non habita a nobis decisiva potestate; non opus fuerat in his scrupulum habere, etenim tam Urbani VIII Decretum, quam etiam moderni SS. mi expresse haec sententiavit; proinde intimamus Admodum R. dis Dominationibus Vestris, ut formato de praemissa causa Decreto Commissoriali, inhibeat is auctoritate nostra, quatenus quisque ad suum Ritus redeat, nullusque Parochorum nostrorum audeat in posterum avocare Unitos, insistendo hoc in puncto Bullis Summorum Pontificum, et Decisioni Dominationum Vestrarum. — His expressis subscribo me Illustrium Admodum R. darum Dominationum Vestrarum obseq. mus Frater, et Servus addictissimus. — Micheal, Episcopus Vilmensis. ¹⁴⁸ — In Verao die 16 Iulij 1745.

Numer. 14. — Siccome una delle primarie mie convenienze, e vera mia determinazione, è sempre stata, e sarà, in ogni occorrenza d'interessarmi sol dentro i limiti della giustizia presso Vostra Santità in favore (f.399v) di qualunque supplicante, massime de miei Popoli, così ora fò venendo instantissimamente richiesto per parte di Monsignor Metropolita di Russia, e di tutti i Vescovi Ruteni uniti acciò io appoggi con le mie figliali intercessioni presso Vostra Beatitudine il mantenimento dell'integrità del loro Rito, e dell'antichissima giurisdizione di quello Metropolita sopra li Abbati dell'Ordine Basiliano, che sento fortemente si disputi; e con tanto maggior premura mi avanzo ad umiliarle perciò le mie rispettosissime suppliche, quanto più certamente di giurisdizione possino nascere de' lunghi gravi inconvenienti, e scandalose dissenzioni nel Rito medesimo, che potrebbero esser svantaggiose alla Santa Religione, ed alla conservazione nel dovere delli medesimi Abbati, e le loro Badie, anzi anche ai dritti sopra le medesime della mia Corona, la quale in ogni tempo ha procurato di sostenere a buon fine il decoro di quei Metropolitanì, che molto verrebbe a esser diminuita per la pretesa indipendenza de stessi Abbati. Onde instantissimamente (f.400) supplico la paterna dignazione di Vostra Santità di favorire co' suoi sapientissimi riflessi, e di proteggere, e di mantenere illesa la giustizia di quei affari, come pure d'esser persuasa dell'immutabile infinito rispetto, con cui sempre, co miei popoli, e con la mia Reale Casa umiliato alle sue Benedizioni le bacio i SS. mi Piedi. ¹⁴⁹

¹⁴⁸ Michael Joannes Zienkowiez (1729-1762).

¹⁴⁹ Ex litteris Regis Poloniae, Augusti III (1733-1763).

Numer. 15. — Reliquae Ecclesiae Cathedrales, haecque Beneficia, quae penes Unitos remanserunt, Unitis conferri debebunt, cum hac tamen cautela, ne ullo prae-textu, et modo Bona Ecclesiastica a Ritu ipsorum Graeco alienentur.

Numer. 16. — Nuper, die scilicet 11 Iulii, R. P. Provincialis Poloniae scripsit ad me sequentia. Jam per scholas ubique caeperunt publicare novam Bullam liberi transitus Ruthenis ad Ritus Latinum, etiam subaudio, quod Luceoriae, uti mihi scriptum fuit, omnes Rutheni e Scholis humanioribus Ritu Latino Communionem Sacramentalem suscipiunt.

Numer. 17. — Nuntio Dominationi Vestrae, quomodo Rev. mus D. Hilzen (: Episcopus Smolenscensis latinus:) omnes conatus adhibet, ut intra eius Dioecesim extinguatur Ritus noster; ultra enim privatas, per suos Missionarios, iniustas persuasiones, quod scilicet sit (f. 400v) securius salvari in Ritu Latino, quam in nostro, ex ratione ruditatis Cleri, et ultra alia diversa media, nunc inhibuit, ne ulla de Ritu Latino faemina matrimonium contrahat cum Unitis, nisi praevia in scripto utriusque sponsione super Prole alterutrius sexus baptizanda, et educanda in Ritu Latino.

Numer. 18. — Die 21 Maii 1627: SS. mus, et PP. saepe rescripserunt, Graecos non esse ad Ritus Latinum trahendos, sed sufficere si Romanae Ecclesiae incorporentur iuxta Decreta Sacri Concilii Florentini, et proinde in hac Congregatione scribi iusserunt Archiepiscopo Jadrensi, ut tam Archiepiscopum Antibarensem, quam eius Vicarium admoneat, ne de caetero Graecos ad Ritus Latinum trahant, sed eos de aliquo Graeco Praesbytero Catholico R. E. unito provideant, ut illos in suo Ritu conservare, Fidemque Catholicam iuxta praedicti Concilii Florentini Decreta docere valeat.

Numer. 19. — Ad conservandam pacem inter Armenos unitos Regni Poloniae, et ob alias gravissimas causas, S. Congregatio, annuente SS. mo Domino Nostro, decrevit, (f. 401) ne de caetero Armenis unitis, sive Laicis, sive Ecclesiasticis tam saecularibus, quam regularibus ad Latinum Ritus quacumque de causa, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, transire liceat, proinde omnibus Archiepiscopis, Episcopis, et Officialibus Armenorum unitorum districte praecipiendo mandavit, ne deinceps Licentias pro huiusmodi transitu subditis suis, cuiuscumque gradus, et conditionis existant, concedere praesumant, et Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis latinis, et eorum Officialibus, ne Armenos praedictos unitos ad Latinum Ritus transire volentes quovis praetextu aut causa, etiam cum licentia Armenorum Praelatorum suorum, recipere audeant, sub paena nullitatis actus, non obstantibus, etc. etc.

39.

Vilna, 24 . II . 1753.

Concordatum inter Metropolitanum eiusque Coadiutorem de proventibus ecclesiasticis.

APF, *Scrilt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 9, fol. 210rv.

Inter me, Florianum Hrebnicki, Metropolitanam totius Russiae, Archiepiscopum Polocensem etc. Et me, Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmensem,¹⁵⁰ Electum

¹⁵⁰ Episcopus Chelmenseis (1731-1758), dein Volodymiriensis (1758-1778), et Metropolita Kioviensis (1762-1778).

et nominatum Coadiutorem Metropolitanæ totius Russiae, stetit eiusmodi unanime, et benevolum concordatum: Quod ego Metropolita, dando in regimen et plenam dispositionem præfato Ill.mo Rev.mo Domino Episcopo Chelmensi omnia Bona mea Metropolitana in Palatinatu Kioviensi, et in Volhynia sita, nec non Clerum ad iurisdictionem meam Metropolitanam spectantem, qui in Palatinatu Kioviensi et Districtu Ourucensi reperitur, et permittendo eidem omnes tam ex Bonis, quam a Clero provenientes debitosque Proventus ad se recipiendi, debebo pro omnibus talibus Proventibus contentus esse ab eo pro quolibet anno sex millibus Talerorum Cusorum. Ego vero Episcopus Chelmensis, debebo, et tenebor memoratam summam exsolvere Ill.mo, Excell.mo et Rev.mo Domino Metropolitanæ quotannis duabus rathis, idque Talerorum Cusorum quatuor millia in die Sancti Joannis Baptistæ Festivitatæ Romanæ, die vigesima quarta mensis Junii juxta novum Calendarium provenien., et duo millia Talerorum Cusorum in die Nativitatæ Christi Domini pariter Festivitatæ Romanæ, die vigesima quinta Mensis Decembris, iuxta novum Calendarium incident., et has summas pecuniarias debebo meis Emissariis punctualiter pro prædictis terminis transmittere ad Strunie, in moneta argentea vel aurea ponderosa, numerando Talerum Cusum per Tynfones sex cum sexenario cuso, et aureum nummum per duos Taleros Cusos cum Tynfone. Et quia Proventus ex Bonis et Archidioecesi provenientes superant summam memoratam sex millium Talerorum Cusorum, igitur ex ratione superatæ ego Episcopus Chelmensis obstringor habere curam, et sollicitudinem in omnibus causis ad supra dicta Bona, et Clerum mihi commissum regulantibus tam in Tribunalibus Regni, quam in Nunciatura agitanti- bus et agitandis, non trahendo Ill.mum, Excellentissimum Dominum Metropolitam ad quasvis ad id alias expensas. Persolutio memoratæ summae debet inchoari anno præsentis Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio terminis supra specificatis. Si vero ego Episcopus Chelmensis in quocunque anno et quamcunque ratham punctualiter in supra expressis terminis plene non exsolverim, igitur eo ipso hoc nostrum concordatum debet reputari pro nullo, et Ill.mus, Ecellentissimus Dominus Metropolita liber et potens erit (f. 210v) redire ad pristinam liberam, et plenam de illis Bonis et circa Clerum dispositionem, et illa cui voluerit in regimen et dispositionem reddere, sine minima mea ad vitæ eiusdem tempora interessatione. Hoc vero in utramque Partem cavetur, quodsi aliqua Bona accederent ultra hæc, quæ ad præsens reperiantur, sive Decanatus Braclavienses ad Archidioecesim Metropolitanam annexi fuerint, igitur advenientium proventuum ex talibus Bonis, et Decanatus quatuor partes mihi Metropolitanæ, et quinta pars mihi Episcopo Chelmensi qua Coadiutori cedere debebunt. Quod totum debebimus et tenebimur mutuo nobis manutenere sub puncto honoris, et sub nullitate præsentis concordati, insimul sub bonificatione damnorum et iniuriarum ex non manutentione promanantium. Et pro eo damus nobis ad invicem hoc scriptum circa sigilla, cum subscriptione manuum nostrarum. Datum Vilnae, die vigesima quarta mensis Februarii, Anno Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio. Florianus Hrebnicki, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis manu propria - (Locus Sigilli, in cera rubra impressi) - Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis manu propria - (Locus sigilli pariter in cera rubra impressi).

Præsens copia Concordati inter modernum et præteritum, ut supra, Illm.,

Excell.mum et Rev.mum D. Archiepiscopum Metropolitanum totius Russiae initi cum suo originali idiomate polonae linguae scripto, per me autem, nihil substantiam rei aut terminalitatis immutando, in latinam transverso de verbo ad verbum colationavi, illudque in omnibus concordare all... ac in maiorem fidem circa impressionem sigilli, quo in similibus utor, me subscribo. Acta sunt haec Vladimiriæ, die Mercurii 28 mensis Septembris, Indictione Romana XI, anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1763, Pontificatus SS.mi Domini Domini Clementis Divina Providentia Paepae eius nominis XIII, Anno inchoato sexto.

MICHAEL SLOPCZANSKI, Publicus Sac. Autoritate
Apost. Notarius et S. R. Maiestatis Secretarius (mmpp).

40.

Vilna, 24 . II . 1753.

Alia traductio, parum differens, Concordati inter Metropolitanam suumque Coadiutorem.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali.*, vol. 799, f. 63rv.

Inter me Florianum Hrebnicki, Metropolitanam totius Russiae, Archiepiscopum Polocensem etc. et me Felicianum Wolodkowicz, Episcopum Chelmensem, electum nominatum Coadiutorem Metropolitanæ totius Russiae, factum est tale spontaneum Concordatum, videlicet: ego Metropolita tradendo in regimen et plenariam dispositionem memorato Ill.mo Episcopo Chelmensi omnia Bona mea Metropolitana in Palatinatu Kijoviensi ac Volhinensi sita, pariter Clerum ad iurisdictionem meam spectantem, qui in Palatinatu Kijoviae ac Districtu Owrucensi reperitur, et permitiendo eidem omnes tam ex Bonis, quam a Clero provenientes, et spectantes reditus ad se recipere, ex omnibus eiusmodi proventibus offero me pro quolibet anno sex millibus talerorum Imperialium contentum esse; Ego vero Episcopus Chelmensis obligor et debebo memoratam summam exsolvere Ill.mo Metropolitanæ quotannis binis rathis, idque quatuor millia talerorum die Festo S. Joannis Baptistæ, 24 mensis Iunii iuxta novum Calendarium et duo milia talerorum in die Nativitatis Christi Domini, die vigesima quinta mensis Decembris iuxta idem novum Calendarium incident. et has summas pecuniarias meis Emissariis punctualiter pro memoratis terminis transmittere ad Strunie in moneta argentea, sive aurea boni ponderis, numerando quemlibet talerum tinfonas sex, et sextario uno, aureum vero nummum duobus taleris et uno tinfone. Quoniam vero proventus ex Bonis et Archidiocesi superant memoratam summam sex millium talerorum Imperialium, propterea ex ratione superatae ego Episcopus Chelmensis obstringor habere curam et sollicitudinem in omnibus causis ad memorata Bona et ad Clerum mihi commissum se regulantibus tam in Tribunalibus Regni, quam etiam in Nunciatura vertentibus, et vertendis, non exigendo ullas pro eis expensas ab Ill.mo Metropolitanano. Solutio praememoratae summae incipiet anno currenti 1753, terminis supra specificatis. Quodsi vero ego Episcopus Chelmensis quocunque anno, et quacunque ratham punctualiter pro suprascriptis terminis totaliter non exsolverem, tunc eo ipso (f. 63v) praesens nostrum concordatum pro nullo et irritum habebitur, et Ill.mo Metropolitanano liberum erit redire ad pristinam plenam et omnimodam de his Bonis et circa dispositionem, eorumque

cui voluerit regimen et dispositionem committere, sine ulla mei ad vitae illius tempora ad hoc ingessione. Hoc autem pro utraque parte cavetur, quodsi aliqua Bona ultra ea, quae ad praesens reperiuntur, accederent, aut Decanatus Braclavienses Archidioecesi Metropolitanae essent adiuncti, tunc fructuum ex talibus Bonis et Decanatibus provenientium quatuor partes mihi Metropolitano, quinta autem mihi Episcopo Chelmeni, qua Coadiutori, cedere debebit. Quae omnia debebimus nobis adinvicem manutenere sub puncto honoris, et sub nullitate praesentis concordati, ac etiam sub refusione damnorum in casu contraventionis emergentium. Et pro praemissis damus nobis adinvicem praesens scriptum sub sigillis et subscriptionibus manuum nostrarum.

Datt. Vilnae, die 24 Mensis Februarii, Anno 1753.

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolitanus totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis.
(locus sigilli).

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Episcopus Chelmen. (locus sigilli).

Ego infrascriptus Notarius Apostolicus requisitus vidi huiusce copiae documentum polonico idiomate scriptum, a quo eadem est traducta in latinum; ideo eam esse vere traductam testor. In quorum fidem. Leopoli, 19 Aprilis, 1763 Anno.

ALEX. PIASECKI, Publicus Sac. Auth. Apost. Notarius (mpr).

41.

In Polonia, 12 . X . 1753.

Gratias agit de Seminario Ruthenis concessio Vilnae, et petit protectionem pro mantentione privilegiorum.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, a. 1753, vol 7, f. 696-7v.

Sanctissime Pater.

Quaquam id indubitatum sit, Pater Beatissime, nos etsi maxime cuperemus, patrem Apostolicae Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, munificentiae gratiam referre non posse, omittere tamen haud debemus, quin faciamus palam toti Catholico Orbi cum gratissimi nostri animi sensum, quem ex amplissimo designati educando Rutheno Clero Alumnatus Vilnensis Genti Ecclesiaeque nostrae praestito beneficio novissime concepimus. Hic sane in nobis talis tantusque est, ut eum nulla in animis nostris aetas, nulla oblivio oblitteratura sit. Depraedicabit in aeternum celebrabitque immortalibus laudibus amplitudinem nominis Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, Orthodoxa Russia; hostes Catholicae Religionis confundentur, ubi paternam Apostolicae Sedis providentiam hos etiam extremos Orbis Catholici fines complecti intellexerint. Nosque tanto alacrius (f. 696v) studia conatusque nostros impendimus, ut et sincera Ovium nostrarum erga vicariam Dei in terris potestatem devotio liquido appareat, et praestantissima Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, abunde in nos profusa beneficia, quaquam condignas gratias referre non valentibus, haud ingratum tamen praestita esse Orbis Catholici cognoscat. Ea sane, quae in beneficiis Sanctitatis Vestrae mandatis accepimus, omni promptitudine iam exequuti sumus: Conquisivimus nimirum ex nostris respective Dioecesibus Juvenes non postremae, ut praeferunt, indolis, quos ad manus habentes temporis eorum Vilnam

ad Seminarium mittendorum designationem, quam Ill.mus Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, in hoc Regno Nuncius nobis faciendam pollicitus est, avidissime praestolamur. Quam itaque amplissimis (f. 697) muneribus Sanctitas Vestra examat Roxolanam Ecclesiam, quatenus eandem in posterum etiam Paterna sua Clementia dignari pergat. Nos circa integritatem Ritus atque Jura, bonis piissima Fundatorum liberalitate Ecclesiis Ritus Nostri collatis suffragantia, manuteneri, atque antiquissima Metropolitanae Dignitatis Privilegia, Patriis Legibus abundantissime firmata, supremo quoque Apostolicae Auctoritatis Oraculo sarta tectaue servari demandet; Nostroque hac in parte Procuratori, Rev.mo Jasoni Smogorzewski,¹⁵¹ benignam propitiamque aurem Sanctitas Vestra, Dominus Noster Clementissimus, praebere velit, humillimis ardentissimisque precibus exoramus, manentes in religiosissimo (f.697v) Sacrorum Pedum osculo.

In Regno Poloniae, die 12 8bris 1753.

Sanctitatis Vestrae, Domini nostri Clementissimi infimi Servi et continui Exoratores

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis.

THEOPHILUS IN GODZIABA GODEBSKI, Ep. Vlad. et Brest.

GEORGIUS BULHAK, Episcopus Pin. (mpr.)

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Episcopus Chelm. (mpr.)

42.

Poloc, 2 . XI . 1753.

Uterior informatio de necessitate prohibendi transitum ad Ritum Latinum et de Seminario Vilnensi eiusque meliore provisione tum in temporalibus tum in spiritualibus.

APF, *Scrutt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 378-79v.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Domine et Patrone Colendissime.

Litterae Eminentiae Vestrae, quas cum adiunctis Brevium duorum Apostolicorum evulgatis exemplis accepi,¹⁵² satis superque declarant amorem Pontificis Optimi Maximi, non quidem novum illum et ignotum, sed tamen gratissimum et mirificum. De eo enim minimus Clerus curae meae commissus hucusque ille non ad publicam Ecclesiastici Ordinis procuracionem idoneus, non dubitanter pollicetur brevi se ad illum revocatum iri splendorem, quem iniuria temporum surreptum sibi abfuisse doluerat. Et quamquam intermitteri nescium paternae in nos charitatis studium arctioribus sibi vinculis nos omnes singulosque obstringat, quam ut solvendo unquam esse possumus, non comitemus tamen, ut in illo officio, quod a nobis Sanctissimae ac Beneficentissimae Sedi debetur, iure nos ac merito quisquam repraehendat. Quem

¹⁵¹ Dein Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), et Metropolita Kioviensis (1780-1786).

¹⁵² Ut videtur, agitur de Breve Pontificio, de dat. 14 VIII. 1753, quo Hierarchiae educatio Cleri in Seminario praesertim Vilnensi commendatur. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol.II, pag. 142. nr. 732. Aliud Breve fortasse de Collegio Vilnensi; b., pag. 129, nr. 725, de dat. 5. IV. 1753.

gratum animum etiam Eminentiae Vestrae nec non toti Sacratissimae Eminentiarum Vestrarum Congregationi testatum facimus. Probe enim intelligimus omne id, quod sive ad pristinum Nationis nostrae decorem innovandum, sive ad Unionem Sanctam hostibus magnopere commendandam, sive denique ad rationes nostrarum dioecesium adaugendas quoquo modo pertinere videtur, quod nos Sedis Apostolicae consequimur beneficio, suffragationibus ac consiliis Eminentiae Vestrae totiusque Sacrae Congregationis, cui summa nominis sui cum laude praeest, acceptum ferri debere. Porro, quod attinet ad ea, quae in venerabilibus Sanctissimae Sedis mandatis accepimus, dabo operam diligenter, ne mea, neve meorum Rev. morum Co-Episcoporum in iis curandis vel sollicitudo vel diligentia desideretur. Providebo nimirum pro virili, ut Juvenes nostri in Vilmensi Collegio instituti, perceptum doctrinae liberalis talentum evangelica negotiatione adauctum, Deo et Ecclesiae restituere possint; neque deinceps ab illis amoveantur muneribus, ad quae singularis Sanctae Sedis providentia, quae nullum Orbis Catholici angulum non attingit, Clerum Ruthenum Saecularem revocandum benigne suscepit. Sed metuo, dum haec scribo, ne vana quaedam ventitem, atque illud, quod fieri haud quaquam posse videtur, liberalius pollicear. Planum enim est, Eminentissime Domine, nisi mature mediante validissimo Eminentiae Vestrae patrocínio Sedes Sancta transitum ad Latinum Rítum Ruthenis prohibuerit, (f. 378v) fore id ut et ea, quae pulcherrime pro institutione Cleri Rutheni sunt constituta, collabantur, et nos copiam mandatis satisfaciendi nullam habeamus. Quomodo enim Clericos in Vilmensi Seminario eruditos laboribus apostolicis perferendis, saluti animarum curandae, muneribus Parochorum sustinendis addicemus? si defuerint, quos erudiant, quos curent, quos ad aeternam salutem manuducant, populo videlicet Rutheno universo ad Rítus Latinos traducto, unico et ipso Clero in Ritu suo persistente. Verum, Eminentissime Domine, ferendum hoc fortassis aequo animo foret, nisi transitum a Ritu Graeco ad Latinum postremo Unioni Sanctae inter Schismaticos amplificandae offencilo futurum arbitrarer. Nos enim qui studia nostra omnia, qui vitam sanguinemque nostrum rei catholicae his in Partibus quam maxime propagandae addicimus, neque infeliciter Deo auspice operam nostram in restituendis Sacrae Romanae Ecclesiae haeterodoxis Ruthenis quotannis probamus, nunc accessione Cleri saecularis eruditi facta, dum curam erroribus obductorum alacrius suscipere, susceptamque pro virili urgere connitemur, quid data Rítus commutandi venia a Schismaticis offeri nobis audiemus? nisi nos sub specioso Unionis nomine bellum indicere vetustissimis Graecae Ecclesiae usibus, sacris ieiuniis; Quae omnia cum vita illis potiora sunt, vita se potius spoliari patientur, quam cum Sacra Romana Ecclesia in gratiam redire; ut hoc facto Dominis suis tandem compellentibus a Ritu sui exercitiis desciscere cogerentur. Parochi certi Schismatici, quos velut duces maxime respicit ac sequitur grex haeterodoxus, quorum nos etiam omnium primam curam semper habere consuevimus, perspicientes Parochorum unitorum gregem amplum illum quondam atque numerosum, in singulus dies magis ac magis diminui, ad Latinos Rítus vicatim oppidatimque transire, similem sibi verebuntur fortunam. Et cum plerique eorum solis Populi curae suae commissi eleemosynis egestatem suam sustentent, tanto obstinatius se, gregemque suum in damnandis erroribus obfirmabunt, quanto magis cogitabunt, se nisi ideo ad communionem cum Sancta Romana Ecclesia invitari, ut ovibus suis destituti fame obsumerentur, vel disperirent. Quae cum ita sint, optima

spe nitimur Eminentiam Vestram totamque Sacram Congregationem pro suo incredibili erga Ecclesiarum Unionem zelo nunquam passuram, ut cum tanta fidei propagandae iactura, cum tanto Schismaticorum (f. 379) scandalo, cum tam denique evidenti frustratione collati recentissime Clero Rutheno amplissimi beneficii, homines quidam Ritui nostro, tot SS.morum Pontificium favoribus exornato, inimici, quidpiam de transitu eiusmodi moliantur; imo de singulari Eminentiae Vestrae benignitate, praestantissima sapientia ac principe, quam in rebus fidei propagandae obtinet auctoritate, spe indubia pollicemur, nos quantocyus districtum illud relatuus Decretum, in quo non postrema Unionis Sanctae ampliandae, Cleri Rutheni ad utilitatem Ecclesiae exercendi, momenta posita esse arbitramur

Finem iam epistolae imponere expediret, ne pluribus speciem in publica Ecclesiae commoda, quibus omnes Eminentiae Vestrae curas sacras et devotas esse scio; tamen et excellens plurimumque remotissimis his in Partibus celebrata humanitas eius facit, ut audeam, et officii mei ratio flagitat, ut debeam quadam pro recta Alumnorum Vlnensium disciplina humillimis precibus postulare. Ac primum: ut Sancta Sedes maiorem in dies sui consilii fructum voluptatemque capiat, omnino videtur necessarium, ut Domus specialis, quae dici poterit Domus Missionis, pro communi in caelibatu vivere volentium Alumnorum convictu erigatur. Etenim cum lex Sanctissimi Domini Nostri iubeat primum Clericos exacto Literarum curriculo salutis animarum procurandae vacare, nihil in rem illam melius posse esse videretur, quam si egressi e Seminario ad illum communem Convictum mitterentur, ut inde huc illuc prout locus aliquis postulaverit, iussu Loci Ordinarii facile expediri possent, sive ad Populum Christiana doctrina maxime ad salutem conferente excolendum, sive ipsum Clerum rudiolem, in iis, quae muneris et officii Parochialis sunt congrua scientia instituendum. Hac enim ratione ex Alumnis uberrimum fructum percipiet Ruthena Ecclesia, et longe ampliorem, quam si singuli singulis praeficerentur Parochiis. Eo enim modo nulli Parochiae, nulli loco deerunt, quicumque in Russia egere christianae institutionis Rev.mis Episcopis videbuntur. Quanquam hos qui uxores duxerint, ad Parochorum munera sustinenda, ut Literae Sanctitatis Suae praescribunt, compellere studebimus. Qua data occasione alterum mihi humillima supplicatione exposcendum occurrit; ut scilicet tenuitati et extremae inopiae saltem in nonnullorum Parochialium Beneficiorum benigne consulatur. Clerus enim noster, Sanctitatis Suae, necnon (f. 379v) Sacratissimae Congregationis beneficio liberaliter educatus, rusticis operibus, ut tenuiores nostri Parochi solent vitae subsidia comparare nec addiscet, nec sane volet. Difficillimum enim est, imo plane durissimum, versante manu libros, versare ligorem. Utrique vero gravissimae ac cum maximo gregis Rutheni catholici commodo coniunctae necessitati Sanctitas Sua, Dominus meus Clementissimus, satis superque prospiciet, si amplissimo Eminentiarum Vestrarum suffragante Patrocinio, possessiones Ruthenae Ecclesiae, quas a Moschis Clero Rutheno vi hostili extortas, Possessoribus autem ex Rutheno Clero partim expulsis, partim ad interuentionem delectis, stephanus Bathoreus dono et Legibus Patriis, et ipsi conditioni bonorum ecclesiasticorum contrario Patribus Soc. Jesu Polocensibus contulit, ac inscripsit, benignissimo suo Iudicio Ruthenis rursus addicere voluerit. Praestitum vero ab Eminentia Vestra his necessitatibus Patrocinium et praepotens praesidium, Russia Orthodoxa nunquam celebrare desinet, et iis monumentis Posterorum suorum memoriae consecrabit, quae

nullum consequentis aevi spatium demoliri valebit. Ego sane non mihi diuturniorem vitam polliceor, quam gratam Eminentiae Vestrae recordationem, in cuius devotissimae sacrae Purpurae osculo persisto.

Polociae, die 2. 9bris 1753

Eminentiae Vestrae, Patroni miei singularissimi

devotissimus et humillimus Servus

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae, Arch. Polocensis.

43.

Polock, 16. XI. 1753.

Petit protectionem in defendenda Unione et Ritu explicando periculum transitus ad Ritum Latinum

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 7, f. 716-717.

Beatissime Pater.

Minime nobis dubitare licebat, quin Catholica Russia, deterso squallore, quo ob-sita sua vidit omnia, ad illam emergeret speciem, quae non indigna luce Ecclesiae Christi videretur. Hoc enim incredibilis Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, in Ruthenos benignitas, hoc immortalia, quae percipiebamus, pollicebantur beneficia. Sed spem iam omnem non possumus non abiicere; nam divulgata ubique locorum facultate, Ruthenis cum Sacra Romana Ecclesia unitis licite transeundi a Ritibus Graecis ad Latinos, ita in singulos dies magis ac magis Gregem Nostrum Ruthenorum videmus diminui, ut non ex incerto ominari pergamus, nos in Catholica Russia nullum Ritum Ruthenum brevi conspecturos. Quod quo inclinet? non latet divinam Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, intelligentiam. Certe in id, ut et amplissimum Alumnatus Vilmensis Ruthenis a Sanctitate Vestra concessi convellat beneficium, et extremum Schismaticis Ruthenis ad soavissimum Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, Imperium revocandis ponat obicem. Primum ita esse planum est; maxime enim ingenua et quae magis ad studia literarum idonea esse videtur, traduci caepit Juventus, nec iam scholas publicas Latinorum, rudimenta studii sui positurus, subintrare potest Ruthenus, quin Ritum suum (f. 716v) proinde ac pestem quantam aut haeresim in primo propemodum limine deserere inducatur. Quo fit, ut ne modo quidem, si de substituendis ex mea dioecesi deliberandum foret, copiam facile substituendorum haberem. Quid ergo tandem, via Rutenis unitis ad Ritus Latinos non preclusa, et alterum etiam minime est obscurum; Nam quid effecturos nos sperabimus apud plebem schismaticam, quae Religionem Graecam acceptam a majoribus non minori contentione tuetur, quam relictum sibi a Parentibus patrimonium, dum intelligit, se ad fidei unitatem aggregatam, nunquam fore securam de Ritus sui retentione, sed vi, sed minis, sed imperio omnino tandem deturbandam. Fateo vero, quam acerbam cladem inter Ruthenos unitos in Ritu remanentes, bonis moribus inferat eiusmodi transitus? Integrum enimmodo est cuivis, quem admodum a Ritu, ita a virtute desciscere; Persuasum etenim sibi habent omnes, se sacro fulmine feriri a nobis non posse, cum statim, ut ictum canonicae paenae comminamur, illi e Ritu Graeco se proripiunt et Latino contacti nomine, velut e portu

quodam atque arce, in tenuam et fractam potestatem nostram iusultant. Miseros nos! qui tandem beneficio quorundam Fratrum Latinorum eo adducti sumus, ut nihil amplius integrum sit, nisi calamitatem rerum nostrarum deplorare. Sed gemitum, quem Russiae afflictæ species oculis aversans meis, mihi exprimit, comprimit dulcissima Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, recordatio, quam ego nominare non possum, quin melioris spei lux maerenti mihi affulgeat. Ita est, Beatissime Pater, in ista Causa nostra nihil speramus non nobis exoptati, non fidei ampliandæ proficui, non gregi in officio detinendo idonei, quando quidem (f. 617) Sanctitas Vestra, Dominus meus Clementissimus, vult de nobis indignissimis non bene tantum esse merita, sed incredibiliter, sed divinitus. Et quamquam liberalissimæ eius in nos voluntati unquam Russia Orthodoxa respondere poterit, agnoscere tamen et prædicare non cessabit, et dum nomen exstabit Summorum Pontificum, incredibile studium, miranda in nos voluntas Beatitudinis Vestrae semper nominabitur; præcesserit vero Orbis universi ruina, quam oblivione celiatur, aut collabatur tantorum Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, beneficiorum memoria. Ego sane vivam et moriar ob inexplicabilem eius in me miserum et indignum promeritorum amplitudinem ingratus, qui abiectus ad osculum Sanctissimorum Pedum maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi

infimus Servus et quotidianus Exorator

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocen. (m.p.)

Polociae, die 16. 9bris 1753.

44.

Strunie, 13 . XII . 1754.

Instat apud Nuntium Varsaviensem pro intercedendo apud Regem Poloniae, ut prohibeatur accessus in Poloniam et Albam Russiam novi cuiusdam Episcopi Mohiloviensis non uniti.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 318-19v.

Excelentissime, Illustrissime et Reverendissime Domine,

Domine et Patrone Colendissime.¹⁵³

Ardens meum in promovenda Ecclesiae Unione studium, atque impensae, debiles equidem, at constantes, et diuturnae in extirpando ex hac Domini Vineae, cui circiter a quadraginta annis in munere pastoralis praesum, schismate curae, etsi felicem, Deo causae suae opem ferente, successum nactae sint, ubi supra centum et amplius parochiales ecclesias cum suis pastoribus et plebe in sinum orthodoxae religionis sponte redeuntes ipse susceperim, haud quamquam tamen plene de hac truculenta hydra triumphare mihi licuit, conatibus meis se opponente Pseudo-Episcopo schismatico, qui in civitate Mohiloviensi constituta sede, malis artibus, imo et aperta vi a multis annis non modo incremento Ecclesiasticae Unitatis obicem posuit, verum etiam ipse

¹⁵³ Nuntius Varsaviensis, Nicolaus Serra (1754-1760).

orthodoxam religionem intra fines Regni catholici frequenter aggredi non dubitavit. Hanc pestem et verum aprum, vineam Domini vastantem, supremus rerum arbiter non ferens, hisce diebus e vivis sustulit.¹⁵⁴ Iniecta animo meo non levi spe, qua persuasus sum fore, ut Dominatio Vestra Illustrissima et Reverendissima suis officiis et Suprema Sedis Apostolicae apud Serenissimum Regem interposita auctoritate haud difficulter efficiat, (f. 318v) ne alter recenter functo Pseudo-Episcopus deinceps substituat, qui novum et fortassis quam antehac acrius nobis diuturna dimicatione defatigatis bellum indicere et Sacram Unionem in discrimen adducere possit. Scripsi iam ad Serenissimum Regem, Dominum meum Clementissimum, nec non Excellentissimos Regni nostri Ministros ipsisque documenta transmisit, ex quibus liquido apparet: Mohiloviensem civitatem olim suis pastoribus rebellem, curante Sanctissimo Martyre, Praedecessore meo, Josaphat Kuncewicz,¹⁵⁵ apud Serenissimum pro tunc Sigismundum III, Poloniae Regem, Decreto Regio spirituali Archi-Episcoporum Polocensium iurisdictioni addictam fuisse. Vigore huius Decreti Praedecessor pariter meus Martianus Bialozor¹⁵⁶ apud Serenissimum Augustum II obtinuit, ut guidam Seraphion Polkowski Schismaticus,¹⁵⁷ qui pro Episcopatu Mohiloviensi (ac si ab Archi-Episcopatu Polocensi distincto) clam e Cancellaria Regia privilegium excedendum rescripto Regio cogere- tur. Tandem recentius, imposito iam humeris meis Archi-Episcopatus Polocensis onere, quidam Berlo,¹⁵⁸ pariter schismaticus monachus, ope et (f. 319) adiutorio Moschorum praefatum Mohiloviensem Episcopatum occupaverat, sed et hic sollicitudine et ingentibus meis apud Serenissimum eundem Augustum II curis binis mandatis Regiis Mohilovia eiectus est, brevi post, instantibus nunquam satis deplorandis fatis Serenissimi memorati Augusti II, intra bellorum tumultus ultimus Hieronymus Wolczanski,¹⁵⁹ ope finitimi imperii Moschoviae, Mohiloviensi occupata ecclesia, quam ingens Orthodoxae religioni vulnus inflixerit? quam ingentia Sanctae Unioni odia concillia- verit? quot hominum millia in aeternum salutis discrimen, et animarum perniciem ad- duxerit? nunquam satis postera aetas deplorare valebit. Documentorum ad rem praesentem spectantium in latinam linguam traductorum copias Illustrissimae, Reverendis- simae Dominationi Vestrae transmitto. Utque sua auctoritate, cui integritatem et in- crementum orthodoxae religionis Sancta Apostolica Sedes inniti voluit, supplicibus praecibus meis apud Serenissimum Regem, Dominum Clementissimum, Excellentissi- mosque Regni Ministros suffragium et (f. 319v) opem ferre non detrectet enixe ob- secro, unaque singulari observantia et veneratione maneo.

¹⁵⁴ Agitur de Hieronymo Wolčanskyj (1743-1754), Obiit die 14. X. 1754.

¹⁵⁵ Josaphat Kuncewycz, Archiepiscopus Polocensis (1618-1623). Interfectus in odium pri- matus Romani et unitatis Ecclesiae die 12. XI. 1623, Vitebsci, Beatorum catalogo adscriptus an. 1644, Sanctus declaratus anno 1867. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta beatificationis et canonizationis*, vol. I-II, Romae 1952, 1955.

¹⁵⁶ Episcopus Pinscensis (1666-1697), dein Archiepiscopus Polocensis (1697-1707).

¹⁵⁷ Annis 1697-1704.

¹⁵⁸ Arsenius Berlo, annis 1730-1733; non tamen admissus a Rege Poloniae, abiit in Ucrainam ubi Eparchiam obtinuit Perejaslaviensem.

¹⁵⁹ An. 1743-1754.

Excellentissimae, Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus et humillimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae, Archi-Episcopus
Polocensis (m. p.)

Die 13 X bris 1754. In Strunie.

45.

Strunie, 29 . I . 1755.

*De intercessione apud Regem Poloniae in negotio pseudo Episcopi Mohiloviensis, nec
non de transmissione relationis de Decanatibus Braclaviensibus.*

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 320.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine et Patrone Colendissime.

Quemadmodum transmissis nuper Illustrissimae Excellentiae Vestrae precibus efflagitavi opem, atque gravissima eius officia contra Disunitos, qui iurisdictionem meam in Alba Russia et nominatim in civitate Mohiloviensi, cum insigni et evidente orthodoxae religionis damno, et discrimine convellere attentant, nominationem novi, post obitum intrusi Pseudo-Episcopi successoris postulantes,¹⁶⁰ non secus et praesentibus eadem vota mea, quae in annexa, una cum summario documentorum, informatione transmitti, sua gravissima auctoritate tueri velit enixe obsecro. Quae autem ultimo cursore mandata Illustrissimae Excellentiae Vestrae accepi, incunctanter adimplerem, atque initam inter P.F. Praedecessorem meum Leonem Kiszka, et Athanasium Szeptycki, Episcopum pro tunc Leopoliensem, super Decanatibus Braclaviensibus transactionem, mox, prout Illustrissima Excellentia Vestra postulat, transmitterem, sed cum eam una cum aliis documentis Romam miserim occasione, quia causa praedictorum Decanatum ab Illustrissimo Episcopo Leopoliensi ex Sacro Nuntiaturae Tribunali ad Urbem provocata fuit, nunc unicum superest, ut, sinceram promptamque ad quaeque imperata eius voluntatem testatus, singulari observantia et veneratione me subscribam

Illustrissimae, Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus et humillimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archi-Episcopus Polocensis (m.p.)

Die 29 Januarii 1755, in Strunie.

46.

Radomysl 21 . II . 1755.

Conceditur dispensatio ab impedimento bigamiae pro duobus Clericis ucrainis.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 762, f. 32rv.

¹⁶⁰ Obiit Hieronymus Wolčanskyj die 14. X. 1754.

Florianus Hrebnički, Dei, et Apostolicae Sedis gratia Metropolita Kioviensis, Hali-ciensis, et totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscensis, Msci-slaviensis, Orszanensis et Mohiloviensis, Abbas Kijowopeczaren. Sollique Pontificii Assistens.

Universis et singulis, quorum interest, intererit, aut quomodolibet interesse poterit tenore praesentium significamus: Quia cum in Archidioecesi Metropolitana Kioviensi, quae magnam partem complectitur Ukrainae, homines ad sacerdotium, et erudiendum populum in fide sancta catholica pauci admodum reperiantur ob defectum docentium, in quibus partibus propagatio fidei maxime est necessaria, cum itaque de iisdem partibus Ukrainae Nobiles Romanus Polagnicki, et Stephanus Szenkowski, primus ad ecclesiam Czukovien. tituli S. Joannis Theologi, secundus ad ecclesiam Koji-joviensem tit. Obdormitionis B. mae Virginis Mariae, Parochiales in memorata Dioecesi sitas praesentati (f.32v), ad nos recursum fecissent, se examini Examinatorum Dioecesanorum sufficientes, et ad Sacros Ordines aspirantes, et licet ab Examinatoribus sufficientes ac idonei comperti fuerint ac de iis iudicium datum est, nihilominus, quia eis impedimentum bigamiae interpretativae, ex eo quod viduas in uxores duxerint, obsistat, hinc a conferendis eis Ordinibus abstinendum censuimus, ipsosque ad Sedem Apostolicam remisimus pro et cum eis supplicantes, quatenus exigente necessitate loci, et attenda idoneitate eorum (de qua fidele perhibemus testimonium), cum illis Sancta Sedes super impedimento praemisso gratiose dispensare dignetur. In quorum fidem etc.

Datum Radomiszliae, die 21 Februarii 1755.

MICHAEL PRYMOWICZ, S. Theologiae L. Prothonotarius Apostolicus, Officialis Iudex Metropoliae Kijovien. (mpr).

47.

Ex Polonia, 5 . IIII . 1755.

In Causa cum Ordine Basiliano: de Archimandritarum subiectione.

ASV, *Nunz di Polonia*, vol. Add. 12, fol. n. n. (copia).

5 Martii 1755.

Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Ea est Beatitudinis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, erga Universalem Catholicam Ecclesiam pastoralis sollicitudo, ut etiam extremi mundi Orthodoxi fines, qui nostrae custodiae et vigilantiae concrediti sunt, non modo gloria nominis Beatitudinis Vestrae, verum etiam singularis eius in nos, Ecclesiam gentemque nostram paterna providentia attingat, eaque quae ad augendum veri numinis cultum, arcendos finitimos Ecclesiae Orthodoxae hostes, provehendam Ecclesiae Unitatem maxime conferre possint, nedum suavissima vicaria Dei potestate disponat, verum etiam amplissimis in Roxolanam Ecclesiam, nosque eius immeritos pastores effusis beneficiis, veluti quibusdam fortissimis eximiae charitatis funiculis permixtas ovis nostrae curae concreditae funestas Schismatis reliquias ad unum Supremi Pastoris ovile attrahat. Et sane olim iam ea felicitate potiemur, ut hac Vineae Domini omnibus sensibus purgata, ingens Sanctae Unionis opus sub fel. mem. Praedecessore Beatitudinis Vestrae Clemente VIII caeptum peramplissimas Sarmatiae provincias, sub felicissimo

Beatitudinis Vestrae regimine perfectum gauderemus, nisi deficientibus operariis ad eas redigeremur angustias, ut non modo rei catholicae propagandae, verum nequidem oneri pastoralis ferendo peropportunas vires habeamus. Indubitatum quidem est, Pater Beatissime, Ruthenae a suis initiis hierarchiae ex more Orientalis, cuius ritus disciplinamque profitemur, Ecclesiae Ordinem monasticum eiusque capita, Abbates, allectum, magnam sollicitudinis partem gessisse, atque ad propagandam orthodoxam religionem, reformandos instituendosque populi christiani mores, invigilandum rudiori prae tenuitate beneficiorum saeculari clero vocatum incunctanter pro ea qua Episcopis obstrictus erat obedientia accurrere consuevisse, verum ad praesens absoluta a nostra iurisdictione Religione Basiliana, suisque rebus duntaxat prospiciente, atque singulari, quo suam recentem exemptionem tueretur, nobisque minime subiecta appareret, zelo animatam, consuetum nobis adiutorium denegante, unicos adsuper esse Abbates, quos in partem curae nostrae pastoralis nobis adsciscere integrum est. Verum cum nova primorum monastici Ordinis nobis innotescant molimina, quibus Abbates etiam a nostra iurisdictione avellere, atque ultimo hoc hierarchiam nostram adiutorio spoliare conentur, affusi proinde pedibus Beatitudinis Vestrae enixissime supplicamus, quatenus attente exposito Ruthenae Ecclesiae statu, atque tam gravi ovibus nostris imminente aeternae salutis periculo, hoc ultimo nostram Ecclesiam subsidio destitui, ad eumque deplorandum statum nos redigi non patiatur, in quo nec propulsandis Schismaticorum insultibus, nec regimini extensarum Dioecesum, nec excolendae cleri ruditati pares esse valeamus. Nobis autem hoc inter innumera amplissima Sanctitatis Vestrae beneficia ad nostram, oviumque nostrarum salutem maxime necessario exornatis incumbet, ardentissimis praecibus Deum Optimum Maximum exorare, ut Beatitudinem Vestram, Dominum Clementissimum, ad communem Orbis Catholici felicitatem, incrementum, orthodoxae religionis, nostrumque omnium solatium diutissima non minus ac prosperrima felicitate frui concedat. In devotissimo tandem Sanctissimorum pedum osculo manemus.

In Regno Poloniae, die 5 Martii 1755.

Beatitudinis Vestrae, Domini, Clementissimi

humillimi Servi et continui Exoratores

FLORIANUS HREBNICKI,

Metropolita totius Russiae et Archiepiscopus Polocensis (m.p.)

THEOPHILUS GODEBSKI, Protothronius totius Russiae, Episcopus Vladislaviensis et Brest. (m. p.)

SILVESTER L. RUDNICKI, Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceorien. (m. p.)

GEORGIUS BULHAK, Episcopus Pinscen (m. p.)

FELICIANUS, Episcopus.

ONUPHRIUS SZUMLANSKI, Episcopus Premisliensis, Sanocensis et Samborien (m.p.)

LEO SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, Kamenecensis (m. p.)

48.

Polock, 25. IV. 1755.

De negotio pseudo Episcopi Mohiloviensis, nec non de Causa bonorum cum PP. Societatis Jesu Polocensibus agitata.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. Add. 11, fol. n. n.

Beatissime Pater.

Magnitudinem beneficiorum, quibus Sanctitas Vestra, Dominus meus Clementissimus, integram Ruthenan Ecclesiam abunde exornare dignata est, adauxit sane plurimum paterna eius providentia, qua imminentem orthodoxae religioni procellam Sanctitas Vestra depulsura, novissimis suis literis Serenissimum Regem hortari dignata est, ne extincto nuper Schismatico Mohiloviensi nuncupato Episcopo, novus iuris catholici usurpator nominatione Regia constitueretur. Quam in rem prout ad usque diligentissimas curas impendere studui, non secus eadem ardentia studia mea in post etiam adhibere curabo, firma fide fretus, ut et Paternae Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, providentiae et debilibus conatibus meis, eximius Serenissimi Regis zelus feliciter respondeat; hanc in spem a ministris Regiis erectus, frequenti consideratione affligor, ubi expendo non modo integro ferme animarum milioni ad Unitatem Orthodoxae religionis accessuro, verum etiam sat copioso ad praesens gregi mihi commisso idoneos deesse pastores, qui eius curam gerere sciant. Hos conscientiae meae angores, quibus per integrum sat prolixum pastoralis muneris mei tempus miserum in modum vehementer crucior, una cum afflicto Dioecesis meae Polocensis statu, quem non semel Sanctitati Vestrae, Domino meo clementissimo, exponere coactus fui. Nec ingentibus laboribus et sumptibus peperci, quibus bona ad clerum meum spectantia, a Rege olim Stephano violenter cum evidenti Ruthenarum Ecclesiarum damno, contra cardinalia Regni Poloniae iura ad Patres Societatis Jesu translata, instituta coram Sacra Rota actione vindicarem. Sed cum Sacra Rota, non attentis legibus patriis, et post adinventum ac per ipsam partem adversam allegatum titulum donationis Regiae, solo nunquam satis probato a parte adversa centenariae pacificae possessionis praetextu, manifesto Patrum Societatis Jesu favore, in decisis persistat, unicum ad praesens in sola Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, benignitate malis meis remedium quaero, omni qua possum animi mei demissione supplex obsecrans, quatenus Sanctitas Vestra penes omnimodam Serenissimi Regis, quoad terminationem causae meae cum Patribus Societatis Jesu indifferentiam, evidenti Ecclesiarum curae meae commissarum iniuriae atquei nevitabili (quod me maxime excruciat) tot millium animarum idoneis ministris destitutarum discrimini, de plenitudine supremae potestatis providere velit. Ego porro cum grege meo, manifesto aeternae damnationis periculo erepto, Maiestatem Divinam orare nunquam desistam, quatenus Sanctitatem Vestram, Dominum meum Clementissimum, ad felicitatem Orbis Catholici fortunatam ut quam plurimos ad annos incolumen servare pergat. Manens in religiosissimo sacrorum pedum osculo.

Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi,

infimus Servus et continuus Exorator

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis (m.p.)
Polociae, die 25 Aprilis 1755.

49.

Polock, 25 . IV . 1755.

*De Causa bonorum Polocensium.*ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 269, fol. 213-13v.

Em.me, Excell.me et Rev.me Domine, Domine Colendissime.

Amplissimae, quibus coram universo Orbe gloriari, nunquam desinam Eminentissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae gratiae mihi immerito abunde exhibitae, sicuti me longe imparem faciunt, ut quem obstricto corde gero debitae verae gratitudinis sensum palam explicare valeam, ita certam ferme mihi spem tribuunt, ut exorientibus adversitatibus ad compertam Eminentiae Vestrae benignitatem, veluti ad quempiam tutissimum portum, securo confugiam. Quocirca, accepto ex Urbe nuntio de minus felici Causae meae cum Patribus Societatis Jesu Polocensibus progressu, exposui in annexis literis Sanctissimo Domino Nostro, Domino meo Clementissimo. infelicem Dioecesis meae statum, cum manifesto aeternae damnationis periculo tot millium animarum idoneis ministris destitutarum coniunctum, neque ullum adinveniri modum posse existimo, quo clerus huiusce Dioecesis iniuste contra fundamentales etiam Poloniae leges a Rege Stephano bonis spoliatus, in Sacris Literis moribusque pastoralis muneris consentaneis erudiri queat, quibus expositis subiunxi humillimas preces meas obsecrans: quatenus Sanctissimus Dominus Noster manifestae iniustitiae ex conciliato a Patribus Societatis Jesu Sacrae Rotae favore proveniente, salutis ovium (f. 213v) mearum periculo atque ingenti Schismaticorum scandalo ex afflictis Sanctae Unionis iuribus emergenti paterna sua providentia consulere dignaretur. Haec a me Sanctissimo Domino, Domino meo Clementissimo exposita, iisque adnexae preces eo feliciorem sortientur effectum, ubi Eminentissima, Reverendissima Dominatio Vestra, ex sua innata atque per universum Orbem celeberrima clementia, eas gravissima sua interposita auctoritate et validissimo patrocinio fulcire velit, quod uti ab eximia singularissimaeque eius benevolentia et humanitate mihi polliceor, non secus in devotissimo sacrae purpurae osculo promptissima ad quaeque imperata voluntate maneo Eminentiae Vestrae devotissimus et humillimus servus

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis (m.p.)

Die 25 Aprilis 1755. Polociae.

50.

Polock, 25 . VII . 1755.

*De Causa bonorum Polocensium.*ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. Add. 11, fol. n. n.

Eminentissime, Reverendissime Princeps, Domine Patrone Colendissime.¹⁶¹
Amplissimae, quibus coram universo orbe gloriari nunquam desinam Eminentis-

¹⁶¹ Fortasse agitur de Praefecto S. Congregationis de Prop. Fide, Sylvio Valenti-Gonzaga (V747-V756).

simae e Reverendissimae Dominationis Vestrae gratiae mihi immerito abunde exhibitae sicuti me longe imparem faciunt, ut quem obstricto corde gero debitae verae gratitudinis sensum palam explicare valeam, ita certam ferme mihi spem tribuunt, ut exorientibus adversitatibus ad compertam Eminentiae Vestrae benignitatem, veluti ad quempiam tutissimum portum, securo confugiam. Quocirca, accepto ex Urbe nuntio, de minus felici causae meae cum Patribus Societatis Jesu Polocensibus progressu, exposui in annexis literis Sanctissimo Domino Nostro, Domino meo Clementissimo, infelicem Dioecesis meae statum cum manifesto aeternae damnationis periculo tot milium animarum idoneis ministris destitutarum coniunctum, neque ullum adinveniri modum posse existimo, quo clerus huiusce Dioecesis iniuste contra fundamentales etiam Poloniae leges a Rege Stephano e bonis spoliatus, in Sacris Literis moribusque pastoralis muneris consentaneis erudiri queat, quibus expositis subiunxi humillimas preces meas obsecrans: quatenus Sanctissimus Dominus Noster manifestae iniustitiae, ex conciliato a Patribus Societatis Jesu Sacrae Rotae favore proveniente, salutis ovium mearum periculo, atque ingenti Schismaticorum scandalo ex afflictis Sanctae Unionis iuribus emergenti Paterna Sua Providentia consulere dignaretur. Haec a me Sanctissimo Domino, Domino meo Clementissimo, exposita, iisque adnexae preces eo feliciorum sortiantur effectum, ubi Eminentissima et Reverendissima Dominatio Vestra, ex sua innata atque per universum orbem celeberrima clementia eas, gravissima sua interposita auctoritate et validissimo patrocinio, fulcire velit, quod uti ab eximia singularissimaque eius benevolentia et humanitate mihi polliceor, non secus in devotissimo S. Purpurae osculo promptissima ad quaeque imperata voluntate maneo.

Eminentiae Vestrae obsequentissimus et humillimus Servus

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis (m.p.)

Die 25 Julii 1755. Polociae.

51.

Polock, 5 . III . 1756.

Amplissima relatio de statu Ecclesiae Metropolitanæ Kioviensis et Eparchiae Polocensis.

APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 8, fol. 260-278v.

Relatio de statu Kyoviensis, et Haliciensis Metropolitanæ totius Russiae, tum quoque Archiepiscopalis Polocensis Ecclesiarum, una ac iisdem subiectarum respectivè Archidioecesium, anno ab Incarnatione Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, die quinta Mensis Martii conscripta, Sanctae Apostolica Romanae Sedi humiliter praesentanda.

Beatissime Pater.

In ea, quam anno 1752 Sanctitati Vestrae, Domino meo Clementissimo, transmisi relatione, prolixè exposui, quomodo Metropolitana Kioviensis Ecclesia a Vladimiro, supremo totius Russiae Principe,¹⁶² primo harum Regionum Illuminatore, et

¹⁶² Volodymyrus Magnus, Sanctus, Princeps Regni Rus-Ucraina (972-1015). Cfr. I. NAZARCO OSBM, *St. Vladimir the Great - Sovereign and Baptist of the Rus-Ukraine*, Romae 1954.

Apostolo erecta, maximis privilegijs exornata, sacra ingentis pretij supellectili instructa, Bonisque, et Fundis late patentibus super omnes alias in septentrione sitas Ecclesias abunde ditata, amplissima per Provincias Russiae trans, et cis Boristenem, nec non Volgam extensas, atque complures ibidem Cathedrales inferioribus accessu temporis fundatas Ecclesias iurisdictione spirituali praedictae usque ad tempora Nicolai V, S. P., perstitit, quibus primum (f. 260v) abdicato ab Isidoro, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali,¹⁶³ in manus Summi Pontificis Regimine huius Metropolitanae Sedis, auctus et exornatus Gregorius II, Cognomento Cemivlacus,¹⁶⁴ in Patriam redux solam dumtaxat Inferiorem Russiam Regno Poloniae adiunctam cum Metropolitana Kiioviensi Ecclesia gubernandam suscepit, eo, quod ab unione, in Florentina Synodo stabilita, aversi Superioris Russiae Incolae in Urbe appellata *Moskwa* excitata nova antimetropolitana Russiae Sede, cuidam Jonae Schismatico,¹⁶⁵ Marci Ephesii discipulo, pseudo Metropolitae electo sese in disciplinam commiserunt, unde evenit ut Metropolitanus Kijoviensis, amisso tunc maiori Suffraganeorum Ecclesiarum numero, solas Polocensem, Smolenscensem, Vladimiriensem, Luceoriensem, Premisliensem, Pinscensem, Chelmensem, et Leopoliensem (: quae recentius sub Metropolita Macario,¹⁶⁶ de consensu Synodi Nationalis, erecta fuit:) in sua iurisdictione, et Sedis Apostolicae obedientia retinuerint usque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum quintum, quo a Synodo Nationali Ruthena, Praeside in ea Michaelae Rahoza, Metropolitano Kijoviensi,¹⁶⁷ renovata per (f. 261) delegatos Synodales Vladimiriensem, et Luceoriensem Episcopos apud Clementem VIII, Summum Pontificem, Oratores,¹⁶⁸ ecclesiastica unione, innovatus nonnihil Ruthenae Ecclesiae status extitit, quandoquidem Metropolitanus Russiae incostantiae in religione Patriarcharum Constantinopolitanorum (: a quibus dependebant:) pertaesi, Romano Pontifici se immediate subiecerunt. Quod aegre ferens Princeps Constantinus Ostrogiensis,¹⁶⁹ Clientelis, opibus, et auctoritate in Regno Poloniae in primis conspicuus, potissima Procerum, et Nobilitatis Ruthenae parte in suam sententiam pertracta, horrendum in Russia Schisma conflavit, Leopoliensem, et Premisliensem Episcopos ab obedientia sui Metropolitanus, et orthodoxa religione abduxit, tantumque odium unioni Ecclesiasticae in populo Rutheno, praesertim cis Boristenem sito, conscivit, ut hic brevi post obitum memorati Principis,¹⁷⁰ invocata in praesidium suae temeritatis ingenti Praedonum, ripas Boristenis incolentium (: quos vulgo Kozacos appellant:) manu, quem-

¹⁶³ Anno 1457, temporibus Calixti PP. III.

¹⁶⁴ Gregorius II (1458-1472).

¹⁶⁵ Metropolita Moscoviensis (1448-1461)

¹⁶⁶ Macarius II, Metropolita Kioviensis et Haliciensis (1534-1556). Erectio haec evenit anno 1539.

¹⁶⁷ Michael Rahoza, Metropolita Kioviensis (1588-1599).

¹⁶⁸ Hypatius Potij, Episcopus Volodymiriensis (1593-1613), et Cyrillus Terleckyj, Episcopus Luceoriensis (1585-1607). Agitur de s. d. Unione Berestensi. Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae, vol. unicum.

¹⁶⁹ Constantinus Basilius Ostrozskyj, Palatinus Kioviensis (1527-1608). Hic usque ad mortem Unioni Berestensi obstabat omnibusque conatibus eam destruere conabatur.

¹⁷⁰ Anno 1608, mense Januario.

dam Theofanem, Jerosolimitanum Patriarcham cognominatum,¹⁷¹ Kyoviam e plagis (f. 261v) Orientis conduxerit, atque eo inaugurante novum Schismaticum Metropolitanam Kyoviensem, Jobum Borecki nuncupatum,¹⁷² excluso propria Sede vero Pastore catholico Josepho Rutscio,¹⁷³ sibi praefecerit, Iobum brevi extinctum, indulgente Vladislao IV, in rebus religionis non nihil remissiori Rege Poloniae, excepit Petrus Mohyla, Moldaviae Principis filius,¹⁷⁴ pseudo Metropolita Kyoviensis inauguratus, sub quo, ingentibus animis sumptis, Schismatici, conflato tumultuario numerosissimo exercitu, Duce Bohdano Chmilniecio,¹⁷⁵ Rempubicam miserum in modum afflixerunt, caedibus, rapinis, et sanguine omnia complentes; in Catholicos, Ruthenos praesertim, unico Sanctae Unionis titulo diri furores exerciti, complures qui in manus Praedonum inciderunt, exquisitis tormentis cruciati, palmam martirii retulerunt, Antistites catholici Sedibus suis pulsati, Schismatici substituti, atque inter Senatores Regni, prospiciente hac ratione rebus suis, oppressa, et ad extremum ferme afflicta Republica, cooptati, parum abfuit, quin rem catholicam, et antiquam Patrum Religionem penitus (f. 262) in Russia extinxerint. Ne ipse Deus Causae suae Patronum egisset, et brevi violata a Schismaticis Pactorum fide, eorum Phalanges non tam catholici exercitus viribus, quae sat infirmae erant, quam potius Omnipotentis suae Dexteræ virtute disiecisset, tranquilliora Orthodoxae Religioni tempora inducendo. Sic, pacatis rebus, resumtis animis, catholici Antistites suas antiquas Sedes recuperarunt, praeter Metropolitanam Kyoviensem, Smolenscensem, Luceoriensem, Leopoliensem, et Premisliensem Episcopos; Kyoviensi, et Smolenscensi suas Sedes, a Regno Poloniae avulsas, et Moschoviae Schismatico Imperio subiectas, repetere non licuit; Leopoliensis, Luceoriensis, et Premisliensis Provinciae in Schismate obduratae tabulis foederis inter Poloniam, et Moschoviam initi consignata immunitate Sectae, eiusque libero exercitio securi, catholicos Antistites pervicaciter reiecerunt usque ad annum 1700,¹⁷⁶ quo tandem cura Apostolica, et indefesa Praedecessorum meorum sollicitudine, Superum ope adiuvante, ad Gremium Orthodoxae Religionis redeuntes, antiquae Metropolitanorum Kyoviensium iurisdictioni se subiecerunt, ita ut Sedes Metropolitana Kyoviensis omnes antiquas Suffraganeas Sedes sibi subiectas possideat, videlicet *Polocensem*, quam ego ad Metropolitanam Dignitatem evectus, ex benignitate, et indulgentia Sedis Apostolicae retineo; *Vladimiriensem*, cui Theophilus Godebski; *Luceoriensem*, cui Sylvester Rudnicki; *Chelmensem*, cui Felicianns Wolodkowicz,

¹⁷¹ Theophanes, Patriarcha Hierosolimitanus, qui anno 1620, mense Augusto, Kioviae, sub protectione cosacorum, novam Hierarchiam non unitam constituit, sub regimine Metropolitanæ Hiob Boreckij (1620-1631).

¹⁷² Annis 1620-1631. Antea Superior Monasterii et Scholae s. d. Epiphaniae Domini, Kioviae Originem ducebat ex Ucraina occidentali.

¹⁷³ Josephus Velamin Rutskij, Metropolita Kioviensis unitus (1613-1637).

¹⁷⁴ Petrus Mohyla, Metropolita Kioviensis non unitus (1633-1647), primum Archimandrita Archimandriae Kiovo-Pečarensis. Fundator Academiae s.d. Mohylanae, famosae in tota Europa orientali et meridionali.

¹⁷⁵ Annis 1648-1657. Hic, dominio Poloniae excusso, anno 1654 unionem univit politicam cum tsaro Moscoviae.

¹⁷⁶ Anno 1691-2 Eparchia Peremysliensis unionem cum Sede Apostolica accepit, anno vero 1700 etiam unio Eparchiae Leopoliensis opera Episcopi Josephi Szumlanskyj promulgata fuit.

Coadiutor meus adpraesens; *Pinscensem*, cui Georgius Bulhak; *Praemygliensem*, cui Onuphrius Szumlanski, et *Leopoliensem*, cui Leo Szeptycki Antistites praesunt; *Smolenscensis* quoque Ecclesiae titulum conservare studeo, nominato iam ad recommendationem meam a Rege Serenissimo eius futuro Praesule, Reverendissimo Caesario Stebnowski, Abbate Onuphriensi.¹⁷⁷

Titulo Archiepiscoporum Kyoviensium, Haliciensem quoque ab antiquo habent adiectum Metropolitanam Russiae, quod scilicet vastata Scytarum incursionibus, circa annum 1200 Urbe Kyoviae, in civitate Halicia, intra Dioecesim Kyoviensem sitam, Residentiam suam transferre coacti fuerunt.¹⁷⁸ Cuius Ecclesiae possessionem cum sua respective Dioecesi, obtenta Sedis Apostolicae confirmatione, ubi (f. 263) per Commissarios meos inire statuissem, opposuit se, ex subordinatione Leopoliensis Episcopi, Clerus eius Ecclesiae, et oppugnare agressus est fundatam nomine meo iurisdictionem, quemadmodum in praeterita mea Romam transmissa informatione coram Sanctitate Vestra conquaestus sum, exposito evidenti animarum illius Dioecesis periculo, in quo ob defectum legitima ab Episcopo Leopoliensi temere usurpata iurisdictionis versantur. Atque huic malo e medio tollendo congrua a Sanctitate Vestra media efflagitavi, quas preces meas in praesentiarum iterum suppliciter affero, supremam Sanctitatis Vestrae in Orbe Catholico auctoritatem, ad sarta tectaque servanda Ecclesiae meae iura, humillime invocando.

Nec omittere possum, antequam ad praesentem Ecclesiae meae Metropolitananae statum exponendum accedam, recensere nonnullos sanctitate, sapientia, orthodoxae religionis zelo, aliisque eximiis virtutibus praestantissimos viros, qui, ante me, Metropolitananae Kyoviensi Ecclesiae summa cum laude praefuerunt, quique non postrema in Republica Catholica (f. 263v) merita, atque aeternum, et immortale nomen compararunt; et, ut omittam Michaellem primum, a Nicolao Chrisoberga, Patriarcha Constantinopolitano orthodoxo destinatum Russiae Antistitem, qui Vladimiro Sacris Christianis initiato integrum ferme amplissimum Russiae Imperium ad Christianam Fidem traduxit; Cyrillum III, eximium ecclesiasticae disciplinae restauratorem, Petrum, Alexium, Jonam, Cyprianum,¹⁷⁹ qui studio Orthodoxae Religionis conservandae, vitae innocentiae, et nunquam interitura praestantium virtutum fama, integrum Septemtrionem compleverunt; initium sumam ab Isidoro, ferventissimo Unionis sacrae in Florentina Synodo Promotore, Cardinalitiis Infulis ab Eugenio IV, Pontifice Maximo, exornato, et honore Legati a latere per Germaniam, Poloniam, et Russiam aucto, qui Divinam Romanae Sedis Apostolicae auctoritatem constantia animi et qua apud Vladistaum Regem¹⁸⁰ praestabat, auctoritate, et gratia nedum substinuit, verum etiam

¹⁷⁷ Caesarius Stebnovskij, Procurator Basilianorum in Urbe (1740-1744), dein Archiepiscopus Smolenscensis (1756-1762).

¹⁷⁸ Revera urbs Kiovia anno tantummodo 1240 a tartaris combusta fuit. Metropolita Kiovienses tamen in partibus septentrionalibus potius commorabantur, exceptis quibusdam casibus, tempore Regis Danielis, sub Cyrillo III (1249-1281). Maximus vero, eius Successor, residentiam suam in Volodymyr ad flumen Klazma transtulit.

¹⁷⁹ Metropolitae Kiovienses: Petrus (1308-1326), Alexius (1354-1378), Cyprianus 1390-1406),

¹⁸⁰ Vladislaus Warnencyk (1434-1444).

adeo profunde constabilivit, ut etsi Metropolitanus Russiae orthodoxis Patriarchis Constantinopolitanis (f. 264) per centum, et amplius annos subiectos se profiterentur, numquam tamen ab ea, qua erga supremam Sedem obstricti erant, obedientia desciverint, imo postquam Constantinopolitanam sedem variis in materia religionis turbinibus agitari intellexissent, plene se ab obedientia eiusdem subduxere, metuentes, ne e Graecia serpens errorum pestis propagata, veritatem patriae religionis apud Russos extingueret. Huic proximi fuere Iosephus, cognomento Soltan, et Macarius,¹⁸¹ quorum uterque sub Mesaele Metropolita¹⁸² subscripta ad Sixtum IV, Pontificem Maimum, legatione, tum irrito successive Ruthenae Ecclesiae Religione, pastorali vigilantia puritatem Orthodoxae Religionis a proxima, qua Moschovitica Ecclesia laborabat Schismatis lue immunem reddiderunt; Hipatii demum Pociei, et inmediate eius Successoris, Iosephi Velamini Rutsy¹⁸³ laudes nunquam a memoria verae posteritatis excidenthorum alter primos exorientis in Russia Schismatis impetus fortiter sustinuit, vitae; et sanguinis pro veritate catholica prodigus, quo forum Vilnensis Metropolitanæ civitatis perfudit, amissis (f. 269v) duobus digitis, quos stricto a sicario schismatico in collum gladio opposuerat; alter incredibili virtute, curis, et laboribus assiduis tanta schismatis mole oppressam, et ferme contritam Orthodoxam Ruthenam Ecclesiam erexit, ubi plusquam vities centena Schismaticorum, et Haereticorum millia Catholice aggregavit Ecclesiae. Non absimiles suis Praedecessoribus fuerunt Raphael Korsak, Antonius Sielawa, Gabriel Kolenda, Cyprianus Zochowski,¹⁸⁴ qui non modo vitae probitate, et doctrina gregi suo preluxere, verum etiam zelum in promovenda, fortitudinem in propugnanda orthodoxa religione, eximiis exemplis comprobarunt. Nec recentioribus, qui paulo ante me hanc Ecclesiam rexerunt, suae laudes denegandae; inter hos primo loco recensendus venit Leo Zalenski,¹⁸⁵ qui exoptatum a tot annis Schismatis Ruthenici in Capitibus extinguendi negotium feliciter perfecit, ubi Episcopatum Luceoriensem, Leopoliensem, et Praemisiensem cum suis Praesulibus ad Gremium Catholice Ecclesiae reduxit, quocirca a Petro I, Imperatore Moschoviae, ad necem inquisitus, in Silesia per aliquot annos exul (f. 265) delituit, et brevi vitam mortalem laboribus, aerumnis, et afflictionibus plenam, in meliorem commutavit. Hunc post aliquot annos excepit Leo Kiszka,¹⁸⁶ vir eximiae probitatis, zeli, et sapientiae, cuius cura, vita, et mores cleri recenter in partibus Volhyniae, Podoliae, Ukrainae, et Pocutiae e Schismate conversi ad sanctioris ecclesiasticae disciplinae regulas revocati. Huic successit immediatus Praedecessor meus Athanasius Szeptycki, qui mox ab exordio assumpti muneris reliquias schismatis in Podoliae, et Pocutiae finibus gliscentes extinxit, omnemque erroribus, qui e proxima Valachia eo prorubebant, aditum

¹⁸¹ Iosephus II Soltan (1507-1521); agitur tamen, ut videtur, de Iosepho Bolharynovyč (1498-1501), qui anno 1501 legationem Romam misit cum professione fidei catholice primatusque romani. Agitur etiam, probabiliter, de Macario I (1495-1497).

¹⁸² Misael, Metropolita (1475-1480).

¹⁸³ Iosephus Velamin Rutskyj (1613-1637).

¹⁸⁴ Raphael Korsak (1637-1640), Cyprianus Zochovskij (1674-1693) Cfr. volumina praecedentia *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, Romae.

¹⁸⁵ Anr. 1694-1708.

¹⁸⁶ An. 1714-1728.

interclusit; Bona mensae metropolitanae ingentibus sumptibus e manibus Saecularium vindicavit, pluraque opportuna, et necessaria ad rectum Ruthenae Ecclesiae ordinem, ut erat vir solers, et ingentis animi perfecisset, ni excitatae a Novatoribus tricae domesticae internam Russiae pacem, et tranquillitatem conturbassent, tempusque eius Regiminis una cum vita attrivissent, quam anno 1747 cum morte commutavit.

(f. 265v) Ut itaque ab Ecclesia Cathedrali exordium sumam, hic honor in civitatem *Vilnensem* a Metropolitanis Russiae translatus est, postquam Urbis *Kyoviae*, una cum Cathedrali Sanctae *Sophiae* Ecclesia in potestatem Moschorum concesserit. Haec itaque *Vilnensis* in locum Cathedralis *Kyoviensis* substituta Ecclesia, sub titulo *Assumptae in Caelum Beatissimae Virginis*, e cocto lapide extracta, anno 1748, generali Urbis incendio vastata, meo sumptu ad sexaginta millia florenorum ascendente reparata, exornata, atque in meliorem formam redacta est, paenes quam duo iugiter maneant saeculares Praesbyteri, ex redditibus mensae meae Metropolitanae provisi, qui Sacra obeunt, et Sacramenta fidelibus administrant.

In eadem Civitate *Vilnensi* tres Parochiales extant ecclesiae, duae saeculares eodem, quod supra retuli, incendio desolatae, una Sancti *Nicolai Pontificis*, quam impensis meis ad summam viginti millium florenorum ascendentibus debito splendori restitui, altera titulo *Resurrectionis Dominicae* insignita; tertia sub titulo *Sanctissimae* (f. 266) *Trinitatis* erecta, sub cura Monachorum *Basilianorum* existens, qui cum quartam Parochialem Sanctae *Praxedis* Ecclesiam, nescio quo iure, ab antiquo usurparint, atque fundis, et bonis eiusdem in suum usum conversis, omni cultu destitutam reliquerint, idcirco in mea, anno 1752 Sanctitati *Vestrae* transmissa, relatione humillimas praeces adieci, quatenus Patres *Basiliani* eandem Ecclesiam Clero meo restituere compellantur, ne omni vacua nitore, cum ingenti *Schismaticorum* scandalo, diutius squaleat; in eadem Civitate *Vilnensi* duo *Xenodochia*, satis bene provisa, et duae *Confraternitates* prooptime ordinatae reperiuntur.

In viciniis Cathedralis Ecclesiae erectum ab antiquo extat Metropolitanum Palatium, non exiguo sumptu meo e rudentibus ferme restitutum. Cuius angustiis, novis compluribus adiectis mansionibus, consului. Residet in eo meus in spiritualibus Generalis Vicarius cum reliquis Officialibus, ad iudicia Metropolitana consistorialia spectantibus. Haec iudicia ego primus in nova debita iuris forma constitui, et ordinavi, assignatis ex redditibus mensae (f. 266v) meae Metropolitanae congruis cum pro Vicario meo Generali, tum pro reliquis iudiciorum subalternis Officialibus, videlicet Iudici surrogato, Notario, Fiscali, Defensore matrimoniorum, cursoribus, quo meliori ordine, et integritate in ius venientibus, iustitia administrari possit. In eadem civitate possidet Metropolitanus complures domos lapideas, et ligneas suae iurisdictioni temporanae subiectas, quae generali, eo, de quo supra egimus, incendio partim sublatae partim vastatae sensim restituuntur, et eriguntur.

Praeter Cathedralem *Vilnensem*, extant aliae tres Cathedrales Metropolitanae nuncuptae, in Civitatibus *Minscensi*, *Novogrodensi*, et *Grodnensi* Ecclesiae, prima in Arce sita, e ligno facta sub titulo *Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae*, ad curam saecularis Cleri pertinens; altera, sub invocatione Sanctorum *Martyrum Romani, et Davidis*, e cocto lapide ab antiquo extracta, meis vero impensis ante quinquennium reparata, in qua monachi *Basiliani* Divina peragunt; tertia pariter ex cocto lapide ad

exactam recentioris architectonices normam extracta, repentino vero civitatis incendio anno (f. 267) 1753 consumpta extitit, quam tamen eodem anno, pertimescens ne fornices iniuriae aeris hyberni expositi ruinam paterentur, non modico sumptu (:laminae quippe metallicas tecto cooperiendo necessarias usque e portu Rigensi, centum viginti leucarum itinere, conducere debui:) pristinae integritati, et splendori restitutam intueri licet.

Ecclesiae inferiores Parochiales, ad Clerum saecularem pertinentes, ad mille non-gentas viginti quinque ascendunt, dividuntur in Decanatus quinquaginta tres, videlicet: *Vilnensem*, qui Ecclesias Parochiales saeculares tres, *Lidensem*, qui tredecem, *Oszmianensem*, qui viginti sex, *Dolhinoviensem*, qui viginti novem, *Miadzielensem*, qui viginti duas, *Novogrodensem*, qui triginta quinque, *Slonimensem*, qui quadraginta quinque, *Cyrynensem*, qui septemdecem, *Nesvisiensem*, qui triginta unam, *Klecensem*, qui triginta sex, *Minscensem*, qui quadraginta sex, *Blonscensem*, qui triginta quatuor, *Lohoiscensem*, qui viginti quinque, *Puchovicensem*, qui quatuordecem, *Thumenensem*, qui pariter quatuordecem, *Hluscensem*, qui novemdecem, *Bobrujscensem*, qui octodecem, *Rohaczoviensem*, qui triginta septem, (f. 267) *Homelscensem*, qui novemdecem, *Gronensem*, qui triginta tres, *Wolkowyscensem*, qui viginti octo, *Podlachiensem*, qui viginti tres, *Zytomiriensem*, qui quadraginta novem, *Kanioviensem*, qui quadraginta octo, *Pawolocensem*, qui sexaginta quatuor, *Pohrebiscensem*, qui quadraginta octo, *Tetyoviensem*, qui quinquaginta quinque, *Lubareensem*, qui quadraginta quatuor, *Fastoviensem*, qui triginta novem, *Mosznensem*, qui triginta quinque, *Smilanensem*, qui triginta tres, *Bohuslaviensem*, qui quadraginta duas, *Korsunensem*, qui quadraginta tres, *Bialocerkieviensem*, qui quadraginta unam, *Berdyczoviensem*, qui quadraginta quinque, *Czudnoviensem*, qui quadraginta septem, *Czehrynensem*, qui triginta unam, *Zywtoviensem*, qui triginta tres, *Radomisiensem*, qui triginta tres, *Owrucensem*, qui quadraginta unam, *Dymiriensem*, qui triginta septem, *Baraszoviensem*, qui viginti quatuor, *Brahinensem*, qui novemdecem, *Braclaviensem*, qui quinquaginta duas, *Komargrodensem*, qui quadraginta tres, *Raskoviensem*, qui triginta septem, *Niemiroviensem*, qui quadraginta sex, *Vinnicensem*, qui quadraginta septem, *Humanensem*, (f. 268v.) qui quinquaginta novem, *Jampoliensem*, qui triginta octo, *Krasnianensem*, qui triginta septem, *Brahiloviensem*, qui quadraginta duas, *Kalnicensem*, qui sexaginta, *Czczelnicensem*, qui triginta septem Ecclesias Parochiales saeculares complectuntur.

Ut autem recto regimini huiusmodi Ecclesiarum, et salutis numerosissimorum fidelium ad quatuor, et amplius milliones ascendentium prospicerem, integram Dioecesis Kyoviensem Metropolitanam in duas partes exdivisi, alteram in Ukraina, et Podolia sitam, triginta duos Decanatus continentem, Ill.mo, Rev.mo Domino Episcopo Chelmensi, Coadiutori meo,¹⁸⁷ administradam commisi, altera per Ducatum Lithuaniae extensa viginti unum Decanatus complectens per proprium a me institutum Generalem in spiritualibus Vicarium regitur.

Synodos Dioecesanam quotannis celebrari curo, in quibus ea omnia, quae rectum orthodoxae religionis, et morum puritatem, disciplinamque ecclesiasticam conservandam respiciunt, legibus Dioecesanis ad normam Sacrorum Canonum Sanctitatis definiuntur.

¹⁸⁷ Felicianus Wolodkovyč (1731-1758).

tur; haec vero ut suum consequantur effectum, Dioecesim meam per designatas selectas (f. 268v) personas zeli, et probitatis compertas visitare, atque ea, quae suo loco exciderint restituere non intermitto.

Monasteria *Montialium* Basilianarum intra Dioecesim meam Metropolitanam existentia, et inspectioni ordinariae subiecta numerantur sex, primum Vilnense, ad Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis, duo in Civitate Minscensi, unum ad Ecclesiam Sancti Spiritus, alterum ad Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis, quartum in Civitate Novogrodensi ad Ecclesiam Sanctorum Martyrum Romani, et Davidis, quintum in Civitate Grodnensi ad Ecclesiam Nativitatis Beatissimae Virginis Mariae, sextum in Civitate Vinnicensi, quae omnia statutis temporibus ad tenorem Constitutionum Apostolicarum per Commissarios meos visitantur.

Capitulum Sedis Metropolitanæ Abbates Rutheni perpetui, Archimandritæ nuncupati uniti, qui post Episcopos in Russia extant Praelati Ecclesiastici constituunt, atque ex suis personis, et bonis Abbatiarum immediatæ iurisdictioni Metropolitanorum Russiae subiiciuntur. Hoc ius Metropolitanis antiqua lex, praxis, et consuetudo Ecclesiae Ruthenae, Regum Privilegia, et leges Patriae indubitanter asserunt, quod modo (f. 269) primus Pater Generalis Basilianorum,¹⁸⁸ instituta coram Sanctitate Vestra actione, mihi eripere attentat. Verumtamen confido in benignitate, clementia, et iustitia Sanctitatis Vestrae, ut in latis super hac causa Decretis iurium meorum sat abunde productorum rationem habere potius dignata sit, quam ut in gratiam unius simplicis Monachi emeritam adeo in Catholica Ecclesia Metropolitanam Sedem Capitulo suo, omnique inde proveniente auxilio destitui pateretur; unde rerum ecclesiasticarum sequerentur ingens confusio, infinitis quaestionibus, et internis Russiae discordiis manifesta praeberetur occasio, cum evidenti rei catholicae iactura, Schismatis ad omnes occasiones sese dilatandi intenti lucro, et scandalo, ubi Metropolitanam auctoritatem non modo nulla nova (:quemadmodum, ad invidiam S. Unioni conciliandam, hostes Ecclesiae dicitare consueverunt:) praerogativarum accessione auctam, verum etiam vetere iurisdictione spoliata animadverterit.

Monasteria Basilianorum perquam multa intra fines Dioecesis meae Metropolitanæ sita reperiuntur, et ubique ferme curam animarum in propriis Ecclesiis (f. 269v) exercent; haec vero omnia, una cum illis, quae in Dioecesibus Suffraganeorum meorum continentur, permittente Sanctae Memoriae Urbano VIII, Pontifice Maximo, consentientibusque Suffraganeis Episcopis, a Praedecessore meo Josepho Velamino Rutschio in unum corpus, seu Congregationem monasticam anno 1617 coacta fuerunt, atque immediatæ Metropolitanorum iurisdictioni subiecta,¹⁸⁹ qui idcirco officium, et titulum Protoarchimandritæ assumpserunt, et successive usque ad tempora Cypriani Zochowscij, Metropolitanæ, gesserunt.¹⁹⁰ Hic Metropolitanus primus in Congregatione Novogrodiensi, anno 1686 celebrata, titulo, et officio Protoarchimandritæ se abdi-

¹⁸⁸ Heraclius Lisanskj (1751-1759). Dein Archiepiscopus Smolenscensis (1763-1771).

¹⁸⁹ Cfr. hac de re opus M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutschkyj instauratorum*, Romæ 1949.

¹⁹⁰ Usque ad annum 1674.

cavit,¹⁹¹ compiamque Monachis fecit, ut hi simplicem Monachum pro huiusmodi quadrenali officio eligerent, inita ibidem cum Congregatione Monastica certa conventionem, *Nexus Zochowscianus* appellata, iuxta quam interno Ordinis Regimine Protoarchimandritae relicto, solam sibi immediatam super ipsum Metropolitanus, ut nimirum integritati Monasteriorum, disciplinae regulari, innocentium indemnitati, et, quod potissimum est, securitati Orthodoxae Religionis, quantotius, ubi (f. 270) opus fuerit, providere possit; id iuris Leo Kiszka, Metropolitanus, exercuit in Maximilianum Wietrzynski, Protoarchimandritam, de haeresi Calviniana vehementer suspectum, Monasteriorum depeculatorem, publica vitae turpitudine infamem. Quem¹⁹² convocatis Chelmam Ordinis Consultoribus citatum, et convictum, ab officio Protoarchimandritali deposuit anno 1719. Hic Nexus in Capitulo Dubnensi innovatus, atque supremo Sanctitatis Vestrae comprobatus oraculo, etsi a quibusdam novatoribus diversis interpretationibus subiiciatur, nihilo tamen minus, suo ut in robore persistat, humillime Sanctitatem Vestram, Dominum Clementissimum, obsecrat una mecum integra Ruthena Ecclesia. Hac enim ratione, et omnes internae orthodoxam Russiam scindentes, atque eo ipso ad interitum perducentes discordiae facillime extinguentur, tempus praetiosum, quod in privatis Catholicorum disputationibus, et quaestionibus vanissime conteritur, in defendendis orthodoxae Religionis iuribus salubriusque insumetur, integritati Monasteriorum, indemnitati innocentium peroptime consulatur, atque periculosae licentiae operandi quidquid libet, non quod decet, aut expedit, modus apponetur, ubi praesto Metropolitanae (f. 270v) iurisdictionis fraenum aderit, quod unumquemque in officio continebit, ita ut non modo ille, qui amore virtutis, verum etiam is, qui timore paenae ducitur, bonum operetur, necesse sit; assignari iusta potest ratio, cum tantopere iudicia Metropolitana Pater Generalis exhorreat, quamdoquidem ubi se gravatum cognosceret, ad Apostolicum Sacrae Nuntiaturae Tribunal provocare, atque hac ratione innocentiae, et indemnitati suae longe facilius consulere valebit, quam unus simplex Monachus ab eo gravatus, et oppressus, quasi intra fines Ruthenae Ecclesiae non haberet, coram quo conqueri posset, aut in patientia iugum grave ferre, aut in desperationem (: quod utinam numquam contingeret :) et salutis evidens periculum prolabi cogeretur; etenim facillime ipsi omnia ad Sacram Nuntiaturam recurrendi media a Patre Generali praecludi possent, et ipse gravatus non adeo facile ad Sacram Nuntiaturam recurrere auderet, ac ad Metropolitanum, quem probe noscit eiusdem Religionis professum, Regularum, Constitutionum Ordinis, consuetudinum personarum, amicitiarum, simultatum, factionum internarum, verbo omnium circumstantiarum (f. 271) optime gnarum, lepram a lepra, ut aiunt, facillime dignoscere posse. Haec Sanctitati Vestrae, Domino Clementissimo, longo rerum cum in Monasteriis olim Ordinisque variis officiis existens, tum in Archiepiscopali Polocensi, ac denique in Metropolitana Dignitate constitutus, probatarum usu edoctus, ingenue ea, qua debeo

¹⁹¹ Revera abdicavit titulo et officio iam anno 1674, et inde Pachomius Ohilevyč in Protoarchimandritam electus fuit. Cfr. opus M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metrop. Josepho Velamin Rutzkyj instauratorum*, Romae 1949, et *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958.

¹⁹² Erat Protoarchimandrita an. 1717-1719; anno 1723 reintegratus Romae, dein denuo a postatavit, expoliatis monasteriis.

fidelitate, expono; hoc adiecto, quodsi internis Ruthenae Ecclesiae divisionibus, discordiis, et disputationibus, suppresso earum fomite (: ambitione scilicet, cupiditate et praetensa absque omni e viciniis metu operandi licentia :), congrua media non opponentur, verendum, ne ecclesiastica, et monastica disciplina paenitus collabatur easque funestas tandem Orthodoxa Russia vices subeat, quae aeterna veritas Regno in se diviso comminata est.

Titulum Abbatiae Kyovo-Peczarensis perpetuo Sedi Metropolitanae adiunctum gerunt Metropolitanus Russiae,¹⁹³ quae etsi cum potissima fundorum suorum parte ad Moschoviae iura, et regimen transierit, nonnulla tamen Bona intra fines Regni Poloniae relicta, et partim ab Antecessoribus meis, partim a me non postremo sumptu, curis, et laboribus e manibus Saecularium vindicata, una cum Bonis ad Mensam Metropolitanam (f. 271v) spectantibus summam quinquaginta millium florenorum important; ut vero eorundem integritati prospicerem, singulasque ad praecidendas controversias suis limitibus definirem, et avulsa vindicarem, iure cum vicinis egi, et adusque agere non omitto; complura adhuc funda, et bona insignia intra manus Saecularium haerent, pro quibus certa documenta partim in Archivio Metropolitanato ab antiquo delitescunt, partim cura, et impensis meis ex Publicis Archivis conquisita, ad manus habeo, iure cum usurpatoribus acturus; verum ad praesens maximis in erectiones et reparationes Ecclesiarum Cathedralium, promotionem negotiorum Sanctae Unionis apud Ministros, Jurium Metropolitanae et Polocensis Sedis in Curia Romana tuitio-nem, et vindicationem, nec non in necessarios sumptus Causarum forensium, in diversis Regni Poloniae subselliis disputatarum, expensis exinanitus, vix habeo unde indispensabilibus necessitatibus meis subveniam.

Insignes adhuc Schismatis reliquiae intra Dioecesim meam Metropolitanam supersunt, praesertim in Civitatibus *Vilnensi*, *Minscensi*, et *Slucensi*, in quibus etiam Caenobia Monachorum schismaticorum ab antiquo ... conspiciuntur; In Podlachiae quoque finibus (f. 272), inito Metropolitanae Ecclesiae regimine, ingentem Schismaticorum numerum inveni, qui tamen, Deo adiuvante, magna ex parte ad Sacram Unionem traducti sunt, ultima iam, quae superiuit, Parochiali saeculari Ecclesia, in *Poloka* sita, ante aliquot menses una cum integro Populo ad gremium Orthodoxae Religionis accedente; *Haeresis Philippiana*, e Moschovia pulsa,¹⁹⁴ inter Partes Ucrainae magno numero olim se infunderat, et novas Colonias in locis desertis fundavit, Procerum nonnullorum Latini Ritus protectione secuta, et iam ad eam temeritatem devenerat, ut etiam Pseudo Episcopos nullo caractere, sed solo vacuo nomine insignitos sibi praeficeret, quorum unus a Delegato meo in Ucraina interceptus, et carceri mancipatus, fractis carceris foribus evadens reliquis ducem se praebuit, ut eundem extra fines Regni in Valachiam fugientem, relictis gregibus, sequerentur. Gens est origine Moschovitica, et in principiis fidei rudissima, variis haeresibus, et erroribus implicata, in multas domesticas sectas, et factiones scissa, Catholicorum consortium et disputationes fugiens, et haud aegre fortassis ad Orthodoxam Religionem

¹⁹³ Unitum mensae metropolitanae Kioviensi Brevi Clementis PP. VIII, die 4. III. 1596; *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 273, nr. 156.

¹⁹⁴ Cfr. inter epistolas Metropolitanæ Leonis Kiška; vide supra, in parte secunda, sub anno 1720.

ipso metu exilii traduceretur, (272v) ni Procerum, ut supra diximus, patrocínio fulta esset, quorum gratiam opibus ex parcitate, et sobrietate victus, tum negotiatione, atque excellenti manuum opera comparatis promereri studet.

Cum autem, occupata per Schismaticos, ac tandem a Regno Poloniae avulsa Kyoviensi civitate,¹⁹⁵ cum magna bonorum, et Dioecesis Sedis Metropolitanae parte, mortuo Romae Raphale Korsak, Metropolitano Russiae,¹⁹⁶ ad vacantem dignitatem Antonius Sielawa, Archiepiscopus Polocensis, promoveretur, Archiepiscopatum antiquum, cogente Sedis Metropolitanae paupertate, de consensu Sedis Apostolicae retinuit, cuius exemplo factum, ut omnes sequentes Metropolitanus Russiae iis, quos ante tenebant Episcopatibus, durante eadem necessitate, de indulgentia Apostolicae Sedis praesse pergerent; ita et ego ad Metropolitanam Dignitatem evectus, Polocensem, cuius regimen ab anno 1716 gessi, Sedem ex speciali Sanctitatis Vestrae gratia retinui.

Hic *Polocensis* Archiepiscopatus, paulo post introductam in Partes Russiae religionem christianam, a Ducibus Polocensibus fundatus, tam succedentibus temporibus a Ducibus Lithuaniae, et Regibus (f. 273) Poloniae permultis Privilegiis, et bonis exornatus et auctus, antiquam Cathedralem Ecclesiam in Arce a Borysso, Principe Polocensi, ante annum 1200 erectam habuit, quam schismaticorum Moschorum furor innocenti quatuor catholicorum Sacerdotum in odium fidei interfectorum sanguine perfusam anno 1705 diruit.¹⁹⁷ Hanc ego a fundamentis longe ampliolem sumptu centum septuaginta millia florenorum excedente, erexi; Altaribus lapideis gypso incrustatis raro, nondum his in partibus usitato, atque una excellenti artificum a longe convocatorum opere perfectis exornare curo; Brevi, Deo iuvante, integrum opus ad finem perducturus, atque corpus mira integritate, et prodigiis conspicuum Divi Praedecessoris mei, Beati Josaphat Martyris, quod in Alba Ducali asservatur, in eadem collocaturus, ad cuius sepulchri Cappellam manent Monachi Basiliani, a Praedecessore meo Cypriano Zochowski introducti, atque eius apud amplissimos Ordines cura a Serenissima Polona Republica fundis, et bonis insignibus dotati, ea lege, ut haec bona, et funda inspectioni Archiepiscoporum Polocensium perpetuo subsint. Paenes (f. 273v) eandem Cathedralem Ecclesiam peramplam erexi Bibliothecam, quam selectissimis, non modico pretio Romae, et Venetiis comparatis libris instruxi, commodo Successorum meorum, et Cleri mei eruditioni prospiciens.

Parochiales Ecclesiae tres duntaxat superfuere in Civitate Polocensi, prima regularis sub cura Abbatis Monachorum Basilanorum, titulo Sanctorum Martyrum Romani, et Davidis insignita, trans flumen famosum Dzwina, quod civitatem praeterfluit, ab antiquo erecta; duo vero saeculares, una sub invocatione Sanctorum Cosmae, et Damiani, altera sub titulo Sancti Joannis Evangelistae, in loco Jekimanie appellato, existens; reliquae omnes in magno numero Parochiales Ecclesiae suppressae

¹⁹⁵ Inde a s. d. pace Andrusoviana an. 1667, Poloniam et Moscoviam inter inita, quae tamen anno 1687, in s. d. pace « aeterna », confirmata fuit.

¹⁹⁶ Anno 1640; cfr. *Annus et dies mortis R. Korsak*, in « *Analecta OBSM* », Ser. II, Sec. II, vol. I. pag. 145.

¹⁹⁷ Cfr. documenta s. d. excidii Polocensis, a Petro I Moscoviensi tsaro perpetrati an. 1705 inter epistolas Metropolitanae Leonis Zalenskyj (vol. III), et Leonis Kiska.

fuerunt, bonis et fundis earum ad Patres Societatis Jesu iniusta Regis Stephani donatione translatis.¹⁹⁸ Quae bona iure ab usurpatoribus vindicaturus anno 1722 ipse Romam in persona me contuli,¹⁹⁹ atque non postremis curis, laboribus et sumptibus eandem causam promovi, et adusque promovere non desisto, imo cum Patres adversarii consequutionem evidenter (f. 274) mihi suffragantis iustitiae impediunt, rumoresque Romae spargerent, Regem Serenissimum numquam permissurum, ut, pacta Praedecessoris sui Stephani donatione inita, haec Roma ad antiquos legitimos Possessores redeant, id tandem apud Regem Serenissimum effeci, ut hic mentem suam coram Sanctitate Vestra, Domino Clementissimo, declarari faceret, se aequanimiter laturum, quibuscumque tandem modis, iustitiae consentaneis, haec causa terminata fuerit; superest modo integra spes amplissimae Dioecesis meae in benignitate, clementia, et suprema iustitia Sanctitatis Vestrae collocata, a cuius successu, tot animarum idoneis Pastoribus destitutis salus dependet, honor, atque existimatio Sacrae Unionis apud Schismaticos, non postremo rei catholicae incremento, in tuto collocabitur, Schismaticorum recens formatis ad haec bona, et funda praetensionibus omnis auferetur occasio, et praetextus. Ego vero id lucri referam, ut erecto Semimario educationi debitae Cleri prospitiam, nec non per institutionem Ruthenarum Missionum, summopere necessariarum (f. 274v), Populi ruditate exculta, viam salutis ovibus meis aperiam; extat adhuc in Civitate Polocensi, eiusque viciniis ingens Schismaticorum numerus, verum desunt Operarii, qui errantibus veritatem Religionis Orthodoxae demostrent; nec sperandum has Schysmatis reliquias alia ratione extirpari posse, nisi adhibita opera proborum et doctorum Sacerdotum; etsi enim, sublata ante duos annos generali Urbis Polocensis incendio Monachorum Schysmaticorum Ecclesia adusque prohibuerim eiusdem reaedificationem, Decretis olim Vladislai IV et Joannis III, Regum Poloniae, Ecclesias Polociae Schismaticis vetantibus, innixus,²⁰⁰ non dubito attamen interposita iuxta tenorem Pactorum posterius initorum apud Regem Serenissimum auctoritate Imperatricis Moschoviae,²⁰¹ brevi Schismaticis desideratae reaedificationis copiam faciendam, sed ubi Populus ad Sacram Unionem reduceretur, ipsi praedicti Monachi Schismatici eleemosinis omnibus destituti, sponte locum deserent, quemadmodum in aliis locis contigit, in quibus non modo Schismaticorum errores, sed ipsa etiam Schymatis memoria praedicta ratione extincta est.

(f. 275) In eadem Polocensi Civitate duae Confraternitates cum duobus xenodochiis, competenter provisus, et ordinatis extant; conspicitur quoque pauperrimum, et miserrimum Monialium Basilianarum Monasteriolum, antiqua Sancti Salvatoris Ecclesia atque amplissimis fundis a Patribus Societatis Jesu spoliatum, cuius recta ad tenorem Sacrorum Canonum institutio a felici causae meae cum Patribus praedictis institutae exitu dependet.

Archiepiscopatu Polocensi ab antiquo uniti, et subordinati sunt Vitebscensis, propriam Cathedram habet, amplitudine, et forma Ecclesiae Sancti Caroli in Alma

¹⁹⁸ Stephanus Bathory, Rex Poloniae (1575-1586).

¹⁹⁹ Non anno 1722, sed anno 1727.

²⁰⁰ Reges Poloniae: Vladislaus IV (1632-1648), Joannes III Sobieski (1674-1696).

²⁰¹ Agitur, ut videtur, de Elisabeth (1741-1762).

Urbe existenti consimilem, sed nondum terminatam, in qua Monachi Basiliani Sacra peragunt; extat pariter Monasterium Monialium Basilianarum paenes lapideam Ecclesiam Sancti Spiritus, in fundo episcopali erectum; Parochiales Ecclesiae partim lapideae, partim lignae, sacra suppellectili abunde instructae, decem cum suis Confraternitatibus, et Xenodochiis respectivis numerantur; Civitas est opulenta, pietati dedita, numerum ingentem Populi alit, reliquis omnibus aliis in (f. 275v) Alba Russia felicior, quod nullum Schismaticorum patiat; Hic est nimirum fructus innocentis sanguinis Divi Praedecessoris mei Josaphat; qui in hac Civitate in testimonium Catholicae Veritatis vita deposita perfectam ex Schismate victoriam retulit.

Episcopatus *Mscislavienis, et Orsanensis*, nec Cathedrales Ecclesias, nec ulla bona possident, quorum iam et memoria, si aliquando extabant, extincta est. Habent tamen suas respective Dioeceses, et duo Monialium Monasteriola, unum in Civitate Orsensi, aliud in loco quodam *Mozolowszczyzna* appellato erectum; Personae in iis residentes emendicato pane, et Piorum eleemosinis, sine canonica regularis disciplinae observantia, vivere coguntur. At ubi causa mea cum Patribus Societatis Jesu Polocensibus feliciter terminata fuerit, habeo in votis unum, sed bene ordinatum Polociae instituere caenobium, in quod Moniales ex his etiam Monasteriis transferentur, exactam canonicae disciplinae normam servaturae.

Mohiloviensem tandem Episcopatum possidet Pseudo Episcopus schismaticus, Cathedram habet in civitate Mohiloviae, populosa, opulenta, sed a solis Schismaticis, (f. 276) et Haereticis habitata, modicis exceptis, qui Orthodoxam Religionem profitentur; Hic Episcopatus iure optimo toties deducto, et Decretis Serenissimi Regis, Sigismundi III approbato, ad Archiepiscopatum Polocensem spectat, sed per vim a Schismaticis usurpatus Imperij Moschovitici auctoritate paenes Usurpatorem remanet cum enim post obitum Hieronymi Wolczansky, schismatici Praesulis, quae illi anno 1754 contigit, evidentia iura mea coram Ministris Reipublicae deduxissem, et in eorumdem praesidium auctoritatem Sedis Apostolicae, atque eiusdem Ill.mi Nuntii officia apud Regem Serenissimum implorasem, adfulserat optima spes votis meis, postquam a nonnullis Ministris certior redditus essem, Regem Serenissimum nequaquam permissurum, ut in locum Wolczanscij novus Successor institueretur; verum, elapsis aliquot mensibus, ad repetitas Aulae Petroburgicae instantias, nulla ratione iurium Sanctae Unionis habita, quidam schismaticus Monachus, cognomento *Kunicki*, obtento Privilegio, Pseudo Episcopus inauguratus,²⁰² eadem forti Moschorum manu stipatus occupavit; Pars Dioecesis Mohiloviensis unita est, et haec in dies nova Ecclesiarum (f. 276v) accessione augetur, verum ad ipsam Mohiloviensem civitatem nullus Sacrae Unioni accessus patet.

Quantum respicit Dioeceses, in universum ad Archiepiscopalem Polocensem Sedem spectantes, haec in viginti septem Decanatus divisae sunt, videlicet: *Polocensem*, qui Ecclesias Parochiales saeculares viginti quinque, *Vitebscensem*, qui sexdecem, *Mscislaviensem*, qui viginti duas, *Dombroviensem*, qui tredecem, *Sieviezensem*, qui viginti duas, *Bielicensem*, qui octodecem, *Osviejensem*, qui sedecem, *Czerejensem*

²⁰² Georgius Konyskyj, Rector Academiae Kioviensis, nominatus Episcopus Albae Russiae ab anno 1755; ab anno 1768 titulum assumpsit: Mscislaviensis, Orsanensis et Mohiloviensis.

qui septem decem, *Bychoviensem*, qui viginti unam, *Horecensem*, qui viginti unam, *Smolanensem*, qui viginti quinque, *Ciocierzynensem*, qui novem decem, *Toloczynensem*, qui viginti, *Holubicensem*, qui viginti duas, *Boryssowiensem*, qui septem decem, *Wielizensem*, qui octodecem, *Wielasckoviensem*, qui septemdecem, *Mikulinensem*, qui viginti, *Braslaviensem*, dui duodecem, *Bieszekoviensem*, qui viginti tres, *Holowczynensem*, qui viginti, *Leplensem*, qui quatuordecem, *Zapolanensem*, qui viginti sex, *Zasozensem*, qui triginta, *Horodecensem*, qui septem decem, *Czaszicensem*, qui octodecem, *Bobynicensem* tandem, qui septemdecem Parochiales saeculares Ecclesias complectuntur. Harum Ecclesiarum (f. 277) pars non postrema, ad numerum centum viginti ascendens, benedicente Domino, cuius et laboribus meis ad Sacram Unionem, cum Populo integro transiit, *quarum rehabilitationem*, invocato in praesidium suum Aulae Petroburgicae ministerio, fortiter urget apud Senerissimum Regem schismaticus Mohiloviensis Episcopus, querelas, et iniustas accusationes struit, imo et vim adhibere interdum non veretur, quemadmodum ante biennium faceret, invadendo manu forti duas Unitorum ecclesias, plura etiam et funestiora attentasset, nisi in Comitibus Regni Varsaviensibus, anno 1754 celebratis, furori, et temeritati eius obicem opposuissem, et ea tota, qua polleo, Metropolitana auctoritate, Regum Privilegiis, Legibusque Patriae firmata, illi obstitissem; ex quo Sanctitas Vestra colligere dignabitur, quam sit res necessaria, ut praerogativae, et dignitas Metropolitana, nec non stricta Ecclesiasticorum omnium subordinatio eius iurisdictioni indispensabiliter concurrant, ad propugnanda iura religionis orthodoxae, quae nisi manuteneantur in suo antiquo robore, nihil praesidii in legibus patriae Metropolitanus habebit, si harum (f. 277v) effectus decretis Romanis antiquam Metropolitanam iurisdictionem infirmantibus praepeditus fuerit. Quid tandem amplius pertimescent schismatici? si metropolitanae auctoritatis iura attrita videbunt, quae illa illis (: accurrentibus ad nutum Metropolitanis singulis in obsequium vocatis, et non modo virtutis amore, sed etiam metu paenae rem quam strenue exequentibus:) terrorem incutit.

De statu Bonorum Mensae Archiepiscopalis Polocensis prolixè in praeterita mea anni 1752 conscripta informatione Sanctitati Vestrae retuli, quomodo nimirum bello Svetio atque una Moscovitico miserum in modum vastata, partim etiam occupata ab usurpatoribus inveni, postea tamen institutis actionibus cum usurpatoribus, avulsa vindicavi, desolata ad optimum statum, adhibitis debitis oeconomicae regulis, reduxi, singula propriis limitibus definivi, ita, ut vix aliqua amplius controversiae cum Vicinis excitandae ratio adveniri posset. Remanere sola, et maxima controversia cum Patribus Societatis Jesu Polocensibus, quam ut Sanctitas Vestra, Dominus Clementissimus, tandem supremo suo oraculo definire, atque hac ratione, praementibus indispensabilibus Dioecesis meae necessitatibus, subvenire dignetur perquam humillime clementiam Beatitudinis Vestrae una cum grege meo imploro.

Circa finem tandem praesentis meae Relationis expono Sanctitati Vestrae, Domino Clementissimo, gravissimas iniurias, quas non modo meae, et Suffraganeorum meorum iurisdictioni, integritati Ruthenae Ecclesiae, verum etiam Orthodoxae Ruthenorum Religionis afferunt Reverendi latini Parochi, ad Ritus Latinum Populum Ritus Graeci traducentes, quo facto, et sic privata auctoritate contra expressam Decretorum Sanctae Romanae Sedis, sub paena invaliditatis actus, prohibitionem, tractatis fidelibus, illicite Sacramenta administrant, Matrimoniis alienorum subditorum prae-

bendo assistentiam, publicorum innumerorum ex iniusta sponsorum cohabitatione orientium peccatorum reatu se involvunt, et quod potissimum est, Schismaticorum odium erga Sedem Apostolicam augent, iniuste opinantium, haec omnia ac si approbante aut saltem consentiente, et connivente Romano Pontifice in plenam Ritus Graeci, continuo quaerelas afferentis, et nihil obtinentis, (f. 278v) cum tempore extinctionem Reverendos latinos parochos attentare. His itaque omnibus inconvenientiis, manifestis Ruthenae Ecclesiae iniuriis, et bono etiam apud hostes Ecclesiae perquam necessariae Orthodoxae Religionis existimationi quatenus Sanctitas Vestra, Dominus Clementissimus, uti communis Graecorum, et Latinorum Pater, suprema sua providentia consulere dignetur, olim iam allatas una cum Coepiscopis meis preces instantissime offero, et paternam apostolicam cum mihi, tum gregi meo, atque integrae Orthodoxae Ruthenae Ecclesiae, meo ex benignitate Sanctitatis Vestrae, Domini Clementissimi, regimini commissae, benedictionem suppliciter imploro.

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocens. (mpp).

52.

Polock, 26 . I . 1757.

Instrumentum benedictionis P. Ignatii Ulinskyj in Archimadritam Dorohobuscensem.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 78, f. 455rv.

Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo, die vigesima sexta mensis Januarii iuxta vetus Calendarium, in Strunie.

Emanatum est Instrumentum Benedictionis Rev.mi Ulinski²⁰³ pro Abbacia Dorohobuzensi de tenore sequenti.

Florianus Hrebnycki, Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Kijoviensis, Halicensis et totius Russiae Metropolitanus, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Witebscensis, Mscislaviensis, Orsensis, et Mohiloviensis, Abbas Kijovo-Peczarensis, Solii Pontifici, Assistens.

Universis et singulis, quorum interest, praesentes Literas Nostras lecturis, visuris aut audituris, praecipue vero Perillustri, Rev.mo in Cristo Patri Heraclio Lisanski, Congregationis Ruthenorum Ordinis S. Basilii M. Generali, salutem in Domino.

Noverit Rev.ma Paternitas Vestra, quia Nos ad Abbatiam Dorohobuscensem, post fata Rev.mi Marci Czapllic, illius ultimi et immediati Abbatis et Possessoris,²⁰⁴ vacantem Rev.mum in Christo Patrem Ignatium Ulinski, Ordinis S. Basilii M. Professum Presbyterum, a Celsissimo Principe Stanislao Lubomirski, Vice-Dapifero Regni Poloniae, utpote praefatae Abbatiae legitimo Patrono et Collatore, nobis praesentatum, in Ecclesia nostra Polocensi, servatis de iure servandis, ac praemissa per ipsum, iuxta praescriptum Sacrorum Canonum et Pontificalis, Fidei Catholicae professione, tum iuramento de eadem fide tenenda et observanda, ac quod Summis Pontificibus Romanis

²⁰³ Ignatius Ulinskyj, Archimandrita Dorohobuscensis (1755-1770).

²⁰⁴ Marcus Czapllic, Archimandrita (1748-1755).

Nobisque et Successoribus nostris legitimis veram obedientiam perpetuo servaturus, nec Bona dictae Abbatiae infeudaturus, imo pro posse alienata recuperaturus sit, in Abbatem Dorohobuzensem benediximus, baculum pastoralem ipsi tradendo, Infulam capiti eius imponendo, anulum digito eius subarrhando, et pectus Cruce decorando, eundem ad praefatam Abbatiam Dorohobuzensem instituimus, et per positionem in faldistorio intronisavimus. Quapropter Rev.mam Paternitatem Vestram tenore praesentium requirimus, quatenus sive per se, sive per alium bene sibi visum, ad Monasterium Dorohobuzense condescendat, dictum Rev.mum Ulinski autoritate nostra Metropolitana (f. 455v) in Abbatem Dorohobuzensem installet ed instituat, eundemque in actualem, realem, et corporalem dictae Abbatiae, omniumque Bonorum possessionem introducat, et intromittat, omnibusque ad eandem Abbatiam Subditis spectantibus, quatenus eidem debitam subiectionem et obedientiam sub poenis corporalibus praestent, iniungat praecipiat et demandet. Omniaque a se ibidem acta ad Nos Curiam que nostram transmittat. In quorum fidem literas nostras praesentes sigillo munitas manus nostrae subscriptione firmavimus.

Dabantur ad Cathedram nostram Polocensem, ut supra.

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis. - Locus Sigilli. - Michael L. Sledkiewicz, Publicus S. Autoritate Apostolica Notarius, Curiae Metropolitanae totius Russiae et Archiepiscopalis Polocensis Cancellarius (mpria).

Ex Actis Curiae Archiepiscopalis Metropolitanae totius Russiae extractum, et sigillo Excell.mi, Ill.mi ac Rev.mi Domini, D. Floriani Hrebnicki, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Metropolitae Kiioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Archiepiscopi Polocensis, Episcopi Vitebscensis, Mjscislavien, Orsensis, et Mohilovien., Abbatis Kijovo-Pieczarensis, Solii Pontificii Assistentis communicatum.

MICHAEL L. SLEDKIEWICZ, Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius, Curiae Metropolitanae totius Russiae, et Archiepiscopalis Polocensis Cancellarius.

53.

Strunie, 25 . II . 1757.

Gratias agit de accepta littera et omnibus gratiis sibi concessis.

APF, *Scrith. rif. n. Congregazioni generali, vol. 776. fol. 168.*

Excellentissime Ill.me et R.ndissime Domine.

Domine el Patrone Colendissime.

Humanissimas Excellentiae Vestrae literas, die septima Febr. anno praesenti ad me prescriptas, debita, qua par est, reverentia excepi, et quos iugiter filialis devotio- nis et observantiae erga Sanctam Apostolicam Sedem sensus gero, eosdem palam facere potissimam honoris mei partem esse duco. Cuncta nimirum me recentí, eaque firma memoria tenere, quaecunque a praelaudata Sede, eiusque Ministris cum circa assumptam Metropolitanam dignitatem, tum etiam sequentibus temporibus in mandatis accepi; nec unquam in vacantibus Vladimiriensis Sedis circumstantiis patiar aliquid ²⁰⁵

²⁰⁵ Post obitum Theophili Godebskyj (1720-1756). Ad hanc Sedem praetendebat Episcopus Chelmensis et Coadiutor Metropolitae Felicianus Wolodkovyjč, quam et obtinuit anno 1758.

fieri, quod iisdem Sanctae Apostolicae Sedis imperatis ad amussim non respondeat. Ad haec vera animi nostri proposita accedit sincerus debitaе observantiae et venerationis sensus, quo ad omnes nutus esse percipio.

Excellentissimae, Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae
obsequentissimus et humillimus Servus

FLOR. HREBNICKI, Metrop. tot. Russiae, Archiepiscopus Polocen. (mpr)
Die 25 Februarii 1757, in Strunie.

54.

Strunie, 30. IV. 1757.

Deputatio Archiepiscopi Smolenscensis aliorumque ad conficiendum Inventarium spoliū episcopi Volodimiriensis, nuper defuncti, et recuperanda bona abstracta.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. Add. 11, fol. n. n.

Metropolita Russiae deputavit Archiepiscopum Smolocensem, et Abbatem Polocensem, ut in Vladimiriensi Dioecesi Inventaria conficiant, distracta mobilia recuperent calculum exigant, Capitulum reintegrent, ac Seminarium visitent. 30 Aprilis 1757.

Caesarius Stebnowski, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Smolenscen. et Severien. Abbas Onufrien. - Antonius Mlodowski, Abbas Polocen. Ordinis S. Basilii M., Vicarius in Spiritualibus et Officialis Metropolitanus per Lithuaniam Generalis. - Ill.mo et Rev.mo Domino Feliciano Wolodkowicz, Coadiutori Metropolitanano cum successione, Episcopo Chelmen. et Belzen., Nominato Vladimiri. et Bresten., Abbati Dermanen. Dubnen. et S. Crucis. - Ill.mo et Rev.mo Domino Georgio Bulhak, Episcopo Pinscen. et Abbati Turovien., Supraslien. VV. Capitulis Ecclesiarum Cathedralium Vladimiri. et Bresten.-Rectori Seminarii Diocesani.-AA.RR. Decanis, RR. Parochis, Ecclesiarum vacantium Administratoribus, et universo Clero Diocesum Vladimiri. et Bresten. Oeconomis, Tenutoribus, et quocunque titulo Bonorum tam Mensae episcopalis, quam etiam Capituli Vladimiri. Possessoribus et Administris, omnibusque et singulis tam spiritualis quam saecularis status interesse ad infra scripta habentibus.

Significamus emanatas fuisse ex Curia Excell.mi Ill.mi et Rev.mi Domini Floriani Hrebnicki, Metropolitanae Kijoviensis, Halicien. et totius Russiae literas ad nos directas de tenore seuenti:-...

Florianus Hrebnicki, Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Metropolita Kijovien., Halicien. et totius Russiae, Archiepiscopus Polocen., Episcopus Vitebscen., Mscislavien, Orsanen., Mohilovien, Abbas Kijovo-Peczaren., Solijque Pontificii Assistens. - Ill.mo, Rev.mo Domino Caesario Stebnowski, Archiepiscopo Smolenscen. et Severien., Abbati Onufrien.-Perillustri Rev.mo Domino Antonino Mlodowski, Abbati Polocen. Ordinis S. Basilii M., Vicario in Spitalibus et Officiali nostro Metropolitanano per Lithuaniam.

Indeffessa eaque eximia (f. 183v) Eminentissimorum, Revendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum cura, et sollicitudo, literis Emmin.mi Principis eiusdem Sacri Senatus Praefecti, anno proxime elapso, VI Idus Decembris ad nos transmissis, expressa, vehementer animum nostrum

permovit, ut cum praesentitum futuro vacantis Suffraganae nostrae Episcopalis Vladimiriensis. Sedis bono, pro viribus nostris et eo, quo fungimur Metropolitano munere prospicerem, quarum quidem literarum tenor est sequens. — Ill. mae et Rev. me Domine. De Ecclesia Vladimiriensis. pro munere nostro solliciti, facere non possumus, quin tibi amplissime Praesul, nonnulla proponamus, quae curam, et diligentiam tuam imprimis postulant, ut debita illis remedia mature adhibeas. Igitur, ante omnia indicem exigere debes fidelem, atque integrum Bonorum omnium mobilium, quae ad haereditatem spectant defuncti Episcopi, e quibus ea praecipies caute venundari, quae superflua, vel inutilia cognosces ad usum Successoris, habita ratione suae dignitatis. Pretium autem inde redigendum, vide, quaeso, ne distrahatur, sed totum accrescat conspicuis summis a demortuo Antistite relictis, quod illi Deus culpae non imputet. Pecunia vero omnis, quam primum fieri potest, in annuos redditus convertatur legitima emptione, unde fundus habeatur ad Cathedralis Ecclesiae sarta tecta curanda, et ad Cleri studia promovenda. Sed quoniam defunctus Episcopus praedia quaedam promiscue possidebat, quae ex pii Testatoris voluntate ad Capitulum pertinent eiusdem Cathedralis, necesse est, ut in actu institutionis futuri Antistitis praedia illa secernantur a Mensa Episcopali, ut in eorum possessionem reapse inducantur Canonice probatissimi qui ea fideliter administrant, atque onera a Testatore imposita adimplere non (f. 184) praetermittant. Ultimun est, idque praecipuum, ut Episcopum instituendum serio moneas, et, si opus est, tuis etiam Decretis compellas, ne Seminarium Clericorum in ea Urbe iam erectum per Metropolitanam Leonem Kiszka minus curet, quam bonum Pastorem decet, sed contra, eius regimini studiose inviliget detque operam, ut sors vindicetur, quae pro Alumnis, praefixo per fundatorem numero, sustendendis legata fuerat. Habes, Ill. me Domine, quae supremus de Propaganda Fide Magistratus tibi potissimum innuenda existimavit, sperans futurum, ut tua prudentia, et ardentissimo in rem christianam zelo non modo ea omnia in opus provocari satagas, sed plus etiam efficias, quam literis hisce nostris contineatur. Nos vero te hortamur atque in Deo Domino enixe rogamus, ne graveris Sacram Congregationem certiolem reddere de tua in hoc negotio praestata opera, ut bene factis tecum congaudeat, et si quae ulterius suo indigent consilio, tibi rescribat. Ad me quod attinet, fausta tibi omnia precor, et manus ex corde deoscular. — Romae VI Idus Decembris MDCCLVI. Dominationis Tuae Ill. mae addictissimus Servitor, J. Card. S. pinelli. — Domino Metropolitanae totius Russiae, Archiepiscopo Polocen. — Polociam —. Nos itaque studia nostra in id conferre cupientes, ut commissi nobis officii partes exacte impleantur, cum ob adversam valetudinem insignem et loci distantiam eo nos in persona conferre nequaquam valeamus, Ill. mas, Perillustres Dominationes Vestras (: de quorum fide, integritate, et prudentia plurimum in Domino confidimus:) in Commissarios, ad effectum praedictum, assignandas, et quantum opus est etiam sub (f. 184v) delegandas esse duximus, prout assignamus, et subdelegamus, ut supra, in Dei nomine, per praesentes; requirendo, quatenus ad Cathedralam Vladimiriensem. descendentes, praemissis de iure praemittendis, fundata Commissionali iurisdictione vestra, nos actualem et immediatum Episcopatum Vladimiriensem. et Brestensem., quoadusque ad nominationem Serenissimi Regis, Domini Clementissimi, actualis Episcopus institus non fuerit, in spiritualibus et temporalibus, sede vacante, Administratorem esse, et fore promulgetis, Vicarium Generalem in spiritualibus sibi bene visum bonoque Dioecesis promovendo idoneum, Oe-

conomum in temporalibus nomine et vice nostra institutis; Proventus ex bonis mensae Episcopalis, et alios cuiuscunque generis, ab obitu pie functi Episcopi Vladimirien. et Bresten. ad diem fundatae a vobis iurisdictionis computandos, a Tenutoribus, Interceptoribus, et quocunque titulo Administrantibus exigatis; Seminarium Dioecesanum Vladimirien. ad praescriptum Sacrorum Canonum visitetis, de statu Bonorum eiusdem Seminarii, regimine iterno, et profectu Alumnorum, examen strictum expediatis; Regestra expensarum et perceptarum pecuniarum calculetis, caeteraque omnia quae ad rite expediendam Canonicam Visitationem spectant, ad effectum deducatis. Tum auctoritate nostra Metropolitana, et, quatenus opus est, etiam a S. Apostolica Sede ut praemissum est, delegata, Ill. mos Rev. mos Dominos Felicianum Wolodkowicz, Coadiutorem nostrum Metropolitanum successione, Chelmen et Belzen., Nominatum Vladimirien., Georgium Bulhak, Pinscen. et Turovien. Episcopos, omnesque alios, et singulos Bona Mobilia per obitum pie functi ill. mi Teophili (f. 135) Godebski, Protothronii Sedis nostrae Metropolitanae, Vladimirien. et Bresten. Episcopi derelicta primo occupantes et citetis, eosdemque coram vostro Iudicio comparere, inventaria sub nexu iurament distrahentes conficere, resque ad tenorem eorundem inventariorum ad Iudicium vestrum comparere faciatis, et demandetis, contumaces et refractarios censuris etiam ecclesiasticis (: salva ad nos Curiamque nostram Metropolitanam appellatione:) compellatis. Caeteraque omnia, quae Juris et Justitiae erunt, praecipue vero, quae in praelaudatis S. Congregationis de propaganda Fide literis continentur, perficiatis. Ad quorum effectum, plenam Dominationibus Vestris facultatem, auctoritate nostra Metropolitana, et respective etiam a S. Apostolica Sede delegata impertimur. Datum in Residentia nostra Strunien. Die trigesima Aprilis iuxta vetus, Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo.

Florianus, Metropolita Archiepiscopus Polocen. (L. S.)

Michael L. Sledkiewicz, Publicus Sacra Auctoritate Apostolica Notarius, Curiae Metropolitanae totius Russiae et Archiepiscopalis Polocen. Cancellarius /mp/.

Quas quidem impositae nobis, ut praemissum est, Commissionis literas debita, quae par est, reverentia susceptas executioniemandari statuentes, omnibus et singulis supra expressis notum facimus, nos pro die nona mensis Septembris iuxta vetus Anni praesentis Millesimi septingentesimi quinquagesimi septimi ad Cathedraliam Vladimirien. descensuros, ibidemque iurisdictionem nostram Metropolitanam, tum etiam, quatenus opus fuerit (f. 185v), Apostolica auctoritate hac in parte nobis communicata, praemissis de iure praemittendis, fundaturos, atque ea omnia, quae commissi nobis muneris ratio exiget, peracturos; quae propter omnes et singulos vos supra expressos requirimus, et respective mandamus, quatenus pro dicto die et termino ad Cathedraliam Vladimirien. comparetis. Volumus autem, et districte praecipimus, quatenus per aliquem legitimum executorem praesentium literarum nostrarum copiae supra recensitis Ill. mis et Rev. mit Episcopis intimentur, nec non ad valvas Ecclesiarum Cathedralium Vladimirien. et Bresten. affigantur, ut caeteris omnibus, interesse ad supra scripta habentibus, innotescant. Datum in solita nostra Abbatiali Onuphriensi Residentia, die decima quarta Maii iuxta vetus, Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo. Caesarius Stebnowski, Archiepiscopus Smolenscen., Severien., Abbas Onuphrien. (mpr)

— Antoninus Mlodowski, Abbas Polocensis Ordinis S. Basilii M., Vicarius in spiritualibus et Officialis M. t. R. — L. S. —

55.

*Polock, 28 . VI . 1757.**De Causa bonorum Polocensium.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 776, f. 183-185v.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. Add. 11, fol. n. n.

Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine Colendissime.

Quae de molesta cum Polocensibus Societatis Jesu Patribus controversia tandem apud me statui, quaeque idcirco a Sede Apostolica sollicitus hodie flagito, Eminentia Vestra faciliter intelliget ex adnexis literis meis, quibus ut Supremus Ecclesiae Pastor, pro sua erga Unitorum gregem pietate, clementer annuat, validissimum Eminentiae Vestrae imploro patrocinium; huiusque presidio afflictis Ruthenorum rebus consuli posse vel exinde mihi polliceor, quod summam Eminentiae Vestrae erga opressos charitatem, ipsiusque singularem iuris quoque Polonici notionem huic Regno compertam esse satis intelligam.²⁰⁶

Quod superest, Deum O. M. ardentem exoro, ut Vestram Eminentiam ad catholicae rei felicitatem diu servet incolumem, mihi que tribuat vires ad factis probandum, qua voluntate cunctis Eminentiae Vestrae obtemperare imperiis cupiam, quoque cultu constanter vivam.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae obsequentissimus et humillimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae,
 Archiepiscopus Polocensis.

Polociae, 28 Junii 1757.

56.

*Polock, 28. VII. 1757.**Iterum explicat causam transitus Ruthenorum ad Ritus Latinum petitque decisionem Sedis Apostolicae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 455-456.

Emin.mi et Rev.mi Domini, Patroni Col.mi.

Quae ex Ruthenorum insolenti ad Latinos Ritus transitu profluant mala, quantumque haec in dies excrescant, poterit Sacra Eminentiarum Vestrarum Congregatio faciliter conicere ex literis, informationibus, supplicationibusque nostris, quas ab anno 1753 frequenter sibi exhibitas solito percurri oculo demandare non dedignabitur, quin indigeat, ut iterata earundem recitatione Patres Emin.mos molestem. Quamvis autem, super tantae molis negotio, nulla hucusque Russia obtinuerit resolutionem, nemo tamen nostrum ignorat studia, quibus Apostolica Sedes Graecorum Ritus sua in puritate foveat, nec quemquam de Graeco ad Latinum Ritus cogere, aut traducere properet.

²⁰⁶ Agitur fortasse de praecedenti Nuntio Poloniae Alberico Archinto (1746-1754).

Id enim ex iis potissimum, quae sedens Romanus Pontifex veluti Graecorum aequae ac Latinorum Pater in suis constitutionibus observandum saepius praeceperat, satis superque universo constat Orbi. Nobisque praetera incundissimum sit, supremo EE. VV. Magistratui omne studium a Sua Sanctitate demandatum esse, ut Catholici Ruthenorum Ritus in primaeva constabulantur integritate, quemadmodum a Sacra Congregatione Concilii sub finem anni proxime elapsi me fuisse praemonitum reminiscor. Dolendum tamen et maxime dolendum mihi est, huiusce negotii tractationem sola Regiae responsionis expectatione retardari, vel uti humanissimis EE. VV. de 26 ultimo praeteriti Febr. literis edoceor; quibus cum deinde suadear, ut ad Regiam Maiestatem hac super re confugiam, animo libenti eiusmodi provinciam suscipio, atque curam ipsius Comprovincialium meorum probatissimo delegare neutiquam praetermisi, qui proximi Octobris initio Vasarviam se conferet, ubi tota curaturus vi, ne Rex (f. 455v) piissimus diutius pergat Apostolicae Sedis arctare oracula, vix praevidentur posse optatum consequi finem, nisi ab hac S. Congregatione, cui Graeci Ritus integritatem cordi esse non ambigo, opportunae integri negotii huius notiones suppetantur Apostolico hisce in oris Legato,²⁰⁷ simulque eidem praecipiat, ut meas partes apud Regem implenti benignas praebat aures, sana porrecturus ipsi consilia, auxiliaque, ac demum intellecto rationum nostrarum pondere, perspectaque optimae causae iustitia, Principem ipsum nostris inclinari votis egregie satagat. Haec sunt, quae in meorum extremitate dierum fortassis ultimo ab EE. VV. flagito, admodum pertimescens, ne vel Catholicum Rutenae Ecclesiae Ritus amplius a Poloniae Ecclesiasticis oppugnari, effrenatoque ad Ritus Latinum transitu extingui permittere videar, aut EE. VV. certiores reddere negligam de non amplius habenda spe reducendi ad Christi Ovile ullam Schismaticorum portionem, qui interitus nostri exemplo vehementer perculti, magis magisque Unionem S. omni tempore detrectabunt, qua interdum ad Graeci Ritus eversionem nihil esse aptius ubique pleno debachantur ore, nedum iis innixi Praedecessorum suorum exemplis ac principiis, quae sa. me. Paulus PP. V. in celeberrima constitutione, cuius initium: « Solet circumspecta Romani Pontificis providentia », edita sub die 10 Decembris 1615, validissime confutavit, verum etiam eo permoti sistemate, quo Valachorum Princeps, de Caroli VI Imperatoris tempore,²⁰⁸ catholicae unitati adglutinari cupiens, hanc adiecisse legem commemoratur, ne Clero in Valachiae Ducatu versari licuisset ac denique plurimum confirmati ipsa Petri²⁰⁹ opinione, qua Unionem Sanctam eo sub obtutu semper refugiebat, quo ponderatis Ruthenorum (f. 456) angustiis maxime pertimuerat, ne Ritus Latini Ecclesiasticis permissio in Moschoviae Dominia ingressu, Graecus ibidem collaberetur Ritus. Ad extremum, cum optimae matris, unius scilicet Ecclesiae veri simus filii, nec pro Sedis Apostolicae dignitate primatuque, maiorum nostrorum exemplo, sanguinem fundere ullatenus reformidemus, cumque nobis non postremam Orientalis Ecclesiae partem constituentibus, de Regno Poloniae cum ritu sublatis, nullus in Orbe angulus esset,

²⁰⁷ Agitur de Nuntio Varsaviensi pro tempore, Nicolao Serra (1754-1760).

²⁰⁸ Carolus VI, Imperator S. Ramani Imperii (1711-1740).

²⁰⁹ Dux vel Imperator Moscoviae an. 1682-1725.

ubi vel Catholica Graecae Ecclesiae portio honorifice defixa conspiceretur, aut summo Pontificiae auctoritatis oraculo libere moderari permetteretur, eam proinde in spem erigor, ut insignis EE. VV. zelus, quo ultra centum annos Ruthenorum Ecclesia gubernatur, et ubique tutatur, efficacia tandem provideat media, quorum vel sola retardatione plurimum imminueretur, aut ipsa eorundem negatione penitus in Poloniae Regno extingueretur catholicus Ruthenorum Ritus, pro cuius integritate paternam EE. VV. sollicitudinem ardentem implorans, Gentis meae, meique observantiam ex animo despondeo, maneoque

Eminentiarum Vestrarum devotissimus et humillimus Servus

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita tot. Russiae,
Archiepiscopus Polocens. (m. pr.)

Polociae, 28 Julii 1757.

57.

Strunie, 7 . X . 1757.

Iustificat suum modum agendi versus Protoarchimandritam Basilianorum in convocando Congressu Hierarchico.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 776, f. 343rv.

Illustrissime, Exellentissime, Rndissime Domine, Domine, Patrone Observandissime.

Non absque ingenti admiratione ex literis Exellentiae Vestrae certior fio, Patrem Proto-Archimandritam Basilianum²¹⁰ querelas suas contra me exposuisse, quod eum ad celebrandum proxime Vladimiriæ indictum Hierarchicum Conventum minime vocaverim, non enim dubitare queo, satis superque illi constare, nullam adesse constitutionem, quae ius interveniendi huiusmodi Congressibus Proto Archimandritae tribueret, aut mihi potestatem adimeret convocandi Abbates, qui circa suam institutionem antiqua immemorabili, nunquam a Sancta Apostolica Sede reprobata praxi, iuramenti vinculo obstringuntur comparendi, ubi a suo Metropolitanano vocati fuerint. Quodve ante quadriennium Patrem Proto-Archimandritam Vilnam vocaverim, id non iuri, aut consuetudini ulli, sed duntaxat meae erga illum benevolentiae tribui, nec tamen credo eum oblitum, quam eius praesentiam Episcopi Comprovinciales mei aegre tulerint? quot disputationes et controversiae ex hac novitate ortae fuerint? tempusque inarriter altercationibus consumptum, cum modico, aut nullo ferme Reipublicae fructu, adeo ut et me illum vocasse, et ipsummet ibi comparuisse poenituerit, quemodmodum publice coram me (f. 343v) aliisque Episcopis praefatus Pater Proto-Archimandrita affirmare non dubitavit. Ex quibus facile Excellentia Vestra colliget, quam incompetenter, nullo scilicet praetensionibus suis suffragante iure, privilegio aut consuetudine Pater Proto-Archimandrita conqueratur. Maneat illi intacta interni in Basiliiana Congregatione servandi ordinis cura; ad negotia porro Hierarchica inge-

²¹⁰ Heraclius Lisanskyj (1751-1759), dein Archiepiscopus Smolenscensis (1763-1771).

rere se non praesumat, quae uti sunt altioris ordinis, ita ad Patrem Proto-Archimandritam minime spectare facile dignoscuntur. His expositis, gratiae Excellentiae Vestrae enixe me commendo, atque debita observantia et veneratione maneo.

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae obsequentissimus Servus
FLORIANUS HREBNICKI, Metropolitanus totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis. (m. pr.)

Die 7. 8bris 1757, in Strunie.

58.

(Volodymyr), 4 . II . 1758.

Ut prohibeatur de novo transitus ad Rítum Latinum et conserventur iura et privilegia Unitorum, ob scandalum Schismaticorum.

APF, *Scrutt. ris. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 438-39.

Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Lugubrem et deplorandam Ritus Gentisque nostrae faciem serio contemplantibus nobis, vel animo prorsus despondendum esset, vel extrema (:ut afflicti passim faciunt:) media forent amplectenda; nisi ultima spei nostrae anchora in paterno Sanctitatis Vestrae sinu collocata, iam iam labentes erigeret. Ad eum quippe progressa gradum iniquitas, ut qui nos apud Sanctam Sedem denigrare non erubuerunt, nondum impletam eorum malitiae mensuram crederent, nisi in vulgus etiam sparsissent, id patratum a se eo intuitu, ut Bullae Calabrinae extensio ad nos fieret. Nunquam equidem id eventurum fortissime credimus, super firma Petra, Sancta videlicet Romana Sede, ab eaque Genti nostrae datis fundatis Privilegiis; verum ut eiusmodi manibus sinceram devotionem nostram offendentibus loquelis efficax ponatur frenum, Gentique nostrae restituatur tranquillitas, benignitatem Sanctitatis Vestrae ardentius imploramus, ut Privilegia Praedecessoribus nostris circa salutarem ad Unionem accessum impertita, novo Sanctitatis Vestrae oraculo confirmentur. Porro, si talia obtutu Ritus patimur, fatemur ingenue, Beatissime Pater, quod nos ipsimet Sacri licet Ritus nostri fieremus desertores, nisi Constitutiones Regni, seu verius ineluctabilia in eo casu secutura mala nos ab eiusmodi transitu absterrent. Praefatis nimirum Constitutionibus, praesertim annorum 1607 et 1633 cautum est, ut quoties nos Unitos ad Rítum Latinum transire contingeret, Cathedrae (f. 438v), Ecclesiae, omniaque ad eas pertinentia Bona, ad possessionem Schismaticorum devolvantur; in quo perficiendo opere contermina nobis Moscovia nihil relinqueret intentatum, et iam Lyncaeos in eiusmodi casum intendit oculos, teste Celsissimo Principe Radziwill, Stabuli Magni Ducatus Lithuaniae Praefecto, qui recens Kiovia reduxe, retulit Schmaticos illos adeo super Unitorum statu esse vigilantes, ut quidquid inter istos fiat, illorum notitiam non affugiat; ea propter, Beatissime Pater, renovamus humiles preces nostras, ut Decretum f. r. Urbani VIII, Laicis transitum inhibens, Sanctitas Vestra benigne confirmando, quo servetur exactius, noviter imperet promulgari; alioquin, deficiente Grege, Pastores omnino deficere oportebit. Istis porro deficientibus virus Schismatis liberius uberiusque per oras istius Regni diffundetur. Praesto-

labimur itaque gratiam Sanctitatis Vestrae, quae nostras afflictiones valeat sublevare, et interea Apostolicam Benedictionem humiliter implorando, cum sincera ac filiali devotione sacros exosculamur pedes.

Datum die 4 Februarii 1758 anno.

Beatitudinis Vestrae Scabella pedum et indefessi Exoratores

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae Archiepiscopus Polocensis (mpr).

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Episcopus Coadiutor Metrop. et totius Russiae.

SYLVESTER L. RUDNICKI, Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceorien. et Ostrogien. (mpr).

(439) CAESARIUS STEBNOWSKI, Archiepiscopus Smolenscen. et Sever., Abb. (mpr).

GEORGIUS BULHAK, Episcopus Pinscen. (mp).

LEO SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis.

AMBROSIUS TURZANISKI, O. S. B. M., Abbas. Unioiv.

A. MŁODOUSKI, Abbas O. S. B. M., Polocen.

IGNATIUS ULINSKI, Abb.

GEDEON BEYNER, O. S. B. M., Abbas Zydyczyn.

JOSAPHAT SIEDLECKI, Abb. O. S. B. M.

59.

Polock, 4 . III . 1758.

Transmittuntur sequentia documenta spectantia bona Mensae Metropolitanae — Barachty et illustrantia modum agendi Coadiutoris Metropolitanani.

APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 486rv.

Eminentissime et Reverendissime Princeps,
Patrone Singularissime.

A primis suscepti muneris Metropolitanani annis, in id toto semper studio incubui ut ea omnia, quae legis divinae contemptum morumque corruptelam adferunt, procul a commissa mihi desuper Provincia exularent. Hinc cum his primum diebus ad aures meas pervenerint quaedam documenta, ex quibus liquido intellexi gravissima non tam bonis Mensae Metropolitanae, quam legi divinae, et disciplinae ecclesiasticae illata vulnera, illico eadem, in forma authentica, Rd.mo Jasoni Smogorzewski, meo nomine Romae agenti, transmitto, ut eadem Eminentiae Vestrae, una cum facti expositione, praesentet. Ego vero Eminentiam Vestram supplex obsecro, ut pio incomparabili suo zelo gravissimis his, et quae inde provenire possent (f. 486v) inconvenientiis, quas exonerandae causa conscientiae deferre cogor, summa sua auctoritate obices apponere, et hanc effrenatam pro libitu agendi licentiam coercere velit. Maneo tandem in devotissimo Sacrae Purpurae osculo.

Polociae, die 4 mens. Martii, Anno 1758.

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

devotissimus et humillimus Servus

FLOR. HREBNICKI, Metrop. totius Russiae, Archiep. Polocen. (mpr).

* Roma, 3. V. 1758.

*Transmittuntur documenta spectantia bona Mensae Metropolitanae.*APF, *Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 481rv.

Dalle Stanze del Quirinale, 3 Maggio 1758.

Signor Cardinale Spinelli.

Il Cardinale Archinto riceve in questo punto l'ingiunta lettera, insieme con la Memoria e fogli annessivi, di Monsignor Metropolitano di Russia, scritta a lui come Segretario di Stato, perchè riferisse l'affare alla S. M. del Sommo Pontefice defunto. Non potendo più ciò farsi, e trattandosi d'un affare che doveva necessariamente rimettersi alla Sacra Congregazione di Propaganda, e d'un affare d'importanza e che sembra richiedere un pronto provvedimento, il Cardinale scrivente rimette a Vostra Eminenza, come Prefetto di (f. 481v) essa Congregazione, la lettera e foglio sopradetti, lasciando alla sua prudenza il dare al negozio quel corso che stimerà più opportuno. Con tal occasione chi scrive rassegna all'E. V. il suo costante ossequio le bacia umilissimamente le mani.

* (Roma, 3. V. 1758).

*Status quaestionis in Causa mota a Metropolita contra suum Coadiutorem.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 482-483v.Memoria per S. E. il Signore Cardinale Archinto, Segretario di Stato della Sua Santità.²¹¹

Ritrovandosi nel Palatinato di Kiovia, e precisamente dentro i limiti della Starostia di Bialocercovia, alcuni Beni denominati *Barackty*, appartenenti al Monastero Kiovopeczarensense, che in perpetuo è unito alla Chiesa Metropolitana di Russia, allora che i Moscoviti invasero la Città di Kiovia,²¹² ove è situato il sudetto Monastero, alcuni Baroni, e particolarmente lo Starosta di Bialocercovia occuparono gl'accennati Beni; laonde i Metropolitani di Russia furono obbligati di rivendicarli giuridicamente nè Tribunali del Regno.

Senza riandare i tempi più rimoti, basterà di accennare che il defonto Metropolita *Atanasio Szeptycki*, nell'anno 1746, ne fece alcuni atti giudiziari nel Tribunal di Zitomiria contro il Principe *Jablonowski*, Palatino di Rava, e Starosta di Bialocercovia.

Dopo la morte di Atanasio, l'odierno Metropolita *Floriano Hrebnycki* proseguì gl'atti suddetti, sempre con ottimo successo, sino a tanto che ottenuta dal Vescovo di Chelma, Monsignor Feliciano Wolodkowicz, nel 1753, la Regia nomina alla Coadiutoria della Metropolia, Monsignor Metropolitano lo incaricò di continuare gl'atti medesimi; ciocchè fece egli con tutta la diligenza, e calore, di maniera che, (f. 482v) morto pochi giorni dopo il Principe Jablonowski, egli sul fondamento di due sen-

²¹¹ Antea Nuntius Poloniae (1746-1754). Nominatus Cardinalis die 5. IV. 1756. Obiit die 30. IX. 1758. Cfr. *Hierarchia Catholica*, vol. VI, pag. 18, nr. 57.

²¹² Ab anno 1667 de iure, vi pacis Andrusovianae Poloniam et Moscoviam inter, ab anno 1654 de facto, vi unionis s. d. Perejaslaviensis inter Bohdanum Chmelnyckyj, duces cosacorum et tsarum Moscoviae Alexium.

tenze, sebbene contumaciali, si mise legalmente in possesso de' Beni controversi; ed essendo nell'anno 1754 stata conferita da S. Maestà la Starostia di Bialocercovia al Signore Conte Giorgio Mnisech, credette debito di convenienza di far palese al medesimo, ed anche a Monsignor Soltyk, Vescovo latino di Kiovia,²¹³ le ragioni che sopra i Beni Barachty assistono alla Metropolia. Ma dall'una e dall'altro fu *minacciato* che se non desisteva dall'Impegno, e non dimetteva i Beni, dè quali già aveva preso il possesso, egli non avrebbe conseguito le Bolle della Coadiutoria Metropolitana.

Non è facile di esprimere con quanto zelo egli in tale occasione si spiegasse ed in voce, ed in iscritto con suoi amici, allegando *l'onore, la integrità, il giuramento*, e quindi la coscienza, che obbligavano a posporre il proprio interesse a quello de' Beni ecclesiastici e forse di ciò si rammenterà l'E. V., alla quale in quel tempo egli ne scrisse una lettera calcata. Mà di poi non si sentì più parlare di questo incidente.

Quello però che fuor di modo eccita la meraviglia, è di essere di poi comparso uno scritto fatto negl'Atti della Curia (f. 483) di Varsavia li 12 Novembre dell'anno 1756, col quale scritto si roborava e si conferma un'asserta Transazione, fatta li 3 dello stesso mese ed anno, tra il medesimo Vescovo di Chelma ed il Conte Mniszech sopra i Beni Barachty; e colla quale ogniuno di essi obbligasse, ed i suoi successori all'adempimento di tutte le condizioni, punti, articoli, e clausole espresse nella citata transazione, *Somm. num. 1^o*.

Non sono mancate Persone, le quali considerando attentamente, e combinando i tempo dè affari allora occorsi, hanno *sospettato* in molto svantaggio di Monsignor Vescovo di Chelma; poichè dall'atto di ratifica apparisce che la Transazione fu fatta li 3 Novembre dell'anno 1756, la *Ratifica* segui li 12 dello stesso mese, allora che questo Prelato procurava in Varsavia a suo favore la nomina alla vacante Chiesa di Vladimiria; e dall'altro canto tutti sanno che la ottenne tre giorni dopo; nè sono ignote le Persone che in ciò *s'interposero*. Sicchè resta ora al profondissimo discernimento dell'E. V. di giudicare, qual fondamento abbia l'allegato sospetto.

Giunta alla Curia Metropolitana prima una confusa notizia della Transazione, e di poi l'atto della Ratifica, il Promotore Fiscale ha creduto debito del suo ufficio (f. 483v) d'interporre una pubblica Protesta contro della medesima, *Somm. Num. II* come quella, che sebbene oblighi in perpetuo il Metropolitan, nondimeno è stata fatta senza il suo previo consenso, che non avrebbe egli prestato senza prima esaminarla, e richiederne il necessario beneplacito della S. Sede Apostolica. Ma non può il Metropolitan medesimo procedere più oltre, senza esporsi a quelli disordini, e forse anche violenze, le quali nè casi, e nelle circostanze simili non sono straordinarie nella Polonia.

Quindi essendovi tutto il fondamento di temere, che, atteso specialmente il segreto, sotto di cui si tiene nascosta la divisata Transazione, gl'articoli in essa contenuti siano pregiudiziali ai diritti del Metropolitan, ed alla di lui Mensa, sembra perciò necessario, che il Vescovo di Chelma sia costretto, senza dilazione, di rimetterla nel suo

²¹³ Cajetanus Soltyk, primum ab anno 1748 Coadiutor Cracoviensis et Nominatus Kioviensis et inde ab anno 1756 Episcopus Kioviensis; translatus anno 1758 ad Cathedram Cracoviensem.

originale nelle mani di Monsignor Nunzio, il quale la trasmetta sollecitamente all' Eminenza V. acciò mediante il suo potentissimo patrocinio, siano impediti quei pregiudizi, che potrebbero derivarne alla Metropolia.

60.

Varsavia, 1756. - Strunie, 20 . II . 1758

Extractum ex quidam conventione de bonis spectantibus Metropoliam Kioviensem.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 502rv.

Actum in Curia Regia Varsaviensi, Feria sexta, in crastino Festi Sancti Martini Pontificis, Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto. - Coram Officio Actisque praesent. Castel. Capit. Varsavien, personaliter comparentes Ill.ris Magnificus Georgius Vandalinus in Magna Konczyce Mniszech, Mareschalcus Curiae Regni, Bialocerkiensisque Capitaneus ab una, et Ill.mus ac R.ndissimus Philippus Felicianus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis et Coadiutor Metropoliae Russiae, suo et Illustrissimi ac Rend.mi Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocensis et Metropolitae Kioviensis totius Russiae agens, pro cuius ratihabitione in forma iuris plenissima pacem cavet nomine parte ab altera, sani mentibus corporibusque existentes, iurisdictione sua quavis propria emissa et praesenti incorporatione facta palam ac libere recognoverunt. Quia ipsi Transactionem certam manualement respectu Bonorum Barachty ac aliarum conditionum in eadem Transactione specificatarum de actu et data eius hic Varsaviae die tertia mensis Novembris, anno praesenti Millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto inter se recognoscentes respectu praedictorum Bonorum ac aliarum conditionum in eadem Transactione specificatarum confectam et conscriptam (f. 502v) manibus suorum Recognoscentium ac Ill.mi et Illustris Magnifici amicorum subscriptam, sigillis gentilitiis cera rubra expressis communitam in omnibus eiusdem Transactionis conditionibus contentis punctis, clausulis, articulis, nexibus ac ligamentis generaliter omnibus mutuo roboratam approbant, confirmant et ratificant, eidemque Transactioni tam in toto, quam in quavis eius minima parte sese suis cum successoribus et quidem Ill.mus et Rev.mus Wolodkowski cum succedaneis satisfacere submittunt, et assurant, hisce suis personalibus recognitionibus ad praemissa mediantibus. — (L.S.)-Correxit Niemiera (mp). — Lectum per Wronowski.

Anno Domini 1758, die Veneris 20 Februarii V. S. in Strunie. Praesentem Copiam ex authentico documento, latino idioma exaratam perscriptam, collationatam et confrontatam, cum suo originale de verbo ad verbum concordare attestor. In horumque fidem manu propria subscripsi, signoque, nomine et cognomine meis, quibus in publicis Instrumentis utor communivi rogatus et requisitus.

MICHAEL L. SLEDKIEWICZ, Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius.

61.

(Strunie, 20 . II . 1758)

Protestatio contra "transactionem" quamdam de bonis Metropolitae Kioviensis.

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 487.

Praesenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum: quomodo a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo septingentesimo quinque-

gesimo octavo, die veneris vigesima Februarii Veteri Styli, in Summi Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini Benedicti eius nominis XIV anno XVIII, Indictione Romana VI. In mei infrascripti Publici Sacra Auctoritate Apostolica Notarii, ac Testium infrascriptorum praesentia, constitutus personaliter Venerabilis Fiscalis Curiae Archiepiscopalis Metropolitanae Kiioviensis, Haliciensis et totius Russiae, suo et Principalis sui Illustrissimi, Excell.mi Rev.mi Domini Metropolitanani nomine solenniter protestatus est contra quoddam scriptum roborationis in Castro Varsaviensi, Feria 6ta, in Crastino Festi S. Martini Pontificis, anno 1756, certae, ut ibidem exprimitur, transactionis manualis, *respectu Bonorum ecclesiasticorum ad Mensam Metropolitanam spectantium Barachty*, ac aliarum in eadem transactione specificatarum conditionum; Nomine etiam Ill.mi, Excell.mi, Rev.mi Domini Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocensis et Metropolitanae Kijoviensis, ut in eodem scripto appositum, factae, pro qua transactione facienda cum modo Ill.mus, Excell.mus, Rev.mus Dominus suus Principalis nullum consensum unquam praestiterit, nec de ipsa facienda quidquam sciverit, quam primum de eadem facta informatus est, cavens, ne per eam Ecclesiae Metropolitanae ipsiusque sui Ill.mi Principalis Personae aliquod damnum et praeiudicium inferatur, praesentem solennem Protestationem in praesentia infrascriptorum testium Actis publicis Notariatus Apostolici suscipi et connotari postulavit. Insuper petatum fuit a me, ut unum, seu plura, publicum, seu publica, toties quoties opus fuerit, et ego requisitus fuero, conficerem, atque extraderem Instrumentum seu Instrumenta. Acta haec sunt anno, die et loco quibus supra. Praesentibus Admodum R.ndis DD. Josepho Tarnawski, suae Excell.mae et Rev.mae Dominationis Musices Praefecto, Joanne Wiczkievicz, Notario Apostolico, Causarum Consistorii Vilmensis Procuratore, et Magnifico D. Dominico Bielinski, Curiae suae Ill.mae et Rev.mae Dominationis Praefecto, fide dignis testibus ad praemissa rogatis, vocatis et adhibitis.

Et quia ego Michael L. Sledkiewicz, Publicus Sacra Auctoritate Apostolica Notarius, hanc manifestationem ad Acta Notariatus mei Apostolici suscepi, confeci, et propria manu scripsi, ideo praesentem copiam transumptam, manu quidem aliena, mihi tamen bene nota et fida perscriptam, collationatam, et confrontatam, hac mea manu subscripsi, signoque, nomine, et cognomine meis, quibus in Publicis Instrumentis utor, communivi, rogatus et requisitus, anno quo supra, die Saturni, 21 Februarii V. S. in Strunie. Idem qui supra etc. etc..

62.

Strunie, 17. III. 1758.

Petit confirmationem iurium Metropolitanorum Kioviensium et decisionem in Causa cum PP. Societatis Jesu Polocensibus.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 442rv.

Eminentissime, Reverendissime Princeps.

Domine Patrone Colendissime.

Votis Illustrissimorum Coepiscoporum meorum multiciplita in respectivis Dioecibus gravamina et praeiudicia sentientium deferendo, indix iCongressum Hierarchicum Vladimiriae, ubi cum ipse ob adversam valetudinem intervenire non putuis-

sem, accepi a Congregatis in Domino Patribus epistolam, in qua docente calamo extremæ Gentis et Ecclesie Ruthenæ afflictiones et persecutiones axarata facile me induxerut, ut communicato cum iisdem Patribus consilio, supplices Sanctissimo Domino, Domino meo Clementissimo preces afferremus, quatenus Jura et Privilegia Hierarchiæ nostræ, ante et post renovatam sub felicissimis aeterna dulci memoria recolendis Clementis VIII auspiciis, servientia, et a Sancta Sede confirmata, aequa benignitate conserventur ab eorumque invidia, qui in perniciem nostram, cum damno Religionis Catholiciæ coniunctam, privatis rationibus obsequentes conspirarunt, asserantur.

Cum vero precibus nostris nullum efficacius momentum addi posse censeam, quam comperitam Eminentiae Vestrae benignitatem implorare, idcirco ad eius clementiam confugio, obsecrans, ut valentibus suis apud Sanctissimum Dominum, Dominum Clementissimum, officiis id nobis conciliare dignetur, quatenus preces nostras exaudire, gemitus sopire, et lacrymas ab oculis nostris abstergere SS. mus Dominus, Dominus Clementissimus, pro sua ineffabili benignitate dignetur. Ultra quam quod enim transitus de Graeco ad Latinum Ritum increbuit, egomet ipse a Confratribus meis oscitantiae arguor, acsi Jura Metropolitana, et inter alia potestatem transferendi Episcopos (: prout hactenus Antecessores mei praestiterunt:) minori quam par est cura sustineam; ut denique praefata desideria plene Eminentiae Vestrae tanquam unico Gentis et Hierarchiæ nostræ Patrono et Protectori innotescant, (f. 442v) eadem in datis ad me ex Congressu expressa annecto praesentibus. Cum autem exitum Causae meae Polocensis cum Patribus Soc. Jesu literis etiam Serenissimi Regis gratiae et benignitati Eminentiae Vestrae comendatum ad usque expectem, hac unica in anxietate mea spe consolor, quod Eminentia Vestra pro suo incomparabili zelo huic negotio ad finem optimum quantotius perducendo, a quo tot animarum congruis Pastoribus destitutarum salus dependet, magna sua auctoritate subvenire dignabitur. Profecto, Eminentissime Princeps, si de unius salute ageretur animae, nunquam eius perniciem oculo indifferente intueri valerem; qui tandem et quam gravis dolor cor meum opprimat nessesse est! ubi ferme integrum eumque numerosissimum Gregem periculo damnationis obnoxium opem a tot annis frustra expectantem conspicio. Hoc itaque, cum supra enarratis, negotium, et una me ipsum indies deficientem viribus indeficienti protectioni una cum Gente et Hierarchia mea impensissime comendo, manens in devotissimo Sacrae Purpurae osculo.

Eminentissimae, Rev. mae Dominationis Vestrae

obsequentissimus et humill. Servus

FLORIANUS Metropolita totius Russiae, Archiep. Polocen. (mp).

Datum in Strunio, die 17 Martii, 1758 anno.

63.

(Strunio, 6 . III . 1728).

Relatio Episcoporum, congregatorum Vladimiriæ ad Conventum Hierarchicum de necessitatibus Ecclesiae Unitae: de privilegiis Metropolitanae, et Ritibus, de bonis, de modo agendi Latinorum etc.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 440-441v.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Congregati Vladimiriæ pro designata ab Ill. Dom. Vestra die 6ta Novembris s.v.c.de Rebus Orthodoxæ Religionis et Hierarchiæ nostræ consulturi, firmam spem gerebamus in eodem loco Exc. Vestram, supremum nostrum in Russia Hierarcham, a nobis, ea quæ tantæ dignitati et præeminentiae debita est reverentia salutandum, et venerandum; non absque uberrimo rerum nostrarum publicarum fructu, ubi consilia nostra matura, rerum usu instructissima prudentia, et gravissima Excellentiae Vestrae auctoritate dirigerentur. Verum non absque ingenti doloris sensu, adversante votis et desideriis nostris prætiosa (:quam Deus in seram aetatem firmam et integram servet): Excll. Vestrae valetudine, epistolam duntaxat eiusdem ad nostrum Collegium Hierarchicum in Strunie anno praesenti die 12 mensis 8bris scriptam ab Ill.mo, Rev.mo Domino Exarcha, Episcopo Luceoriensi,²¹⁴ allatam legimus, qua nos pro impensa sua erga Deum pietate, eximio erga Orthodoxam Religionem, dignitatem Hierarchiæ, integritatem Ritus nostri zelo ad eadem omnia sarta tecta servanda, ad animorum concordiam sensusque uniformitatem cohortari dignata est, et sane anteaquam ad quaerendas rationes, quibus tum internis, tum externis Religionis Orthodoxæ Hierarchiæ et Ritus nostri vulneribus congrua remedia adhiberentur, accederemus, praelegere nobis iussimus Bullam Unionis S. M. Clementis VIII, qua omnia iura, privilegia, consuetudines Religioni Orthodoxæ minime adversantes, perpetuo firmas et stabiles prae laudatus Pontifex nomine suo et Successorum suorum Oecumenicorum Catholicae Ecclesiae Pastorum esse et in perpetuum fore declaravit. Audivimus recitata sub Urbano VIII, amantissimo Orientalis Ecclesiae et cuius dulcis memoria aeternis apud Ruthenos laudibus celebrabitur Pontifice, formata Decreta, quibus et integritas Ritus, et Hierarchico statui, tum etiam integrae Russiae debita praerogativa assertae, et confirmatae fuere; introspeimus antiqua Principum Russiae (:initium ab ipso gentis nostrae Illuminatore et Apostolo Vladimiro²¹⁵ desumentes): tum successive Magnorum Lithuaniae et Russiae Haereditariorum Ducum, tum denique Regum Poloniae Diplomata et Privilegia, non modo libertates, immunitates, praerogativas Ecclesiae, et Gentis Ruthenae, sed, quod caput est, Orthodoxae in Graeco Ritu Religionis integritatem firmantia, discussimus rationes, quibus non absque ingentibus laboribus, sudoribus et sanguine largiter profuso, depulso ex amplissimis Russiae Regno Poloniae adnexis Provinciis Schismate, Sacrae Orientalis cum Occidentali Ecclesia Unio mirifice propagata et firmissime radicata fuit; reduximus in memoriam felicissima non adeo pridem Russiae tempora, quibus non spernenda Orientalis Ecclesia eportio, in Roxolana Ecclesia consistens, Universali Ecclesiae Pastori Romano Pontifici firmissime cohaerens, debitam suae dignitati maiestatem praeferebat, et non modo invidiae... propulsabat verum et reliquias Schismatis in angulis Russiae delitescentes, et brevi ut non absque gravissimo fundamento sperabamus extinguendas solo triumphante Sanctae Unionis nomine, ingenti tremore concutiebat adeo, ut non iam Sanctam Unionem lacessere, verum et de suis latebris in publicum prodire

²¹⁴ Sylvester Rudnyokj, Episcopus Luceoriensis (1752-1777).

²¹⁵ Princeps Kioviae, Sanctus (972-1015). Hic ann. 988-989 Regnum suum baptizavit.

vererentur. Ex quibus praelatis recitatis, introspectis, expensis, discussis, et commemoratis facile intelleximus: Solam illam fuisse Metropolitanam auctoritatem validissimum fulcrum, cui non modo dignitas, praerogativae, iura Ruthenae Ecclesiae et Ritus integritas, verum etiam Orthodoxae Religionis securitas veluti cuidam unico, et firmissimo fundamento innitebantur. Iurisdictio quippe Metropolitana in omnes Ruthenos Ecclesiasticos, tam Saeculares quam Regulares ordinaria et aequaliter se extendens non tantum singulos in officio continebat, sed et omnia Russiae membra vinculo iurisdictionis suo Capiti firmiter cohaerentia studia et conatus suos ita impendebant, ut ab eo fine, quem a suo Capite proponi viderant minime aberrarent. Ita firma et stabili interna Russiae Pace et Concordia res parvae S. Unionis, Deo concordiae et Pacis auctore benedicente, cum summo uberrimoque Orthodoxae Religionis fructu et honore in immensum creverunt.

Verum funesta rerum vicissitudine excitatae a turbulento rerum novandarum studio, suisque duntaxat privatis rationibus et commodis, non bono publico addicto animo, lites et discordiae florentissimum Ruthenae Ecclesiae statum conturbarunt, in id omni cura et studio incumbentes, ut in aliquibus plene iurisdictionem Metropolitanam excuterent, in aliis infirmarent, aperta sibi quidquid libuerit agendi licentia, ubi infirmata auctoritate Metropolitae nullus praesto adesset, qui eandem cohaerere posset, nec dedit medium quo exterus etiam quidam, pane Ruthenorum ad nauseam saturatus, ad protegendas has internas discordias earumque causas et auctorem protraheretur, praesertim ubi, hac occasione data, e sua obscuritate emergendi, nomenque suum illustrandi spem concepisset, hic sane suis, rerum alias Ruthenorum ignorantissimus, praeculis omnibus viis, quibus veritas in apertum (f. 440v) prodire posset, per quindecim et amplius annos novis identidem ex arte formatis quaestionibus, sinistris apud Sedem Apostolicam existimationem omnium et singulorum nostrorum laedentibus informationibus, eo tandem res nostras deduxit, ut Metropolitanis iura constanti praxi et consuetudine firmata: Episcopos transferendi, Coadiutores dandi petentibus Episcopis, retentiones concedendi in dubium vocentur, et cuique secretae quanquam iniustae delationi aures praebeantur, indagations per Episcopos Latini Ritus Ecclesiae Ruthenae infestos, nobis insciis decernantur, publicaeque per eosdem ad summam et extremam Ecclesiae Ruthenae ignominiam expediantur, omnes nos et singuli aequali omnibus in Republica Polona sorte nati meritis Maiorum nostrorum, natalibus, et eruditione Episcopis latinis minime inferiores, a pueritia ferme, vel prima iuventute in statu religioso educati et dulce divinae legis evangelicorumque consiliorum iugum ferre assueti, huiusmodi Commisariorum actibus saeculi duntaxat et vitae aulicae innutritorum, sinistris formationibus deterrimi, et ea, qua fulgemus, in Ecclesia dignitate indigni circumscribamur adeo, ut et de nobis sine nobis decreta statuatur, leges, privilegiis, consuetudinibus, juribus nostris contrariae formentur, et plane immeriti censeamur, quibus ipsum ius naturale defensionis nostri integrum relinquantur. Ita sane violata semel Metropolitana auctoritate unicuique quos libuit secreto facere recursus licuit. Sic inauditis Abbatibus capitulum Metropolitanae Ecclesiae constituentibus ipsorum dignitas amplissimis privilegiis in Ecclesia Orientali insignis, et primo post Episcopos loco constituta infra pedes unius simplicis Monachi subiecta, usque Pontificalium inaudito in Ecclesia Orientali exemplo, absque ulla Episcopali inauguratione simplici Monacho concessus, contra dignitatem etiam Episcopo-

rum Abbatias retinentium, inauditis Metropolitano, et Episcopis dubia proposita e resoluta, verbo: Res omnes suo loco motae incredibilem rerum confusionem, et quo quis se vertat? quid gerat, aut amplectatur? incertitudinem ingererunt. — Nec satis erat Abbatum dignitatem opprimere, sed etiam ac super... malo doti Abbatiae pristinum in splendorem restituantur, obices opponere, tum... Religionis Catholicae damno; idem enim est Episcoporum et Abbatum numerum, ac certorum Religionis Catholicae defensorum imminuere; cum per leges Regni ea dignitate et loco nullus gaudere possit, nisi qui in Religione Catholica educatus, de genere Polono nobili, a servitute externa abhorrente, et contra sensum vicinae Schismatica Potentiae bono Reipublicae Polonae sincere obstrictus sit, contra ac alii, qui, qua de gente, religione, aut natione oriundi sunt? incertum, qui et obscuritate natalium lege Reipublicae a consequendis dignitatibus arctati, facile induci possunt, ut iura Reipublicae Polonae una cum legibus sibi adversis mutant in illud Regimen, ad quod interdum schismatici errores, a pueritia contracti, et germe in sanguinem conversi, et ad amplissimas sub Dominio Moschoviae nullam generis distinctionem respiciente Ecclesiasticas Promotiones spes eos inducit. — Ex his internis Russiae perturbationibus duplex inimicorum genus contra Ecclesiam Roxolanam sua infesta tela direxit; primi sane fuere nonnulli latino-poloni Ecclesiastici, qui hac perturbatae Russiae occasione usi, contra eandem insurgere, atrocissimis Sacrum Orientalis Ecclesiae Ritus eiusque Professores calumniis onerare, perduellionis erga Catholicam Ecclesiam et Rempublicam reos facere non dubitarunt, qua ratione legem Urbani VIII, transitum Ruthenorum ad Ritus Latinum prohibentem expugnarent suamque de laboribus, sudore, et sanguine nostro in propaganda Sancta Unione profuso iurisdictionem auferent; certe plus quam centum millia Ruthenorum a quindecim annis ad Ritus Latinum abductorum nominare possemus, quibus vero rationibus, quo Sacrorum Orientalis Ecclesiae Ritus despectu, quam negando Sacramentorum (f. 441) etiam impune et publico facto abusu facile Excell.tia Vestra ex distinctis foliis, iniurias Ritui nostro in Dioecibus nostris respectivis illatas continentibus, literis nostris praesentibus annexis, non absque summo dolore, et innatae Excellentiae Vestrae pietatis et remoti Schismatici ingentem spem conceperunt sui lucri ex afflicto Unitorum statu percipiendi, nihil est apud nos etiamsi occultissimum de nobis fertur Decretum, nulla emanat resolutio, nulla est afflictio, persecutio, Sacramentorum abusus, qui illis non innotescat, et uti ex relatione Celsissimi Principis Ratzwill, Praefecti stabuli M. D. Litt., accepimus, qui non adeo pridem Kiovia, quo se ob sua et celsissimae suae domus negotia contulerat, rediit; nihil est plane quod eos lateat. Hi sane, qui paulo ante vix e suis latebris in plateam publicam civitatum prodire audebant, infractis Metropolitanae dignitatis iuribus eo audaciae et temeritatis devenerunt, ut etiam violenter Unitis ecclesias eripere, conversos e suis ad Unionem catenis constrictos in Moschoviam abducere, ecclesias non modo vetustas reparare, sed novas etiam erigere minime dubitent et quod absque dolore enarrare non possumus, frequentes apostasias, quas olim raro Ecclesia Ruthena vidit, e Regularibus unitis ad Schismaticos indies recensemus, nec Metropolitana auctoritate in causas huiusmodi apostasiae inquirere fas esset, allegata exemptione, quae certe Monachis non ad perniciem, sed ad salutem a S. Apostolica Sede, fidei et religionis Magistra, daretur. — Nec sine intimo doloris sensu intelleximus: nullam maiorem voluptatem a Schismaticis percipi, quam ubi nos a latino-polonis affligi,

ovesque nostras ad Rítum Latinum abduci audiunt, nihil enim sibi utilius contingere posse arbitrantur, quam ut extirpato Graeco-Catholico Ritu, Episcopatus, Abbatis Monasteria et universim Funda et Bona Unitorum Ruthenorum occupent, suffragante votis et desideriis eorum lege Reipublicae, prima in Comitii Varsaviensibus anno 1607: tit. Religio Graeca, lata, qua praeclusum est, ut bona Ritus Graeci nunquam ab eodem Ritu alienentur, altera expressa in Comitii Varsaviensibus anno 1633 sancita, qua praecustoditur, ut cessante in Dominiis Reipublicae Polonae Unione Sancta, omnia Bona Ecclesiastica et Funda Unitorum ad Schismaticos de... Nec longe a finibus Reipublicae Polonae abest formidanda Moschoviae Potentia... Schismaticos circa has leges in casu extirpati et cessantis Graeci Catholici Ritus ma... tenere queat, non modo e falso religionis zelo, verum etiam e re politica Moschoviae, cui numerus et Potentia Schismaticorum in Polonia non parum momenti adferet. — Ex his omnibus facile Excellentia Vestra intelliget, quam deplorando statu et loco res nostrae constituae sint, et ferme medicum vel nullam iam medicinam admittant, profecto cum iuribus, praerogativis, privilegiisque spoliati tot secretis delationibus et calumniis onerati, afflicti, oppressi, cum indicibili Ritus nostri damno et ignominia debitam Orientali Orthodoxae Ecclesiae maiestatem praeferre nequeamus, nec ullum praeter iustitiam et aequitatem iurium nostrorum fulcrum supersit, quod nos meliora aliquando sperare faceret, imo cum maximum nostrum opprobrium fiat ingens hostibus Ecclesiae scandalum, et ianuam conversioni Schismaticorum praecludat, instigante ipsa conscientiae et bonae famae et aestimationisque cura, alia ratione malorum laborumque nostrorum finem inveniri a nobis non posse censeremus, quam ubi iura metropolitanae dignitati, Hierarchiae, Ritui et Ecclesiae nostrae servientia Sancta Apostolica Sedes manutenenda et integra servanda minime duxerit cum iisdem Rítum etiam Graecum nobis deserere permittat. Valeat tandem sacerri-mus usu divinissimorum Orientalis Ecclesiae Patrum consecratus Ritus, valeant bona, et funda, dummodo nobis recta conscientia et bona fama integra relinquatur. In his tamen circumstantiis cum aliunde ingens Orthodoxae Religioni damnum impenderet succedentibus in iura Ruthenorum Catholicorum Schismaticis, qui forte magnam rudioris Cleri et populi partem facile potentia vicini schismatici imperii adiuti, ad deserendam Orthodoxam Religionem pertraherent, nondum adhuc ad ipsum huiusmodi resolutionis transeundi ad Rítum Latinum actum accedere duximus, obsecrantes quam humillime Excellentiam Vestram, quatenus postremo tandem omnem curam et studium adhibere velit, ut et iurisdictio Metropolitana, et omnia singulaque (f. 441v) Hierarchiae, Ritus et Ecclesiae privilegia pristino vigori restituantur; petulans transeundi de Rutheno ad alium Rítum licentia cohibeatur, quorundam latinorum Episcoporum aliorumque eiusdem Ritus Ecclesiasticorum impetus, sacrilegii ausus, coherceantur; temerariis secretis et iniustis recursibus fraenum imponatur; praecustodiaturque ut secretis hostium nostrorum informationibus bonae famae et existimationi nostrae inflicta vulnera sanentur. Haec sunt Exc.me, Ill.me Domine quae Excellentiae Vestrae exponenda habuimus, praeces nostras geminantes, ut sua auctoritate apud Sanctam Apostolicam Sedem afflictis et ferme ad extrema deductis rebus nostris subvenire velit, nos vero sacerrime firmissimeque spondemus a tuenda debita Metropolitanae dignitati iuncta auctoritate et iurisditione iuxta antiqua eiusdem privilegia et laudabilem bonoque publico nostro saluberrimam consuetudinem nun-

quam recessuros, nisi ubi privilegiis, gratiis, prerogativis et iuribus suis spoliatum Ritum Graecum deserere cogeremur. Testamur tandem debitam primaciali in Ecclesia nostra praeeminentiae venerationem, manentes in osculo sacerrime archipastoralis dexterae.

Illustrissimae, Excellentissimae Reverendissimae, Dominationis Vestrae humillimi Servi et Exoratores

SYLVESTER L. RUDNICKI, Exarcha totius Russiae, Episcopus Luceorien. et Ostrogien. (mpr).

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Episcopus Coadiutor Metrop. et tot. Russiae, Vladimiriensis, Bresten. Nominatus et Administrator.

CAESARIUS STĘBNOWSKI, Archiepiscopus Smolenscen., Severien., Abbas Onufrien, GEORGIUS BULHAK, Episcopus Pinscensis.

HONUPHRIUS SZUMLANSKI, Episcopus, Premyslien., Sanocen., Samb.

LEO SZEPTYCKI, Episcopus Leopoliensis.

AMBROSIUS TURZANSKI OSBM., Abbas Unioviensis (mpr).

ANTONIUS MŁODOWSKI, Abbas OSBM. Abbas Ourucensis.

IGNATIUS WINSKI, OSBM., Abbas Dorohobusensis (mpr).

(: Foris :) Illustrissimo, Excellentissimo et Reverendissimo Domino, Domino Florianiano Hrebnicki, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopo Metropolitano Kiovien., Halicien. et totius Russiae, Archiepiscopo Polocen., Episcopo Vitebscen Orsanen., Mohilovien., Mscislavien., Abbati Kijovo-Peczaren., Solii Pontificii Assistenti. Domino, Domino et Patrono nostro Colendissimo.

Praesentem Copiam ex authenticae... literis, latino idiomate exaratis, ac proprii Illustrissimorum D. D. Episcoporum, et Perillustrium Abbatum manibus, mihi bene notis, subscriptis, perscriptam collationavi, eamque lectam et confrontatam de verbo ad verbum cum suo originali concordare attestor. — In horumque fidem manu propria subscripsi, signoque, nomine, et cognomine meis, quibus in publicis Instrumentis utor, communivi, rogatus et requisitus; hac die Veneris, 6 Martii V. S., in Strunie, 1758 anno.

MICHAEL L. SLEDKIEWICZ, Publicus Sacra Auctorit. Apostolica Notarius (mpr).

64.

Roma, 1758.

Instat Metropolita pro decisione in controversia de transitu ad Ritum Latinum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1748, vol. 103, f. 457.

Emin.mi et Rev.mi Domini.

Florianus, Russiae Metropolita, cum suis Coepiscopis, humiliter Eminentissimis Vestris supplicat, ut gravissimam super Unitorum de Graeco ad latinum Ritum transitu Controversiam a SSmo Domino Nostro huic S. Congregationi praecommissam definire velint; ne Catholicus Orientalis Ecclesiae Ritus scandalosa latinorum Poloniae Ecclesiasticorum sollicitudine quamprimum apud Ruthenos extinguatur; quod

perfecto maximum Unitis quidem infligeret vulnus, minusque supremam Sedis Apostolicae deceret gloriam, Schismaticis autem sufficeret plane, ut, tanto Unitorum terribili exemplo, propriis in erroribus ultro confirmari adigantur, Ruthenisque ad Latinum translatis Ritus, ecclesias et Bona Unitorum occupare properent; juxta ea, quae non semel epistolis totque supplicibus libellis, exonerando conscientiam, Sedi Apostolicae frustra exposuit Orator, quin ullum hucusque obtinuerit responsum. Non quaerunt Uniti, ut a latino Polonorum Clero quidquam lucrentur, aut eiusdem quascunque laedant potestates; bene tamen contendunt, semperque sustinebunt, ne, quod optimo iure suum est, turpiter amittere cogantur, aut quod SS. Canonibus cautum fuerit, privato cuiuscunque evertatur arbitrio. Quare etc...

65.

Polock, 20 . V . 1758.

Transmittit formulam iuramenti Archimandritarum et modum instituendi eos. Nec non instat pro confirmatione iurium et privilegiorum antiquorum Ecclesiae Unitae ne aliquid immutetur.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 781, f. 452-453.

Eminentissimi, Reverendissimi Principes,
Domini Patroni Singularissimi.

Cum e prolatis anno elapso, die 24 Maii, ad Dubia Patris Proto-Archimandritae Ordinis S. Basilii M., Eminentis Vestris porrecta, resolutionibus intellexissem, Eminentiarum Vestrarum mandatum proferendarum formularum iuramenti Abbatialis, et Institutionis, Confirmationisque Abbatum recens inauguratorum, ut promptam nutibus Eminentiarum Vestrarum obedientiam testatam efficiam, hanc utramque formulam authentice transmitto a Plenipotentiaro meo augusto Eminentiarum Vestrarum Senatui praesentandam, in quibus cum nihil inveniatur, quod rectae fidei, et debitae Ruthenorum Sacrae Romanae Ecclesiae subiectioni adversum sit, dubitare non possum, utramque intactam benigno aequissimoque Eminentiarum Vestrarum iudicio probandam, confirmandamque eos fructus abunde allaturam, quod eximium ardentissimumque Rei Catholicae Propagandae Eminentiarum Vestrarum studium nobis procul omni dubio pollicetur. Certum est et inconcussum, Patres Eminentissimi, nihil fuisse statutum, nihilque a Sacra Romana Ecclesia statuendum, quod non alacri, promptoque animo cum a me, tum ab integro Ruthenorum Hierarchico Statu exceptum impleatur, verum tamen Dei iudicio obnoxium me merito censerem, si ea, quae Schismaticorum animos in damnum Religionis Orthodoxae exacerbant et Sanctae Unionis incrementum evidenter his partibus impediunt, pro mei muneris ratione Eminentis Vestris fideliter exponenda omitterem. Nihil sane est, quod Schismaticorum odium erga Orthodoxos accendat magis, animosque eorum ab ineunda cum Sancta Romana Ecclesia Unione abducat, quam dum antiquas non illaudabiles (f. 452v) rerum quippe locorum et hominum indoli accomodatas consuetudines, iura, et disciplinae ecclesiasticae rationem, olim a Clemente VIII, nomine suo et *Successorum* suorum Romanorum Pontificum in perpetuum approbatam, immutari vident; hinc enim occasionem sumunt iniquissime declamandi, Catholicam Ecclesiam non tantum errores schi-

smatis, sed et sanctitatem antiquissimi Ritus, disciplinamque ecclesiasticam institutione et usu Divinorum Ecclesiae Orientalis Patrum consecratam improbare, qua ratione Gentem antiquitatis ecclesiasticae studiosissimam in duritie cordis, et pervicaci erga Sanctam Romanam Ecclesiam odio facile confirmant; Profecto, Patres Eminentissimi, longororum usu providissimum illud saluberrimumque S. Memoriae Clementis VIII Consilium fuisse expertus sum, ingens quippe Schismaticorum numerus ad ineundam cum S. Romana Ecclesia Unionem in oculis meis non semel perductus fuit, ubi olim intactis Ecclesiae Ruthenae iuribus et consuetudinibus ab Apostolicis viris in medium adduceretur: tantum honoris Ruthenae Ecclesiae a Sancta Apostolica Sede tribui, ut omnes eiusdem Ritus, caeremonias, et consuetudines Fidei Catholicae et Sacris Canonibus non adversantes, nedum probare, verum etiam intactas perpetuo, et inviolatas servare publicis Apostolicis Literis sancte pollicita fuerit. Haec sane potentissima, et reliquis aliis trahendorum ad Unionem Schismaticorum efficacior ratio deficiat, imo e contra validissimum propagandae Unioni obstaculum apponatur necesse est, ubi iura, consuetudines, disciplinae antiquae ecclesiasticae norma una cum his venerandis antiquitatis monumentis sublata aut immutata fuerit. Haec ego aliquoties iam Eminentis Vestris explicata ipsius conscientiae instinctu et Divini iudicij metu repetere cogor, ne (f.453) si quae noxia Orthodoxae Religioni obventura animo prospicio exponenda negligere, omissi huiusmodi muneris mei Officii reus coram Deo efficiar. His ingenue pro mea iurata fidelitate expositis, ut plene devotum imperio Eminentiarum Vestrarum animum meum palam faciam, protestari non ommitto, me una cum integro Hierarchico Statu omnia et singula exacta obedientia debitaee executioni demandaturum, quaecumque Eminentis Vestris ad publicam Orthodoxae Religionis felicitatem amovendosque e medio quosvis incremento et propagationi Unionis infestos obices providissime statuere visum fuerit. Quod superest, Deum Optimum Maximum ardentem orabo, ut Eminentias Vestras ad firmum Catholicae Republicae decus et praesidium longaevas et incolumes diutissime servet, manens in religioso Sacrae Purpurae osculo.

Polociae, die 20 Maii, 1758 Anno.

Eminentissimarum, Reverendissimarum Dominationum Vestrarum

obsequentissimus et humillimus Servus

FLORIANUS, Metropolitae Russiae, Archiepiscopus
Polocensis (mpr).

66.

(Polock, 20 . V . 1758)

Formula fidei professionis et iuramenti Abbatum tempore eorundem institutionis proferenda. Cura Metropolitanis traducta et transmissa.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 781, f. 454rv.

Forma Professionis Fidei et Juramenti Obedientiae ab Abbatibus more antiquissimo praestari soliti circa eorundem inaugurationem ex Pontificali Rutheno ex Reensione Synodi Zamosciana typis impresso excerpta.

Ego Hieromonachus N. N. Nominatus Abbas N. In Nomine Patris et Filii, et Sancti Spiritus unius Divinitatis, scribo manu mea, et mente mea profiteor coarm Deo et electis eius Angelis veram et immaculatam fidem Christianam Catholicam vi-

delicet: Credo in Unum Deum Patrem Omnipotentem factorem coeli et terrae, visibilibus omnium et invisibilibus. Et unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum sedet ad dexteram Patris et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

Veneror iterum et suscipio Oecumenica Concilia, Nicaenum Primum, Constantinopolitanum Primum, ordine 2dum, Ephesinum primum ordine 3tium, Chalcedonense, ordine 4tum, Constantinopolitanum 2dum, ordine 5tum, Constantinopolitanum 3tium, ordine 6tum, Nicaenum 2dum, ordine 7tum, Constantinopolitanum 4tum, ordine 8tum; Et omnia quae in illis a Sanctis Patribus definita sunt contra Haereticos, et, Ecclesiae Christi invisos Persecutores damnatae memoriae, Arium, Macedonium, Nestorium, Eutichetem, Dioscorum, Monothelitas, Iconoclastas et Photium. Veneror et suscipio reliqua omnia Oecumenica Concilia, autoritate Pontificis Romani legitime congregata, absoluta et confirmata, et praecipue Florentinam Synodum, et profiteor quae in ea definita sunt; videlicet quod Spiritus S. ex Patre et Filio aeternaliter est et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; item dictionem illam (: Filioque :) veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite et rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur prodesse eis fidelium virorum Suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes et elemosinas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta; illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutae sunt purgatae in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicut est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius, illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendas. Item Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascenti, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino

Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in Sacris Canonibus continetur. Item legalia Veteris Testamenti seu Mosaicae Legis, Caeremonias, Sacra Sacrificia et sacramenta Domino Nostro Jusu Christo adveniente cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato, illi tempori confuisse, ut inter Judaeos et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cuius Apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in SS.mo Eucharistiae Sacramento (: juxta fidem quae semper in Ecclesia Dei fuit:) contineri vere, realiter et substantialiter, Corpus et Sanguinem una cum anima et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, et sub unaquaque specie, et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novae legis Sacramenta a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem iterari non posse. Item Baptismum esse necessarium ad salutem ac proinde si mortis periculum immineat mox sine ulla dilatione conferendum esse et a quocunque et quandocunque sub debita materia, forma et intentione collatum esse validum. Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter Coniuges thori, et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. Item Apostolicas (f. 454v) et Ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. Pariter quae de peccato originali, de iustificatione, de Sacrorum Librorum tam veteris quam novi testamenti indice, et interpretatione in praedicta Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor. Caetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur S. Romana Ecclesia, simulque contraria omnia et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizadas, ego pariter damno, reicio, et anathematizo. Insuper Romano Pontifici B. Petri Principis Apostolorum Successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Promitto et iuro debitam obedientiam Sacratissimo Domino meo Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia totius Russiae Metropolitano Hierachae Domino NN. et Successoribus eius Sanctae Sedi Apostolicae et Pontifici Romano obedientibus. Vocatus ad Synodum a Domino meo Metropolitano, sine omni renitentia et impedimento canonico obedenter veniam, sine consensu eius Bona Ecclesiastica Abbatiae meae, etiam consentiente super his Capitulo meo, non dabo, non vendam, non oppignorabo, neque alio quovis modo etiam ad breve tempus ulli nec servis nec consanguineis meis, nec aliis Abbatibus aut quibusvis

hominibus, tam Saecularibus quam Ecclesiasticis, nec iure dicto feudatario, neque alio quovis instar feudi, ullatenus tradam, imo dispersa et ab Ecclesia Abbatiali avulsa, quovis modo, et ob quamcunque causam etiam ad tempus alicui tradita recuperare tenebor. Rursus confessam a me, et hic manu mea scriptam S. Catholicae et Apostolicae Ecclesiae fidem, sine qua nemo salvari potest, quam hodie sponte mea et sana mente profiteor veraciter teneo, hanc integram et immobilem usque ad extrema vitae meae fortiter et constanter, Deo adiuvante, tenere et profiteri, similiter et a subalternis meis et ab omnibus, quorum cura ad me in Ordine vocationis meae pertinebit, praeterea a servis et subditis meis teneri, doceri, et praedicari pro posse meo curare promitto, spondeo et iuro; sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Praesentem copiam, ex Ponticali Ruthenorum, typis in Monasterio Basiliano Poczajoviensi, anno 1740 impresso, depromptam et e rutheno in latinum idioma fideliter ac de verbo ad verbum per me interpretatam, manu quidem aliena, mihi tamen bene fida scriptam, collationatam, et confrontatam cum suo originali in omnibus concordare attestor, in horumque fidem manu propria subscripsi, signoque, nomine, et cognomine meis, quibus in publicis utor Instrumentis communivi, rogatus et requisitus, hac die Jovis, septima Maii V. S. Anno Domini 1758, in Strunie.

MICHAEL L. SLEDKIEWICZ, Publicus S. Auth.
Apostolica Notarius (mpr)

67.

(Polock-Roma, 20 . V . 1758.)

Considerationes et adnotationes de formula institutionis Archimandritarum, fortasse a quodam Praelato romano factae.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 781, f. 460-61v.

*Super Formula instituendi Abbates.*²¹⁶

La Formola, trasmessa dal P. Generale de' Basiliani di Russia, per l'Istituzione di quelli Abati, non essendo applicabile ad ogni caso particolare delle istituzioni Abbatiali, e contendendo in se alcune espressioni pregiudiziali, o almeno superflue, non pare, che debba meritare tutta l'approvazione della S. Congregazione di Propaganda Fide, e ciò per le seguenti considerazioni.

A. - Il Metropolitanò di Russia, essendo Capo di quella Nazione, autore della Monastica Congregazione, e sostenendovi l'autorità della S. Sede, sempre sino ad ora negli stromenti pubblici trasmetteva: - *Salutem in Domino, et Benedictionem.* -

B. - Le enunziative - *Monachum - Congregationis - Provinciae* - non ponno addattarsi alle istituzioni di tutti gli Abati in genere. Sono in Russia alcuni Abati Vescovi, i quali non sono semplicemente monaci, nè sono più membra di quella Congregazione, di quella Provincia. Esiste nella Diocesi metropolitana il famoso Monastero di Supraslia, sotto l'immediata giurisdizione del Metropolitanò, non mai incorporato

²¹⁶ Ad plenitudinem negotii de Abbatibus illustrandam, etiam hanc formulam inter epistolas Metropolitanæ Hrebnyckyj hic adduximus.

alla Congregazione, alle Provinciae; e quantunque l'Abate di esso debba essere monaco, non però dirassi: - *Congregationis - Provinciae.* -

C. - Dovendo il Metropolitano assistere agl'affari di Russia, e della S. Unione, si nè Tribunali del Regno, e si ancora nelle Diete della Republica; dovendo parimente visitare la propria ben vasta Diocesi, e presiedere alli Sinodi, Congressi, e Capituli Generali, non potrebbe trovarsi continuamente ad Cathedram; e quando non potesse istituire gl'Abati extra Cathedram, vacarebbero le Badie più del dovere, con notabile danno di que' Monaci, e di que' Beni.

D. - Giurano gl'Abati l'ubbidienza al Sommo Pontefice, al Metropolitano, senza che se n'enunzi alcun specifico titolo, sottointendosi (f. 460v) sempre quella ubbidienza, ch'è dovuta al Pontefice, conveniente al Metropolitano. Gl'Abati Regolari de' Monasteri in Congregazione ridotti, sono attualmente sotto la giurisdizione immediata del P. Generale, a cui hanno giurato tutta la ubbidienza nell'atto della loro professione monastica, la giurano ogni anno rinnovando i voti religiosi nel giorno di S. Basilio, e finalmente la ratificano colla ricognizione del nuovo Generale, nè mai ciò fanno enunziando le Decretali, li Decreti della S. Sede; e quindi non si comprende, perche nell'atto della loro Istituzione debbano enunziare le Pontificie Lettere: - *Super Familiam - Inter Plures* -. Ma se il P. Generale pretende di dover esiggere tale giuramento dagl'Abati istituiti, ciò potrà fare a suo talento, senza che il Metropolitano sia obbligato di farne da Procuratore di esso, specialmente in un atto si serio, e si publico, qual'è l'Istituzione degl'Abati, unita alla benedizione. Finalmente la formola dell'Istituzione, come pretende il P. Generale, non potrebbe applicarsi nè agl'Abati Vescovi, nè agl'Abati, che vivunt extra Congregationem, non potendosi nè dagl'uni nè dagl'altri prestar alcuna ubbidienza al P. Generale.

E. - L'enunziativa - *benediximus* - non sarebbe addattabile nè ai Vescovi Abbati, nè alli attuali Abati; dovendo i primi, ottenendo le Abbazie, e li secondi, passando alle Abazie più pinqui, domandare dal Metropolitano la loro Istituzione.

F. - In tutti li Tribunali di Polonia nulla distinzione si fa tra l'Istituzione e l'Instalazione. E quantunque il Metropolitano negli stromenti delle Istituzioni Abbaziali, secondo lo stile della sua Curia, enunzi - *instituimus, et installamus* -, non lascia però di unitamente rimettere gl'Abbati al P. Generale per il possesso delle rispettive Abbazie. Credesi fondatamente in Russia, che il P. Generale sia legitimo esecutore delle Bolle, che il Metropolitano a nome della S. Sede concede alli Monaci presentati legittimamente alle (f. 461) Badie. Credesi parimente che il P. Generale non possi negare il possesso delle Abbazie a gl'Abati istituiti, potendo, se ha qualche cosa incontra, opporre nell'atto, che prima della Benedizione si fa dal Metropolitano *super vita et moribus Abbatum, superque statu vacantis Ecclesiae etc.* E per fine credesi essere la miglior Regola da osservarsi nella Istituzione degl'Abati quella appunto, colla quale si procede da tutti nella esecuzione delle Provisioni Apostoliche. Nè può reggere la pretensione del P. Generale di voler da questa formola affatto escludere l'enunziativa - *et installamus* -, perchè con tale Esclusiva non servirebbe più alla Istituzione de' Monaci a quelle Badie, le quali non sono dimesse dal Metropolitano e quindi non sono ridotte in Congregationem. Molto meno converrà alla riputazione del Metropolitano che il P. Generale pretenda colla sua formola prescrivere il metodo,

che deve tenersi dalla Cancelleria Metropolitana nello stendere e rilasciare gl'atti delle Istituzioni degl'Abati.

Nel fine del presente foglio sopra le Istituzioni degl'Abati, desidera il Vescovo di Vitebsco,²¹⁷ per parte del Metropolitanò di Russia, di sapere, se in seguela del Decreto pronunziato alli 24 Maggio 1757, dalla S. Congregazione: - Quandocunque alicui Monasterio iure ordinario, vel delegato praeficiendus est Abbas, institutionem ad Metropolitanam, installationem autem iuxta praescripta in Decretali - *Super Familiam* - ad Protoarchimandritam pertinere -, possa il P. Generale pretendere d'installare quegl'ancora Abbati, che governano le Badie non ridotte in Congregatione Monastica? - E se non ostante l'altro Decreto della prelodata S. Congregazione: - ad VII. In illis solis Monasteriis instituat Abbates, in quibus tempore promulgatae Constitutionis SS.mi Domini nostri, quae incipit - *Inter plures* -²¹⁸ extabant in pacifica possessione Abbates -, possa il Metropolitanò procedere alla (f. 461v) Istituzione degl'Abbati, che si leggono nel Sinodo di Zamoscia? - perchè tra gl'altri inconvenienti sequirebbe anche questo che non potrebbe più Metropolitanò istituire manco l'Abate di Onufrei, essendo stata quella Badia vacante nel tempo, in cui fu promulgata la Decretale prelodata.

68.

(Polock-Roma, 20 . V . 1758).

Adnotationes et considerationes de formula professionis fidei et iuramenti in institutione Archimandritarum, fortasse consilio et iussu Metropolitanæ factae.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 781, f. 464-65v.

Super Formula Iuramenti Abbatialis.

A. — Dal principio medesimo della Formola, che, per il giuramento degl'Abati progetta il P. Generale de' Basiliani di Russia, apparisce subito non essere applicabile a tutte le Istituzioni degl'Abbati per le considerazioni esposte nell'altro foglio sotto la *Lettera B*.

B. — Non si nega, che il Metropolitanò, rispetto alle Badie esistenti nelle suffraganee Diocesi di Russia, non sia soltanto Delegato Apostolico. Poco decoro sarebbe alla Sede stessa, quando al di lei Delegato, invece di ubbidienza, prestassero gl'Abati solamente — *observantiam et obsequium* —.

È incontrovertibile, che il Metropolitanò, in riguardo o agl'Abati Vescovi o alle Badie non ridotte in Congregazione, ma esistenti nella di lui Diocesi, sia rigoro-

²¹⁷ Agitur de Jasone Smogorzewskyj, qui tunc temporis iam Coadiutor Metropolitanæ pro Archieparchia Polocensi nominatus fuit, quam dein obtinuit an. 1762. Ab anno 1780 Metropolitanus Kioviensis.

²¹⁸ Sub. dat. 11. V. 1744. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 88, nr. 704.

samente Ordinario, a cui devesi la più stretta ubbidienza, nè basta quella pura osservanza, quel puro ossequio.

Altresi certo è, che riguardo alle Badie ridotte in Congregazione, ed esistenti nella Diocesi Metropolitana, il Metropolitanò sia Ordinario. Ciò si conferma col Decreto emanato sotto li 24 Maggio 1757, dalla S. Congregazione, la quale, parlando delle Badie ridotte in Congregazione, disse: — *Ad VIII. Quandocumque alicui Monasterio iure ordinario, vel delegato praeficiendus est Abbas, institutionem ad Metropolitanam, installationem vero ad Protoarchimandritam pertinere* —, e non intese di attribuire al Metropolitanò l'autorità ordinaria rispetto alla Istituzione degl'Abati esistenti nelle Diocesi Suffraganee, nè di levargli il gius d'installare alle Badie tutt'ora esistenti sotto la di lui giurisdizione ordinaria. Se dunque il Metropolitanò rispetto alle Badie ridotte in Congregazione, ma che sono nella di lui Diocesi, è Ordinario, perchè il P. Generale colla formola da lui progettata vuole, che gli Abbati in luogo dell'ubbidienza dovuta al Metropolitanò, lo contentino col puro rispetto, col puro ossequio? Nè si sà concepire, perchè essendosi accordata l'ubbidienza (f.464v) la Metropolitanò nella Formola dell'Istituzione, colle parole seguenti; — *tum etiam iuramento obedientiae Summis Pontificibus, nobisque* —, si cerchi colla formola del giuramento di distruggerla: — *Juro debitam observantiamet obsequium*.

Da tutto ciò ben si raccoglie, che questa forma, non essendo applicabile a tutte le Istituzioni Abbaziali, ed essendo pregiudiziale al Metropolitanò, non meriti l'approvazione Apostolica.

C. — L'enunziativa generica di Delegato — *tanquam eiusdem S. Sedis Delegatis* — toglie al Metropolitanò ciò, che gli compete iure ordinario, e quindi non può costituire una formola, che sia applicabile a tutti gl'Abbati, ed opererebbe, che il Metropolitanò da Ordinario diventasse assolutamente Delegato, e che il prelodato Decreto della S. Congregazione restasse vulnerato, rispetto a quella espressione: — *Jure Ordinario*.

D. — Per non intrigare le cose antiche, basterebbe che nella formola del giuramento non si enunzi nè delegata, nè ordinaria autorità, nè Decretali, nè dritti; e che solamente si espressione implicitamente contiene tutto ciò, che il P. Generale vuole esplicitamente spiegare per non rendere commune a tutti gl'Abati questa Formola.

E. — Per quello che riguarda, che il Metropolitanò esigga dagl'Abati l'ubbidienza anche per il P. Generale, nell'atto stesso, in cui la esigge per se, e per il Sommo Pontefice, si è risposto nell'altro foglio sotto la lettera D. Si aggiunge ancora, che la superiorità non è bastante motivo di esiggere dà sudditi il giuramento di ubbidienza, se non ne' casi prescritti dalle leggi comuni o particolari, quali non assistono al P. Generale nel caso presente; altrimenti dovrebbero gl'Abati nell'atto della loro Istituzione giurare ancora alli Consultori, alli Provinciali, (f. 465) alli Capitoli, agl'Ordinari, al Nunzio, ed alla stessa S. Congregazione, per riconoscere la superiorità di tutti questi.

F. Godono gl'Abati Mitrati perpetui, anzi sono obbligati dalli SS. Canoni, d'intervenire alli Sinodi; quindi ben compete al Metropolitanò il gius di chiamarli a tali Atti con una lettera circolare, senz'alcun obbligo di prima renderne conto al P. Generale, il quale non può impedire ciò, che a questo ed a quelli conviene de iure.

Oltre li Sinodi, talvolta si tengono dal Metropolitanano i Congressi Gerarchici, ai quali intervengono co' Vescovi quelle Persone, che si credono dal Metropolitanano poter essere utili alle materie da esaminarvisi. Piacque alla S. Congregazione, sotto li 20 Feb. 1758, rispetto a tali Congressi dichiarare: — *Abbatas convocandos esse per Metropolitanam* —, non ostante il Dubbio proposto alla medesima dal P. Generale: — *An convocatio Abbatum fieri debeat* (: alli Congressi Gerarchici:) *immediate ab Archiepiscopo Metropolitanano, vel potius per medium Protoarchimandritae?* — Ciò premesso, come si può pretendere, che non possa il Metropolitanano chiamare gl'Abati al Sinodo senza la permissione del P. Generale, quando non è obbligato di domandarla per convocarli al Congresso?

Quall'ora poi si volesse amettere l'enunziativa progettata dal P. Generale per gl'Abati: — *Vocatus certiorato ac medio Protoarchimandrita ad Sinodum veniam* —, non sarebbe più questa Formola applicabile nè agl'Abati Vescovi, nè agl'Abati, che sono extra Congregationem.

Accade ancora più e più volte, che, oltre li Sinodi e Congressi suddetti, il Metropolitanano o per fare qualche solenne funzione, senza restar svergogniato dagli Scismatici, o per celebrare la consecrazione di qualche Vescovo, o per portarsi in fretta ai Tribunali ed alle Diete del Regno, abbia somma necessità degl'aiuti di qualche Abate, e ciò a fine di meglio difendere i dritti (f. 465v) della S. Unione, senza che abbia tempo di darne parte al P. Generale. Queste necessità furono dalla S. Sede sino dall'anno 1624 conosciute, alle quali la S. Congregazione sotto li 6 Settembre opportunamente provide: — *Patribus visum fuit maxime decere, ut saltem duo Episcopi compelli possint ad comitandum Metropolitanam dicta Comitiam adeuntem* —, ma accortasi di poi, che dall'assenza de' Vescovi nascevano maggiori disordini nelle Diocesi, ordinò nell'Anno 1643, 20 Novembre: — *Jussit scribi Metropolitanae, ut in proxima Sinodo suorum Rutenorum proponat necessitatem habendi secum adiutores pro Regni Comitiam, et de duobus Archimandritis ducendis tantum agat, cum non expediat Suffraganeos a residentiis suis avocare* —. Perciò le enunziative dal P. Generale inventate per la distruzione de' stabilimenti antichi, santi, e tanto utili alla S. Unione, sono troppo pericolose, e potrebbero col tempo generare maggiori danni alla Chiesa Rutena, ed alla stessa S. Unione.

G. — Quantunque l'odierno P. Generale²¹⁹ nell'ultimo Capitolo generale avesse attribuito a se l'autorità di concedere le permute e le alienazioni de' fondi monastici nulladimento la S. Congregazione nell'anno 1752, 26 Novembre, al Dubio propose: — *An de consensu Protoarchimandritae possint monasteria suos fundos permutare, seu alienare?* — Rispose: *Non licere sine Beneplacito Apostolico* —

Quando ancora i Metropolitanani di Russia, assistiti dalle Sagre leggi della Chiesa Orientale, anticamente autorizzassero le permute e le alienazioni de' fondi ecclesiastici, ciò però da molti anni non fanno senza il Beneplacito Apostolico, nè ciò fu mai dalla S. Sede proibito ad essi.

Se poi si credesse conveniente, che non sia più lecito al Metropolitanano di autorizzare le sudette alienazioni, potrebbe la S. Congregazione, senza irritare in verun

²¹⁹ Heraclius Lisanskyj (1751-1759).

conto l'antica Formola, dichiararlo in Delegato Apostolico per via di un Rescritto ad effetto di autorizzare la alienazione del li fondi abbaziali, con tali e tali condizioni, quali più piaceranno alla S. Congregazione.

69.

Polock, 2 . II . 1760.

De Missionibus Basilianorum eorumque modo nec non de supervisione Hierarchiae et facultatibus.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 785, f. 291rv, 293.

Eminentissime et Reverendissime Princeps.
Patrone Singularissime.

Transmissas gratiosissimas, cum adiuncto nomine Patris Proto-Archimandritae Ordinis Basiliani ²²⁰ Sacrae Congregationi porrecto memoriali, Eminentiae Vestrae literas uti ea, qua par est, reverentia excepi, ita pari fidelitate sensum meum exprompturus, non possum satis enarrare gaudium meum, quo ex tam sancto maxime Ruthenae Ecclesiae utili Patris Proto-Archimandritae proposito abunde sum perfusus; nil enim a longo tempore magis optabam, quam ut exercitium Sacrarum Missionum in Partibus Russiae vigeat, quod sane a Basiliana Religione, obsequio Ecclesiae, et insignis Sanctae Apostolicae Sedis liberalitas, qua complures Monachi in Collegiis Pontificiis in spem Sacrarum Missionum a tot annis educantur, et pia etiam in nonnullis Monasteriis Fundatorum mens olim iam non immerito postulabant, ut autem Sacrae Missiones recto ordine, a quo earum utilitas et fructus dependent, peragantur, non aliam, quam quae maxime legibus Ecclesiae consentanea est, rationem ineundam existimo, ut nimirum Monachi, qui ex Collegiis Pontificiis exeunt, aut qui sponte zelo animarum ducti operam suam in obsequium Ecclesiae devovent, si id eos afcere ex vero pietatis proposito Superiores Religionis (f. 291v) existimaverint, locorum Ordinariis praesententur, et a locorum Ordinariis approbati, debitisque ad exercendas cum desiderato fructu Missiones facultatibus instructi, ad ea loca, quae permaxime Apostolica huiusmodi opera indigere iisdem Episcopis videbuntur, locorum Parochis commendati, dirigantur; nunquam sane Episcopi alacrius facultates et gratias sibi a Sede Apostolica tributas communicare sunt parati, quam his viris, quorum laboribus commissas curae ipsorum Dioeceses ab erroribus et vitiis expurgari cognoscent; Hoc unicum adiungendum pernecessario existimo, quatenus Missionarii quotannis de statu et fructu huiusmodi Missionum sive ipsum immediate Metropolitanum sive respective loci Ordinarium distinctim informent, eundem ad finem, ut Metropolitanus, totum id, quod ex informationibus vel ipsorum Missionariorum vel Episcoporum hauserit, omni anno Sacrae Congregationi de Propaganda Fide referat. Diligentius quippe et Missionarii operam suam exercebunt, et Episcopi propagationi huiusmodi Apostolici laboris attendent, si quotannis rationem hac super re reddendam, et ipsorum diligentiam iudicio S. Congregationis subiiciendam esse intelligent. Haec omnia ut exacte observentur,

²²⁰ Cfr. notam praecedentem.

nihil efficacius iudico, quam ut Literis Apostolicis constituta et confirmata, ad notitiam cum Episcoporum, tum etiam Patris Proto-Archimandritae aliorumque subalternorum Ordinis Basiliani Superiorum deveniant, commendando Metropolitanorum (f. 293) diligentiae, ut hi statuto per Apostolicas Litteras Missionum exercendarum ordini invigilare satagant, et segniores, si qui aliquando inventi fuerint, ad exactam Statutorum observantiam excitent, isporumque hac super re negligentiam, si forte haec contigerit, supplere non intermittant. Hi sunt genuini et sinceri sensus mei, quos Eminentiae Vestrae afferro supplex, quatenus hoc sanctum ab antiquo iam tempore exoptatum Missionum exercendarum opus ad effectum quantocitius perducatur; cedit id in maiorem Praepotentis Dei gloriam, ardentissimum Eminentiae Vestrae zelum in exoptato animarum fructu aeternum perennare faciet; Me vero cum Coepiscopis meis ad fundenda coram Deo vota nostra novo vinculo obstringet. Quatenus Eminentiae Vestrae omni bonorum plenitudine affluentis in sacram aetatem incolumis comperta benevolentia Orthodoxa Russia quam diutissime perfruatur. Maneo tandem in osculo Sacrae Purpurae.

Polociae, die 2 Februarii 1760.

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus et humillimus Servus

FLORIANUS, totius Russiae Metropolitanus, Archiepiscopus Polocen. (mpr.)

70.

Strunie, 15 . VIII . 1760.

Obedientiam adpromittit et protectioni commendatur.

ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 278, fol. 73-73v.

Eminentissime et Reverendissime Princeps
Domine et Patrone Colendissime.

Nihil mihi esse antiquius exoptatusque existimo, quam ut mandatis Eminentiae Vestrae promptissimo animo paream, proinde ubi me Illustrissimus, Excellentissimus Dominus Nuntius ad sua obsequia vocare dignatus fuerit, nihil in me morae, nihil cunctationi reperiet. Erit id constans obedientiae et devotionis meae erga Sanctam Apostolicam Sedem testimonium, atque simul submissi animi mei, quo cuncta Eminentiae Vestrae mandata explere cupio, argumentum. Me denique et integram Roxolanam Ecclesiam gratiae, protectioni et benignitati Eminentiae Vestrae enixissime commendo, manens in religioso (f. 73v) sacrae purpurae osculo.

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae obsequentissimus et humillimus Servus.

FLORIANUS, Metropolita totius Russiae,
Archiepiscopus Polocensis (m.p.)

In Strunie, die 15 Augusti 1760.

71.

*Strunie, 17 . X . 1760.**Commendat suum Coadiutarem ad Comitia Regni Unionis defendendae causa exmissum, et negotia Ecclesiae Unitae explicat.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 31, fol. 108-08v.

Illustrissime, Excelentissime et Reverendissime Domine,
Domine Colendissime.²²¹

Nuper ex literis Domini Episcopi Vladimiriensis,²²² mei in hac Metropolia Coadiutoris, non absque maximo cordis dolore percepi, Schismaticorum tela contra Unitos maximum parari ministrosque Russiae, occasione praesentium Regni Comitiorum, id apud Serenissimum Regem totamque Rempubicam molituros, ut plurimas ecclesias, monasteria Basilianorum unitorum, ipsasque Dioeceses tandem Unioni Sanctae eripiant. Itinerandi potestas si mihi adhuc esset ad Regiam certo certius convolare, conatibus Schismaticorum viriliter responsurus. Cadentibus autem mea cum aetate viribus, non nisi praelaudato Coadiutori delegare possum, ut Varsaviam se conferat, strenue ibidem curaturus ne Rex Serenissimus quidquam, nobis inauditis, Schismaticorum praetensionibus responderi permittat. Cum autem vehementer pertimescam, optatum eiusdem Coadiutoris adventum aliquo casu praepediri, interimque Schismaticorum conatus effectum aliquem sortiri, validissimam Excellentiae Vestrae Illustrissimae et Reverendissimae operam ardentem imploro, ut maxima, qua pollet, auctoritate, Regios ministros oportune praemoneat, de recta et legitima necessitate suspendendi quamcumque ad Moschorum petitiones responsionem, quousque mihi aliisque Coepiscopis et Superioribus Religionis Basilianae plene non innotescat, quid? et quo fundamento? ab Unitis praetendatur. Haec sunt, quae in praesentiarum occurrunt Excellentiae Vestrae significanda, cuius insigni patrocinio Unionem Sanctam (f. 108v) meque ipsum enixissime commendo, et ad quaevis imperia eius promptissimam voluntatem meam exhibeo, atque in reverentissimo sacrarum manuum osculo permaneo.

Illustrissimae Excellentiae et Reverendissimae Dominationis Vestrae obsequentissimus et humillimus Servus.

FLORIANUS HREBNICKI, Metropolita totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis (m. p.)

Die 17 8-bris 1760, in Strunie.

72.

*Strunie, 7 . XI . 1760.**De Coadiutoria Finscensi et de persona Archimandritae Antonini Mlodowskyj.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 8, f. 746rv.

²²¹ Nuntio Varsaviensi, ut videtur iam novo, Antonio Eugenio Visconti (1760-1766).

²²² Felicianus Wolodkovyč (1758-1778), dein Metropolita Kioviensis (1762-1778).

Illustrissime, Excellentissime, et Rnd.me
Domine, Patrone Colendissime.

Gratiosissimas Excellentia Vestrae litteras, die 20 elapsi mensis ad me datas, summa, qua debeo, reverentia excepi, utque iis demandata mihi perfecte adimplere valeam, legi attente supplicem ab Ill.mo Rev.mo Domino Episcopo Pinscensi Sacrae Congregationi de Propaganda Fide porrectum libellum, adductasque in eo assumendi Coadiutoris rationes cum veritate plane convenire intellexi. Turoviensis quippe eiusdem Dioecesis, recenter magna ex parte e schismate ad Religionem Catholicam adducta, frequentes a Vicario Episcopi schismatici, Archimandrita Slucensi, insultus, et persecutiones experitur, eo periculosiores, quia et diffusis stagnis, et paludibus a Pinscensi Dioecesi remota, crebro ope praesentis Episcopi destituitur, et ipse Episcopusa pastoralibus ab anno millesimo septingentesimo trigesimo susceptis laboribus ingravescente in dies aetate, Coadiutoris subsidio indiget, ut hoc medio et recens conversos confirmare, et caeptum feliciter conversionis Turoviensis Dioecesis opus, quemadmodum in Domino speramus, perficere possit.

(f. 746v) Quod vero respicit personam R. Abbatis Mlodowski, hunc virum, dum ante decennium obsequio personae ad gerendum Vicarii mei Metropolitanus in spiritualibus munus necessarie indigerem, commendatum mihi a Superioribus Ordinis Basiliani habui, uti et meritis in Religione Basiliana conspicuum, et doctrina, probitate, caeterisque optimis dotibus praeditum; nec me haec recommendatio fefellit; impositum quippe sibi mei in spiritualibus Vicarii munus, per decenium iam ferme, non postrema integritatis, prudentiae et probitatis laude gessit, et adusque gerit, cum vero ter a me ad defendenda sub tempus Generalium Comitiorum Sanctae unionis iura contra Schismaticos delegaretur, egregia zeli, et perfectae rerum, iuriumque Sanctae Unionis peritiae dedit specimina adeo, ut et in post eundem non inutilem Religioni Catholicae tuendae, et promovendae, Deo iuvante, operam daturum existimo. Haec sunt, quae, ut properatis Excellentiae Vestrae exacte paream, fideliter enarranda habui, manens iugiter promptissima ad omnes nutus voluntate cum profunda veneratione.

Ill.mae, Excell.mae, et Rev.mae Dominationis Vestrae

obsequentissimus, et humillimus Servus

FLOR. HREBNICKI, Metropolita Russiae, Arch. Polocen. (mpr).

In Strunie, die 7. 9bris 1760.

73.

Polock, 1 . V . 1761.

In Causa Polocensi cum PP. Societatis Jesu petit finalem decisionem et intercessionem.

APF, Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni, vol. 9, f. 15rv.

Eminentissimi et Reverendissimi Principes,
Patroni Colendissimi.

Quod Eminentis Vestris praeclara benignitate placuerit, meam cum hocce Societatis Jesu Collegio quaestionem Emin.mo Poloniarum Protectori commendare, veluti humanissimis de 14 elapsi Martii ipsarum Literis edoceor, non aliam profecto in spem me, gregemque meum erigit, quam ut firmiter credamus universi, nihil pro Po-

ocensis litigii definitione abhinc emanaturum in Urbe, quod inflictis Unitis Unionique Sanctae vulnera relinquat intacta, quod Schismaticorum praetensionibus incaute additum pondus roborare videatur, quod Sanctae Unionis propagationi interpositum obicem non tollat, quodque saluti animarum in evidenti discrimine positae efficaciter non consulat. Vestra enim, Patres Eminentissimi, sollicitudine, consilio, providentia, et auxiliis grex Unitorum olim parvullimus ad decem prope Parochialium millia feliciter excrevit, et prospere maturescens non parum formidari suadet, ne, si antiqua vestrum, zelantissimi Patres, destituamus protectione, ulterioribus Sanctae Unionis progressibus diu aperta claudatur ianua, neve Schismaticorum molimine iura nostrum intringantur, atque etiam extinguantur. Agite ergo, Purpuratorum Optimi, ut qui hactenus ignorat tandem discat Russiam unitam vobis directe subesse, vestris imperiis gubernari, vestroque sine placito nec fortunatis frui nec obrui adversis posse. Proindeque rogo, (f. 15v) obtestorque nomen, aequitatem, maiestatemque PP. EE. Vestrarum, oppressis porrigite dextram, ne consueta Patrum S. J. praepotentia fideles Apostolicae Sedis filii, plurimis adusque passis, ad extrema deducamur. Haec sunt, PP. EE., quae utiliter successura credo, si inverterata, dispendiosa, molesta et scandalis repleta Polocensis controversia desideratum finem tollerabili quidem, ab Eminentis tamen Vestris probando medio, consequatur, quibus solis in Urbe genuinus Unitorum Unionisque Sanctae clarescit status adeo ut, si huius notionem S. Rota habuisset, non utique mea iura tanta ferocitate profligasset, nec Ritui Graeco undequaque sanctissimo notam impietatis adstruxisset. Deus Immortalis prosperet EE. VV. consilia, ipsasque publico Ecclesiae bono diu servet incolumes et fortunatos, quarum protectionem mihi, meoque Clero, populo, ac Ritui ardentissime implorans, maior qua possum veneratione, fidelitate, et obsequendi voluntate constanter permaneo.

Eminentiarum Vestrarum obsequentissimus et humillimus Servus

FLORIANUS, Metropolitā totius Russiae, Archiepiscopus Polocen. (mpr).
Polociae, die 1 Maii 1761.

74.

Polock, 6 . II . 1762.

Informat Nuntium Varsaviensem de Archimandriis Basilianorum, de eorum statu iuridico in Ecclesia orientali, de iure Episcoporum et more eas possidendi, nec non de quibusdam factis recentioribus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 98, fol. 47-48v (copia).

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.²²³

Ministrorum Sanctae Sedis Apostolicae imperiis summa, fas est in Domino gloriari, promptitudine, fidelitateque obtemperare assuetus eo libentius impleo mandatum, quo Excellentia Vestra Illustrissima et Reverendissima sub die 8-a praeterlapsi Februarii fidentius oportunas cupit ex me sumere notiones super Dermanen. et

²²³ Nuntio Varsaviensi Antonio Eugenio Visconti (1760-1766).

Dubnen. Archimandriis, superque iis etiam, quae Reverendissimus Episcopus Turoviensis²²⁴ etiamnum possidet.

Ad primum. Dermanensem ac Dubnensem Archimandrias non raro a Russiae Episcopis, accedente Ostrogiensium Ducum nominatione, obtentaque a suis Metropolitanis institutione, feliciter retinuisse, veluti a presenti quoque Reverendissimo Episcopo Vladimiriensi easdem duobus supra triginta annis possideri luculenter ex actis Curiae meae Metropolitanae edoceor. Cum tamen praefatus Episcopus circa annum 1759 e Chelmensi ad Vladimiriensem Ecclesiam non sine Metropolitana Coadiutoria translatus fuisset, pergrato utique tulit animo suum in Chelmensi ceteroquint enui Episcopatu successorem, Reverendissimum scilicet Maximilianum Rylo,²²⁵ ad praenuntiatas Archimandrias a Serenissimo Rege Ducatum Ostrogiensem pro tunc gubernante nominari. Sed eodem Ducatu ad Principem Janussium Sanguszko brevi ex post redeunte praedictaque nominatione vel exinde penitus evanescente, quidam monachus de nomine Benedictus Bulharyn²²⁶ non nisi ex sola fama mihi adusque notus a praelaudato Duce se ad easdem nominari Archimandrias obtinuit, literasque nominationis cum supplicatione pro sui institutione benedictioneque ad me transmisit quibus ego quoque acceptis, Reverendissimo Episcopo Luceoriensi,²²⁷ intra cuius Dioecesis praefatae consistunt Archimandriae ex nunc demandavi, ut partes meas implendo, consuetum de vita, moribus caeterisque supplicantis monachi dotibus deque genuino earundem Archimandriarum statu processum conficeret, singulisque praeterea undique legitimis compertis nomine et autoritate mea ad eiusdem religiosi institutionem et benedictionem procederet. Res tamen e diverso successit. Reverendissimo enim Episcopo Vladimiriensi super praedicta Chelmensis antistitis sorte vehementer indolente et easdem, quas nunquam dimiserat Archimandrias de Sedis Apostolicae beneplacito, una cum Coadiutoria Metropolitana firmiter retinente, ille iuvenis monachus, de quo paulo ante verba feci (f.47v) potenti laicorum suffultus patrocinio propriaeque vocationis fere immemor factus, vitam extra claustra non sine monasticae professionis dispendio traducere suorumque Superiorum mandatis adeo enormiter recalcitrare ausus est, ut solempni earundem praeprimis monitorio, deinceps autem ipso decreto a divinis suspensus et pro vago declaratus fuerit, promerueritque deinde saluberrimo Excellentiae Vestrae mandato captivari et tandem sententia Reverendissimi Luceoriensis Ordinarii pro apostata et excommunicato per Dioecesis promulgari, veluti ex quaternis foliis, quae hic adnecto, luculentius Excellentiam Vestram informari cupio. Utrum vero supposita aedificiorum, bonorumque Archimandritium iactura in facto subsistat plane ignoro; nunquam enim Congregationis monasticae Superiores Reverendissimo Episcopo Vladimiriensi usque ad ultimi Brestensis Capi-

²²⁴ Agitur, ut videtur, de Antonino Mlodowskyj, primum Coadiutore Pinscensium titulo Turoviensis, et dein Coadiutore Metropolitanae Wolodkovicz pro Eaparchia Volodymiriensi (1763-1778), quam anno 1778 ad breve tempus obtinuit, mox morte praematura abreptus (1778).

²²⁵ Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis (1759-1785), dein Peremysliensis (1785-1793) Cfr. J. CHOMA, *Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis et Peremysliensis* (1759-1793), Romae 1953.

²²⁶ De quonam monacho agitur non nobis constat.

²²⁷ Sylvester Rudnyckyj (1752-1777).

tuli sui Generalis tempora addictissimi hac super re fuerunt coram me conquesti; aliunde autem eiusdem antistitis in re oeconomica diligentiam satis compertam habeo, nec me latet, quibus curis, sollicitudine et dispendiis ipse Archimandriarum suarum bona, quae (ut considerari dignum) praememoratus Princeps nulliter adusque detinet, iure a multis annis vindicare satagat, quin detentoris comminationes unquam expavesceret. Ultimo denique loco superposita re mihi disserenti non absconditum est, eundem Reverendissimum Episcopum Vladimiriensem cum aestate prosc. ta Novogrodecum pro Congressu Hierarchico mecum convenisset faciliter propendisse, ut quas tenet, sponte dimittat Archimandrias, si prae laudato patrono ad easdem placuerit nominare P. Ignatium Jodko,²²⁸ quem genere clarum, moribus laudatum in sacra religione satis meritum, scientiis in Pontificio Vilnensi Collegio plane insignitum et denique ministerio Auditoris in Episcopali primum Chelmensi, hodie vero Vladimiriensi Curia sufficienter fungentem, atque a pluribus Regni proceribus mihi apprime commendatum Duci Ostrogiensi sub finem memorati Congressus commendavi, sed nondum quid ipse lucratus fuerit responsum accepi.

Quantum vero modernum Reverendissimum Episcopum Turoviensem²²⁹ spectat sequentibus pro consueta sinceritate me expedio. Is itaque nobilissimae stirpis sive ultimus rebus saeculi abdicatis a tenera aetate vitam monasticam amplexus, studiis in Urbe egregie absolutis, optimisque in religione docendo et praedicando positus meritis sub annum 1751 a sui Ordinis Superioribus et praecipue ab hodierno Lithuaniae Provinciali scilicet P. Heraclio Lisanski²³⁰ maximis laudibus precibusque urgentissimis mihi commendatus extitit, ut Metropolitanæ per Lithuaniam Dioecesis meae Vicariatum Generalem ipsi defferem (f. 48) utque in Polocensis Archimandriae Coadiutorem mihi eundem seligerem. Prestiti utrunque lubenter, dimisso praeterea eidem pleniore gubernio Archimandriae, quam ex Regia nominatione institutus a praedecessore meo bo. me. Leone Kiszka supra triginta annos possederam, quamque post mei in Russiae Metropolitanæ anno 1748 secutam renuntationem, de Sedis Apostolicae placito tunc retinueram. Integro itaque ministerii sui tempore laudatus Archimandrita cum praeclare singula gessisset, ab omnibusque summas proinde reportasset laudes, promeruit tandem ut anuo 1759 in Coadiutorem cum successione a Reverendissimo Episcopo Pinscensi,²³¹ aetate et laboribus non parum fracto, ac inter Schismaticos posito cunctis plaudentibus eligeretur. Hic autem reliquorum pauperimus antistes Pinscensis cum tenuitatem proventuum mensae Dioecesis suae vix ad sexcenta scuta Romana ascendentium se inter suumque Coadiutorem (nisi debito sustinendi Episcopalem dignitatem modo uterque destitueretur) partiri minime quivisset, id consilii optimum inivit, ut pro congrua proprii Coadiutoris sustentatione Suprasliensem Archimandriam in manibus meis sponte dimiserit; ad quam, accedente

²²⁸ Archimandrita Dermanensi erat anno 1756-1772 Alexander Jodko, non Ignatius. Hic ab anno 1744 Vilnae studiis incumbebat, eratque lithanus, natus an. 1725 circa.

²²⁹ Antoninus Mlodovskyj; cfr. notam 224.

²³⁰ Heraclius Lisanskyj, primum Protoarchimandrita (1751-1759), dein Provincialis Lithuaniae (1759-1763), et demum Archiepiscopus Smolenscensis (1763-1771).

²³¹ Georgius Bulhak (1730-1769). Coadiutor obtinuit titulum Eparchiae Turoviensis, unitae perpetuo cum Eparchia Pinscensi.

Comitis Chodkiewicz tamquam legitimi patroni assensu, praefatus Archimandrita ab eiusdem monasterii professoribus unanimo voto et ultro electus ac praeterita aestate pro more mea auctoritate institutus postque aliquot menses, provisa sibi utcumque honesta ex Polocensis et Suprasliensis Archimandriarum fructibus sustentatione, in Episcopum Turoviensem Coadiutoremque cum successione Pinscensem manuum mearum impositione consecratus fuit.

Rebus itaque sic ut supra exposui in facto stantibus inspectoque praeterea ex ipsa vetustate, stylo et status Russiae, cum nemini ambigendum sit Episcopos et praesertim Pinscenses ex patronorum nominatione, exque institutione a propriis Metropolitanis consecuta diversas frequenter obtinuisse Archimandrias easque vita durante semper tranquilliter possedisse, non video, ut verum fatear, cur Reverendissimus Episcopus Turoviensis ex una parte nihil proprii possidens, nec habens quid ex paupertate sui Coadiuti intra spheram honestatis petere valeat, altera vero ex parte magnis impensis summaque vigilantia bona ac aedes Archimandritales ad feliciter reducens statum et iure vindicans suisque monachis commoda praescripta lubenter et exacte praestans atque eosdem in regularis disciplinae observantia inque sacrorum rituum exercitio tum per se ipsum dum residet, tum si alibi degat per Vicarium a Superioribus regularibus sibi assignatum, eorundemque nutu amovibilem adamussim continens, hodie debeat ammittere, quas proinde gubernat Archimandrias? Nisi, quod absit, velimus, ut forsam ambitioni, cupiditati, invidiae vel nonnullorum vindictae placendo, aut dignitatem Episcopalem mendicando panis frustulum penitus deturpet, aut de Collegio Episcopali (f. 48v), cui summopere proficius a tota collaudatur Russia, ipsam fugiens turpitudinem omnino exulet.

Ad extremum duo mihi adhuc supersunt, de quibus nisi Excellentiam Vestram hac occasione certiolem, sinceritati meae profecto deessem. Alterum ergo est, quod Sacra Propagandae Fidei Congregatio sub annum 1671 habita declaraverit suam non esse voluntatem, ut Ruthenos Episcopos ad dimissionem Archimandriarum adigat, ne scilicet Schismaticis tollatur id, cuius spe ad Sanctam Unionem allici possint. Alterum denique est, quod cl. me. Card. de Archinto cum adhuc Nuntii Apostolici munus hocce in Regno praestantissime obiret,²³² advertens bella a monachis cont(ra) Episcopos Archimandriis gaudentes suscitata summa maturitate Sacrae Congregationi praelaudatae suasit, non melius provideri posse iustitiae et aequitati, quam si ab Aposolica statuatur Sede, ne deiceps Vladimiriensis, Luceoriensis, Premisliensis et Leopoliensis Praesules, veluti reliquis opulentiores, ullam retineant Archimandriam, bene vero Polocensis, Smolescensis, Chelmensis et Pinscensis Antistites, prioribus notabiliter tenuiores, possint gaudere Archimandriis. Planum aequissimum cui toto ex corde adhaerens firmiter credo, debita eiusdem executione futuris et monachorum et Episcoporum rebus consultum iri, indeque non mihi videor in vanum sperare, si Reverendissimo Episcopo Turoviensi, utpote caeteris Russiae Praesulibus ditiori, quas possidet Archimandrias dimittere amico praevenitur consilio, ea tamen lege, ut vel Reverendissimus Chelmensis ex pauperioribus Episcopus, cuius singuli praedecessores

²³² Albericus Archinto, Nuntius Varsaviensis (1746-1754), dein Cardinalis et Secretarius Status (1756-1758) Obiit die 30. IX. 1758.

Archimandriis gudebant, vel P. Iodko, Auditoris ministerio in Vladimiriensi Curia Episcopali satis meritis, aut demum quicumque alter e monachis dignior, sine laesione tamen legitimi patroni Principis Sangusko, et absque meae iurisdictionis Metropolitanae praeiudicio, easdem consequatur Archimandrias, quin monachus ille refractorius, de quo superius commemoravi, animum praelaudati Principis amplius exagitet deturbetque, nec diutius extra claustra divagetur, apudque laicos degat, sed potius ad monasterium, quo iussus fuerit se conferat, ut ibi tandem discat, quomodo Superioribus obedire debeat, antequam caeteris praesidendi sortem nanciscatur.

Haec sunt, quae pro rei veritate sentio, quaeque pro fidelitate mea iussus expono Excellentiae Vestrae, cuius validissimum patrociniū rebus meae Russiae, meisque propriis ardentem implorans, singula e coelis prospera intimo corde ipsi precor, atque reverentissimo cultu firmiter permaneo.

Illustrissimae et Reverendissimae Excellentiae Vestrae

obsequentissimus et humillimus Servus.

FLORIANUS, Metropolita, Archiepiscopus Polocensis (m.p.)

Polociae, 6 Februarii 1762.

I N D I C E S

INDEX NOMINUM ET RERUM

ADLABORANTE SAC. THEODORO TYSAK

Numeri simplices referuntur ad paginas, numeri vero signati « n » ad notas voluminis.

- ABBATES 97. 221. 222. 278. 279. 368. 399.
400. 401. 402. 403. - Episcopi 399. 400.
401. 403. 410. 411. - obedientia 400. - or-
namenta 212. 376. 402; - v. Boryso - Hle-
bov., Braclav., Cervenec., Dermanen.,
Dubnen., Kiovo-Pecz., Leopoliem., Miele-
cen., Onufrien., Ovruoen., Polocem., S. Cru-
cis, Suprasl., Turovien., Uniov., Vilnen.,
Zydyčynen.
- ABBATIAE 101. 209 214. 301. 303. 392.
393. 395. - Administratores 210. 211. - Bo-
na 220. 222. 223. - Fundatores 62. 210. 401.
402. 403. - v. Dorohubscen., Kiovo-Pecz.,
Suprasl., Zydyčynen.
- ABSOLUTIO in diverso Ritu 141. 148.
- ABUSUS Collatorum 195.
- ADAE filii 309.
- ADMINISTRATIO Metropoliae Kiovien.
231. 257. - Ecclesiae 341. - Sacramento-
rum 159. 161. 164. 168. 174. 284. 286. 323.
328. 343. 345. 346. 366.
- ADMINISTRATOR Ecclesiarum vacantium
377. 378. 379. - Metropolitanus 248. 259.
260. 262. 263. 264. 266. 268. 269. 270. -
Metropoliae Russiae 33. 34. 35. 36. 37.
38. 39. 40. 41. - v. Kiszka, Camenecen.,
Halicien., Leopoliem.
- ACADEMIA Bathorea 233n. v. Vilno.
- Mohylana 363n.
- ACEPHALI 51. 53.
- ACTA Antonopolitana 218. - Capitularia
262. 294. - Cap. Dubnen. 215. - Cap. Gen.
Beresten. 293. - Castrensia Novogroden.
271. - Castrensia Volodymyren. 150. -
Congr. de Prop. Fide 67n. 288. 363n. -
Curiae Varsavien. 386. - Leopoliem. 225.
270. - Publica 83. - Nuntiaturae 119.
- ACCUSATIONES Ep. Luceorien. lat. 139.
- AEDES Divi Athanasii Romae 131. -
SS. Sergii et Bacchi 22. 26. 27.
- AEDIFICATIO Eccl. Cathed. Leopoliem. 223-
225.
- AGAMEMNONIS signa 327.
- ALBA Ducalis 371.
- ALBERICUS de Archinto, Card., Nunt.
Varsavien. 150. 236. 237. 244. 245. 255n.
266. 267. 269. 272n. 275. 276. 283n. 290n.
293n. 380n. 385. 411.
- ALBANENSES 317. 340.
- ALBIGANENSES 45.
- ALEXANDER PP. VII. 94.
- ALEXANDER M. Dux Lithuaniae 301.
- ALEXIUS M. Dux Russiae 15n. 41. 42. 49
- ALEXIUS Metrop. Kiovien. 364.
- ALLATIUS Leo 339.
- ALUMNATUS Vilnen. Ruth. 351. 352. 353.
- ALUMNI Coll. Graeci 148. - Coll. de Prop.
Fide 12; 13. - Coll. Leopoliem. 105. - Semina.
rior. 122. 123. 233. - Romani 241n. 255.
281n. 303n. - Volodymyr. 378. 379.
- ALTARE Portatile 90. 91.
- AMBROSIANUS hymnus 270.
- AMFIPOLITANUS in Macedonia, Ep. 129n.
- ANATHEMA Mazepae 42n.
- ANDRONICUS Imperat. II, III, IV. 85.
- ANGLORUM Legatus 138.
- ANCONITANUS Ep. 259n.
- ANDRUSOVIENSIS tractatus (s. d. Pax),
297n. 371. 385n.
- ANENSE Monasterium, in Slavonia 132.
- ANNA Constantinopolitana 295.
- ANNALES Nestoris 6.
- ANNUNTIATIO BVM 203.
- ANNULUS Piscatoris 342.
- ANTIBARENSIS AEp. 346.
- ANTICHRISTUS 42. 43.

- ANTIMENSIA 61. 90. 286.
 ANTIMETROPOLITA Kiovien. 296. 297.
 ANTIOCHENUS Patriarcha 343.
 ANTISTITES 91. 289. 333. 337. 342. 363
 364. 411. v. Episcopi.
 APOSTATAE 63. 129. 130. 131. v. Szum-
 lanskij C., Wietrzynski.
 APOSTOLATUS 82.
 APOSTOLUS Ucrainae 362. 390.
 AQUA benedicta 43.
 ARCHIDIOECESIS Metropolitana 76. 281.
 294. 299. 300. 302. 347. 348. 349. 357.
 361. - Polocensis 248. 280. 281. 294. v.
 Archieparchia.
 ARCHIEPARCHIA Polocensis 13n. 21. 40.
 41. 66. 82. 128. 232. - Smolescen. 234n.
 301.
 ARCHIEPISCOPI Armeni 346. -- Latini
 287. 288. 346. - Rutheni 72. 73. 259. 283.
 284. 287. 288. 342. 403. v. Antibaren.,
 Gnesnen., Iconien., Jadersis, Kiovien.,
 Larissae, Leopoli, Nicaenus, Polocen.,
 Smolescen.
 ARCHIMANDRITAE OSBM 72. 73. 86.
 357. 377. 391. 392. 408. 410. v. Dorohobu-
 scen., Grodnen., Kiovo-Pecz., Onufrien.,
 Ovrucen., Supraslien., Unio., Serbiae,
 Mincen., Zydyczynen.
 ARCHIAMANDRIAE 115. 123. 409. 411.
 412. v. Dorohubuscen., Dermanen., Dub-
 nen., Kobrinen., Kiovo-Pecz., Mukaezo-
 vien., Onufrien, Pustinen., Unio., Vil-
 nen., Zydyczynen.
 ARCHIMANDRITA non unitus 363.
 ARCHIVA Romana 7, Publica 370.
 ARCHIVUM Capituli 7, - Metropolitanum
 263. 267. 300. 370. - Reg. Pol. 138.
 AREATT Tobia, S. J., Rec. Acad. Viln. 233
 ARIUS, haerst. 397.
 ARMENI 217. 288. - Poloniae 340. 346. -
 Praefectus 55. - Legatus 113.
 ASOPH (Azov, Oziv), opp. 42.
 ASSISTENS Solii Pont. 236. 237. 266. 267.
 280. 281. 357. 375. 376. 377. 394.
 ASSUMPTA in Coelum BVM, Eccl. Ca-
 thed. Viln. 297. 298. 366. - Eccl. Cathed.
 Minscen. 366.
 ATHANASIUS S. 91.
 AUCTORITAS Apostolica 12. 235. 257.
 237. 261. 270. 276. 379. 388. - Pontificia
 382. 399 - Metropolitana 281. 292. 293.
 294. 376. 379. 391. 392. - Regia 338.
 AUDITOR Nunt. Apost. Poloniae 196. 199.
 235. 236. 237. 240. 243. 244. 245. 271. -
 Curiae Archiep. Polcen. 268. - Romanae
 Rotae 92. 93. 94.
 AULA Moscov. 249n. 256n. - Regis Pol.
 235n. 283n. - Vienn. 37. 38n. 127n. 183n.
 - Peterburg. 373. 374.
 AUGUSTUS II, Rex Pol. 249. 324. 325. 355.
 AUGUSTUS III, Saxo, Rex 121n. 34. 235n.
 237. 282n. 283n. 337. 338. 345n.
 AUGUSTYNOWICZOVA domina 223.
 AUSTRIAE Princeps 14.
 ATHOLI gens 317.
 BALABAN Gedeon, Ep. Leopoli. 84
 85.
 BALSAMUM Sacrum 113.
 BANDINI Octavius, Card., Archiep. Fir-
 manen. 91. 341. 342.
 BAPTISMUS Sacram. 59. 112. 161. 164
 239. 241. 243. 274. 340. 343. 344. 398. -
 Ucrainae 295.
 BARACHTY, bona Metropol. 384. 385. 386
 387. 388.
 BARASZOVIENSIS Decanatus 299. 367.
 BARBERINI Carolus, Praef. de Prop. Fi-
 de 12n. - Franciscus 170.
 BARBOSA 45.
 BASILIANAE, Moniales Ordinis S. Basilii
 Magni 89. 141. 142. 234. 284. - Monaste-
 ria 141. 142. 300. 368. 372. 373.
 BASILIANI (Ordo S. Basilii Magni, Mona-
 chi Rutheni, Monachi S. Basilii Rutheni,
 Monachi uniti) 5. 6. 7. 21. 23. 28. 35. 39
 61. 65. 76. 89. 95. 97. 100. 109. 116. 117.
 118. 123. 130. 131. 141. 156. 179. 215.
 216. 220. 231. 233. 234. 239. 241. 242.
 251. 254. 255. 260. 261. 262. 263. 264.
 265. 266. 267. 268. 272. 278. 279. 285.
 287. 289. 290. 292. 293. 297. 298. 300.
 301. 303. 315. 326. 344. 345. 357. 358.
 366. 382. 368. 369. 370. 371. 373. 375.
 380. 391. 392. 399. 400. 402. 403. 404.
 405. 408. 410. 411. 412.
 — Protoarchimandrita 5. 13. 17. 18. 19. 23
 26. 27. 29. 38. 64n. 65. 72. 86. 89. 110.

130. 186. 187. 206. 213. 214. 216. 218n
253n. 254. 261. 263. 266. 267. 269. 270.
304. 341. 382. 395. 402. 403. 404. 405.
410.
- Erotoarchimandrita Provin. Lithuan.
88. 89. 142. 143. 209. - Provin. Ruthen.
266. 267. 269. 270. 402. v. Archimandritae.
- Capitulum Generale 18. 19. 29n. 65. 101n.
118. 206. 218. 219. 253. 254. 258. 260.
279. 289. 290. 293. 326. 400. 402. - Bi-
laen., Bythenen., Dubnen., Leopoliën.,
Novogrodën., Polocen., Vilnen., Volo-
dymyren.,
- Commissarius Generalis 278. 279.
- Congregatio Monastica 142. 251. 368.
369. 399. 400. 401. 402. 404. 409. - Par-
ticularis 214. 273. 382. - Protectionis
BVM 204n. 206. 207n. - SS. Trinitatis
18. 254. 300n.
- Constitutiones 261. 262. 294. 369. 405.
- Consultores Generales 18. 35. 86. 219.
259. 241. 261. 266. 290. 369.
- Causae Basilianorum 109. 117. 357.
- Cappella Bas. 371.
- Generalis OSBM 219. 221. 368. 369. 375.
377. 380. 399. 400. 401. 402. 403. 410. v
Protoarchimandrita.
- Igumeni (Superiores) OSBM 14. 72. 73.
76. 101. 103. 117. 239. 241. 293. 404.
405. 407. 409. 410. 411.
- Missio Bas. 404. 405.
- Monasteria 5. 18. 20. 40. 76. 86. 88. 89.
97. 109. 115. 131. 132. 142. 143. 192.
206. 221. 222. 223. 234. 255. 272. 284
289. 300. 303. 368. 389. 393. 401. 402. 404-
406. 411. 412. - v. Berezveč., Borunen.,
Buczacen., Bythenen., Chelmen., Dub-
nen., Kiovo-Peczaren., Kuznicen., Lau-
rovien., Leopoliën., Lublinen., Milecen,
Onuphrien., Ovručen., Počaiovien., Po-
locen., Pustynen., Sancti Salvatoris ad
Montes, Suprasl., Uniovien., Verchovien.,
Vilnen., Vitebscen., Volhyniae, Wicynen.,
Zyrovic.,
- Monasteria - v. Lithuaniae 273. - Ser-
biae et Slavoniae 132.
- Procurator Generalis OSBM 24. 400. -
Lithuanus in Regno Pol. 208. 209. - in
Urbe 17 n. 19. 20. 22. 23. 36. 37. 38n. 40.
45. 64. 65. 98. 108. 117. 193. 205. 206.
207n. 214n. 220. 221. 239. 253. 254. 364.
- Varsaviae 241. 242.
- Processus 109. 117.
- Professio monastica 265. 369. 375. 400.
- Provinciae Basilianae 221. 272. 290. 402.
- Polona 89. 212. 213. 402. - Protectio-
nis BVM, Ruthena 215. 216. 218. 219.
222. 223n. 224. - Russiae 206. 207. -
SS. Trinitatis, Lithuana 206. 207. 208.
209. 210. 213. 215. 218. 219. 221. 231.
239. 241. 253n. 268n.
- Novitiatus 5. 66.
- Religio Basiliana 24. 65. 66. 86. 116
118. 166. 193. 206. 213. 254. 263. 264.
285. 358. 404. 406. 407. - Religiosi 202
239. 242. 262. - Alumnus 194. - Vitae 7.
- Vocallium num. 218. 219.
- BASILICA S. Mariae Maioris 343. - S. Pe-
tri 50. - Polocensis 14.
- BASILIVS S. 91. 400. - Religio S. Basilii
233. 315. - Basilius, Imperator Constan-
tinopol., 295. - Basilius senator 95.
- BATHORY Stephanus, Rex Poloniae 11n.
92. 95. 133. 233. 288. 292. 352. 359.
360. 361. 371.
- BENEFICIA 50. 51. 53. 83. 87. 136. 283.
284. 286. Apostolica 177. - Ecclesiastica
Ruth. 293. 329. 344. 346. 370. - Mona-
steriorum 279. 301. - Cleri Ruth. 250.
352. 353.
- BELLAVISTI, Sacerdos 67.
- BELEJOVIENSIS Curator 213.
- BEOTII, gens 317.
- BELLUM cosacicum 82. 119. 120. 319n.
326. 355. - inter Catholicos 321. -
Svecicum 374.
- BENDERY, opp. 42n.
- BENEDICTUS PP. XIII 157. 208. 209.
258.
- BENEDICTUS PP. XIV 107n. 216n. 222.
236. 237. 268. 266. 267. 268. 269. 279n.
280. 310. 312. 343. 388.
- BENEPLACITUM Apost. 403
- BERDYCZOVIENSIS Decanatus 367.
299.
- BELZENSIS Palatinus 82.
- BEREZVECZ civ. 13. 17. Monaster. 5.
13n.

- BERLO Arsenius, Ep. Perejaslav. 231. 249n. 256n. 355. - Barlaam, Ep. non unitus Mohilov. 249. 256.
- BEYNER Gedeon, Abbas Zydyczyn., 384.
- BIALOCERCOVIA, opp. 385. - Decanatus 367.
- BIALOZOR (Bilozor) Martianus, Archiep. Poloc. 18. 19. 81. 355.
- BIALA, opp. 289. 290. - Capitulum 5. - Decatanus 373.
- BIELARUSJA 6.
- BIELINSKI Dominicus, Praef. Curiae Viln. 388.
- BIELSKI Patricius, OSBM, Archim. Zimnensis 125. 127.
- BIBLIOTHECA Polocen. 371.
- BIENIECKI Andreas, OSBM, Archim. Ovrucen. 125. 127. 212.
- BIESECKI Basilius, Actuarius Volodymyrien. 270.
- BIESZENKOVIENSIS Decanatus 374.
- BIGAMIA 194. 200. 201.
- BIOGRAPHIA v. 5. 9. (Kiszka); 155. 157 (Szeptyckyj A.); 231. 233 (Hrebnyckyj)
- BILYNSKYJ Hypatius, OSBM, Provincialis, 218.
- BONA acquisita 81. - Patrimonialia 21. - Possesores 81. 339.
- BOBRUYSCENSIS Decanatus 298.
- BODAVENSE Monast. in Serbia 132.
- BOHACZEVSZKYJ Moyses, Offic. Leop. 225.
- BOHUSLAVIENSIS Decanatus 299. 367.
- BOBROWSKI Joannes 93.
- BOJARSKI Innocentius 211.
- BOLYNICENSIS Decanatus 374.
- BLONSCENSIS Decanatus 298.
- BONA regalia 19.
- BONAMICIS de Carolus, Not. Apost. 94.
- BORECKYJ Hiob, Metr. Kiov. non unitus 296. 363.
- BORUNENSE Monast. 117. 118. 130.
- BORUNIA, opp. 24. 25.
- BORYS, Princeps Poloc. 371.
- BORYSSOVIENSIS Decanatus 374.
- BORYSTHES, fl. 63. 249n. 251. 295. 319. 362.
- BRACHARIENSIS Synodus 112.
- BRACLAVIENSIS Abbas 275. 276. - Decanatus 76. 299. 347. 349. 356. 367. 374. - Palatinus 75n. 76. 195. 299. 302. - Parochus 139. 140. 141. 142.
- BRAHILOVIENSIS Decanatus 299. 367.
- BRAHINENSIS Decanatus 299. 367.
- BRASOVIA, opp. 73.
- BREST (Berest), opp. 62. 134. 135. 136. 137. 289. 290. 301. - Capitulum 293. 294. 409. - Cathedra 64. 296. - Dioecesis 66. 77. 87. 330. - Episcopus 267.
- BREVE Apost. 99. 100. 101. 106. 114. 115. 134. 135. 137. 266n. - Pontif. 11. 252. 258. 259. 305. - Benedicti XIII, 105n. 208. 209. 262. 306. 350. - Clementis XI, 6. - Clementis VIII, 370n. - Urbani VIII, 144.
- BREZANENSE opp. 163.
- BYCHOVIENSIS arx 251. - Decanatus 250. 251. 374. - Gubernium 250. 251.
- BYKOWSKI Therapont, OSBM 29.
- BYTHEN opp. 5. 16. - Capitulum 5. 326. - Consultor 18 - Monasterium 233.
- BUCZACENSE Monast. 89.
- BULGARI, populus 317.
- BULHAK Georgius, Ep. Pinscen. 270. 300. 306. 332. 350. 358. 364. 377. 379. 384. 394. 410n.
- BULHARYN Benedictus OSBM 409.
- BULLAE 40. 43. 97. 125. 159. 166. 177. 178. 179. 180n. 181. 238. 240. 242. 244. 258n. 276. 281. 295. 296. 305. 336. 345. 386. - Calabrina 383. - Clementis VIII, 23. 83. 86. 102. 161. 282. 283. 300. 302. 390. - Institutionis Metropol. 264. 301. - Pauli V, 339. - Pii IV, 288. - Urbani VIII, 327. 329. 344. - Unionis 287. 390.
- BULSKI Boguslav 223.
- BUSOVISKA, bona Episcop. 220.
- BUTIO Andreas Vincentius, Prothonot. Apost. 236. 237. 238. 244. 245.
- BYCHOV, civit. 250. - Comitatus 250. 251.
- CAENOBIA monach. schismat. 370.
- CAETUS fidelium Roxol. 260.
- CALABRI 288. 336. 342.
- CALABRIA 189. 217.

- CALENDARIUM 287. - Graecum 119.
- Latinum 285. - Novum 85. 86. 347.
348. - Revisio 62. - Vetus 11. 375.
- CALVINISTAE 288. 308. 318. 319. 332.
369.
- CAMENEC opp. 18. - arx 324. 325. - Epi-
scopatus 75. 158. 159. 160. 161. 163. 166.
- CAMILLIS de Josephus, Ep. Mukačovien.
18n.
- CAMILLUS Paulutius, (Merlino) Card.,
AEp. Iconiensis 157. 170. 185. 197n.
249. 256.
- CANCELLARIUS R. Pol. 238. 342. - AE-
piscopi Polocen. 376. 379.
- CANCELLARIA Regia 355.
- CANONES Sacri 86. 89. 92. 111. 113. 197.
226. 237. 275. 281. 288. 300. 367. 372. 375.
379. 398. 402. 403. 404.
- CANONICI Volodymyr. 378.
- CAPITULARES Constitutiones 214. -
Acta 262. 294. - volumen 6. - Archivum 7.
- CAPITULUM Generale, OSBM. - v. Basi-
liani. - Synodale 172. - Metropolitanum
368. 398.
- CAPITA accusationum c. Ep. lat. Luceo-
rien. 140.
- CAPITON (ex secta Philippi) 140.
- CAPUT Ecclesiae 307. 313. 323. 397. 398.
- Nat. Ruthenae 399.
- CARDINALES Congr. de Prop. Fide 179.
- S. Sixti 343.
- CAROLUS S. eccl. in Urbe 372. - Caro-
lus IV, Imper. S. R. Imperii 381. - Ca-
rolus XII, Rex Suecorum 34n. 42n.
- CAR Moscoviae 14. 15. 42. 81. 85. 68. 103.
234n. 363n.
- CASTELLANUS Cracov. 163. - Volhyniae
121.
- CASIMIRUS Joannes, Rex Pol. 326.
- CASIMIRUS, Mag. Dux Lith. 301.
- CATHEDRATICUM (subsidiium) 45. 46.
47. 77. 87. 94. 113. 174.
- CATECHISMUS Metrop. Leonis Kiszka 6.
111. 112. 127. 128. 129.
- CATHOLICI 14. 43. 274. 363. - Graeci Ri-
tus. 259. 338. 370. - Orient. Eccl. 147.
394. Romani 147. 233. 314.
- CATHOLICA Missio 249.- Christi Ovile 249.
- Propaganda 395. - Veritas 365. 373.
- CAUSAE bonorum Polocensium 24ln. 242.
249. 259n. 360. 361. 380. 388. 389. v. Li-
tes. - effusionis Sang. Christi in terram
91. - Fiscalis Metropol. 210. - de Deci-
mis 93. 94. - Grodek et Obarov 119. 120.
121. 122. - Wietrzynski 130. 131. - Pa-
rochi Zavoroviensis 141. - Coadiutoris Me-
tropol. 385.
- CAVALIERI de Silvius, Secr. de Prop. Fi-
de 30 n. 71.
- CERVENENSIS Abbas 162. 162.
- CHARKIEVICZ Innocentius, Suprasl. Vi-
car. 170.
- CHELM (Cholm) 5, opp. 369. 9. - Dioece-
sis 66. 67. 68. 82. 97. 88. 89. 92. 93. - E-
piscopus 200. 201. 24ln. 260. 265. 271.
288. 291n. 295. 300. 320. 341. 346. 347.
348. 349. 350. 363. 367. 376n. 377. 379.
385. 386. 387. 409. 411. - Ecclesia 362.
409. - Bona 48. 77. - Monast. 89. - Coa-
diutor Metrop. 232. 267. 377. 379. - Curia
Ep. 410.
- CHMELNYCKYJ Bohdan, dux cosacorum
82n. 120n. 297. 318. 319. 363. 385n.
- CHODKIEWICZ, comes 411.
- CHOTIACZOW opp. 141. - beneficium p -
rochiale 141.
- CHOLHANSKI Michael, Scholasticus Leo-
pol. 55. 57.
- CHRAPINA 14.
- CHRISOBERGA Nicolaus, Patr. Constant.
294.
- CIOCIERZYNENSIS Decanatus 374.
- CIUDNOVIENSIS Decanatus 299.
- CLADES Polocensis 15. 16.
- CLAUSTRUM Sanctimonial. 203.
- CLECENSIS Decanatus 298.
- CLERUS Catholicus 218. - Lat. 336. - Ruth.
285. 315. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352.
366. 372. 408. - Unitus 217. - non unitus
217. - saecularis 367. v. Metropolitanus,
Peremyśl., Volodymyr., - Beneficia 250.
352. 353.
- CLEMENS PP. VIII 45. 50. 82n. 119. 146.
148. 172. 187. 189. 288. 318. 342. 348.
357. 362. 370n. 389. 390. 395. 396.
- CLEMENS PP. IX 53. 57.
- CLEMENS PP. XI 71. 78. 110.
- COADIUTOR Cracoviensis 386n. - Leopoldo-

- liensis 20. 27. 28. - Metropoliæ Kiovien.
20. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. -
169. 184. 186. 231. 233. 247. 281. 291. 347.
248. 349. 363. 376. 377. 379. 384. 385. 386.
387. 406. 409. - Peremyslen. 198. 259. -
Polocen. 231. 232. - Vilnen. 250. 252. 273.
COBILENSE Monast. in Slav. 132.
COLLEGIUM Episcoporum lat. 115. - E-
piscoporum Ruth. 53. 82. 90. 143. 144.
146. 189. 225. 226. 260. 261. 271. 390. 411.
COLLEGIUM Pont. Graecum 13. 22. 23n.
27n. 49. 90. 255. 285. - De Prop. Fide 5.
11. 12. 16. 21. 24. 38. 19In. v. Leopoldis,
Polocen., Praga, Varsavia, Vilno. - Pon-
tificia 404.
COMMENDATARIUS Chelmensis 93. 94.
COMITIA Regni Poloniae 100. 102. 103. 120.
122. 134. 135. 137. 138. 195. 253. 288. 331.
336. 374. 393. 403. 407.
COMMISSARII Apost. 236. 238. 240. 243.
244. 245. 275. 300. 325. 345. - Dioecesium
324. - Metropolitanum 364.
COMMISSIO pro Processu 237.
COMMUNIO Sacramentalis 286.
COMPENDIUM Casuum Conscientiae 111.
112. 127n.
CONCILIA Aurelianum 51. - Oecumenica: 73
275. 316. 397. 398. 401. - Acta 111. - Con-
stantinopolitanum I, II, III, IV. 397. 401.
- Chalcedonense 397. 401. - Ephesinum
397. 401. - Florentinum 73. 85. 112. 346.
362. 364. 397. 398. - Tridentinum 45. 71.
73. 83. 89. 91. 179. 184. 185. 275. 344. 398.
- Nicaenum I, II, 397. 401.
CONFRATERNITAS Stauropigiana Leo-
pol. 73. 155. 208. - Exemptio in iurisd. 174.
177. 178. 180. 181. 182. 183. 207. - Erro-
res 179. - Typographia 178. 179. 181. 183.
Polocen. 372. 373.
CONGREGATIO Concilii S. 54. 210. 259.
381. - de Propaganda Fide 9. 12. 13. 18.
19. 21. 22. 23. 30. 35. 36. 37. 38. 39. 44.
49n. 53. 61. 65. 70. 71. 78. 80. 81. 87. 88
90. 98. 99. 100. 102. 103. 104. 105. 107.
108. 109. 110. 111. 116. 117. 118. 122. 126.
129. 130. 131. 136. 143. 148. 171. 176. 179
188. 190. 194. 205. 213. 215n. 218. 219.
225. 231. 247. 248. 255. 257. 258. 260. 262.
264. 272. 277. 285. 286. 288. 290. 206. 307.
310. 311. 315. 319. 320. 322. 333. 334. 335.
337. 339. 340. 341n. 342. 351. 352. 378.
379. 381. 385. 399. 401. 402. 403. 404.
407. 411. - Acta 288. 341. - Archivum 313.
318. 319. - Decreta 207. 263. 264. 286.
300. 310. 311. - Praefectus 334. 340. 360
377. 378. 385. - Rituum 315.
CONFIRMATIO Abbatum 395. - Sacramen-
tum 42. 112. 159. 161. 164. 168. 238. 239.
241. 243. 274. 398.
CONFESSARIUS 60. 146. 147. 214. 286.
335. 342. 343. 344.
CONFESSIO Sacram. 59. 90. 113. 146. 147. 148.
CONGRESSUS Hierarchicus 382. 388. 389.
390. 400. 403. 410. - Synodalis 172.
CONCORDATUM 300. 305. - Inter Epis. et
Metropol. 144. 346. 347. 348.
CONSTANTINOPOLITANUS Patriarcha
20. 177. 362. 364. 365.
CONSTANTINUS, Imper. Constantinopol.
295.
CONSTITUTIONES Apostol. 214. 237. 300
303. - Gregorii XIV. 236. - Capituli
Dubnen. 261. 262. 294. 369. - Regni 195-
263. 383. - Synodales 248. 258.
CONSUETUDINES Eccl. Graecae 351. .
Eccl. Ruth. 368. - Relig. Orthodox. 390.
CONVERSIO non Unitorum 231.
CORPUS Christi Dom. 42. 49. 597. 398.
CORRADI Josephus Med. Doctor 225.
COSACI (Chosachi, Kozaki) 42. 143. 195.
196. 297. 321. 326. 3 62. 363. 385n. - Za-
porovienses 319. 320. 327.
COSTA Jacobus 197.
COTTONI Caietanus 105. 178. 176. 180.
COWINESCENSE Monast. in Slavonia 132.
CRACOVIA, opp. 312n. - Canonicus 141.-
Palatinus 344.
CREDO, Symbolum f. 55. 184. 397.
CREWICENSE Monast., in Slavonia 132.
CREWZA Leo, Archiep. Smolense. 81.
CRISMA Sacrum 59. 112. 113.
CROATI, gens 317.
CRUSEDENSE Monast., in Slavonia 132.
CRUX 43. 287. 367. - Abbas S. Crucis 377.
CURIA Generalis Causarum 236. 237. - Me-
trop. Kioviensis 282. 376. 377. 379. 386.
388. 400. 409. - Regni Pol. 243. 244. 387.
- Romana 249. 370.

- CYPRIANUS, Metrop. Kioviensis 86. 95. 364.
 CYPRIANUS S. 111.
 CYRILLUS S. 91.
 CYRILLUS III, Metrop. Kioviensis 364.
 CYRINENSIS Decanatus 298.
 CZAPLIC (Czaplic) Marcus, Archimandrita Dorohob. 375.
 CZARKOVSKYJ Athanasius, Proc. Gen. in Urbe 221.
 CZARTORYSKYJ, Princeps 197. 200.
 CZASZICENSIS Decanatus 374.
 CZECZELNICENSIS Decanatus 299. 367.
 CZEHRYNENSIS Decanatus 299. 367.
 CZEREJENSIS Decanatus 373.
 CZETVERTYNSKYJ Sviatopolk Sylvester, Ep. non unitus Mohilov. 234. 249.
 CZUDNOVIENSIS Decanatus 76. 367.
 CZUKOVIENSIS Ecclesia S. Joannis Theologi 357.
 CZULSKI Josephus Jacobus, Legatus Nun. 235.
- DALMATI, pop. 340.
 DAMIANUS Dernoviensis 194.
 DANIEL, Rex Galiciae 92n. 94. 364n.
 DASZKOWKA, opp. 250. 251. - ecclesia paroch. 250.
 DECRETA 54. 238. 239. 241. 242. 244. 261. 270. 278. 288. 305. 311. 312. 335. 401. 402. - Archiepiscop. Polocensis 159. 161. 249. - Cardinalis S Sixti 343. - Congreg. Particularis 258. - Electionis 247. - Con. Florent. 346. - Con. Trident. 158. 236. - Ad Melchitas 337. - Pontificia 11. 63. 111. 333. 335. 337. 341. 352. 374. 400. - Publica 203. - Nuntiaturae 300. - Regni P. 69. 355. 372. - Tribunal. Apost. 110. - Urbani VIII 91. 337. 338. 343. 344. 345. 383. 390. 392. - Synodalia 71.
 DECRETALIA S. Sedis 218n. 343. 400. 401. 402.
 DECANATUS (Decani) 72. 73. 77. 88. 91. 299. 347. 367. 373. 377.
 DECIMAE 67. 87. 92. 94. 113. 288.
 DEFENSOR vinculi 366.
 DELEGATUS Apost. 57. 362. 401. -02. 404.
 DENEFELT Franciscus, Collonellus 223.
 DENEFELTOWA Sophia 223.
 DEPOSITIONES testium 237.
- DERMAMENSIS Archimandria 89. 377. 408. 409. - Archimadrita 410n.
 DIACONI Ruth. 344.
 DIARIUM Polocense 14. 234n.
 DIDOUSZCZYNA 302.
 DIGNITAS Metropolitana 369. 370. 371.
 DIOCESARIENSIS Ep. 250. 252.
 DIOECESES 71. 234. 241. 283. 284. 291. 292. 303. 349. 400. 401. 402. 404. 406. - Lithuan. 67. 68. Ruth. 71. 349. 392. - Volhyniae 254. v. Bresten., Camenecen. Leopold., Luceorien., Metropolitana, Mohilovien., Pinscen., Polocen., Smolenscen., Volodymyrien.
 DIOSCORUS, haereticius 397.
 DIPLOMATA Regum Pol. 69. 301. 390. - Augusti II, 195. - Joannis III, 209. - Michaelis 209. - Vladislai IV. 209. - Leonis, duc. Rus. 92. 288.
 DIMIRENSIS Decanatus 299.
 DISNENSIS Decanatus 235.
 DISPENSATIO apost. ab irreg. 54. 161. 200. 211. 212. - a bigamia 194.
 DNISTER fl. 199n.
 DOCUMENTA beatif. et canonizationis 251n. - biographica 9. 157. 231. 232. - Excidii Polocen. 371n. 372. - Pontificum Rom. hist. Ucr. illust. 40n. 82n. 99n. 106n. 115n. 161n. 177n. 189n. 208n. 216n. 252n. 253n. 258n. 261n. 262n. 276n. 279n. 283n. 312n. 350n. 362n. 370n. 401n.
 DOCTORES Theologiae 233. 242. 342.
 DOCTRINA Christiana 60. - Eccl. Romanae 136.
 DOGMATA haeticorum 42.
 DOLHINOVIENSIS Decanatus 299.
 DOLHORUKYJ, Princeps 67.
 DOMBROVIENSIS Decanatus 373.
 DOLKA WOLA 141.
 DOMUS episcopalis Polociae 238. 240. 242. - Missionis 352.
 DON, fl. 42n.
 DOROHOBUSCENSIS Archimandria 89. 208. 209. 210. 212. 375. 376.
 DRESDA, civ. 266. 235. 237. 283n. - Sedes Nunt. Apost.
 DRUCKYJ-SOKOLINSKYJ Laurentius, Archiep. Smolenscen. 13n. 18. 78. 79. 80. 82n. 88. 234n.

- DRUCKYJ-SOKOLINSKYJ Florianus Casimirus 13n.
- DUBNO, opp. 142. 143. 214. - Archimandrita 18. 89. 377. 409. - Capitulum 207. 213. 214. 215. 216. 218n. 260. 261. 264. 294. 300. 369. - Constitutiones 215. 261. 262. 294. 369. - Monast. 142. 214. 254. 258.
- DUBOVICZ Joannes 319.
- DUX Kioviensis 295. - Moscoviae 14. v. Car.
- DYAKOWSKI Nicolaus 55.
- DYMIRIENSIS Decanatus 367.
- DZWINA, fl. 371.
- ECCLESIA 40. 60. 61. 63. 82. 98. 259. 270. 282. 284. 285. 287. 290. 291. 292. 293. 296. 300. 301. 314. 315. 316. 318. 323. 346. 370. 371. 383. - Cathedralis 46. 238. 270. 302. - Catholica 6. 234. 275. 313. 314. 357. 365. 368. 390. 392. 398. - Dei: 340. 342. 344. 345. 351. 353. 398. - Graeca 59. 83. 86. 90. 92. 119. 204. 315. 325. 342. 382. - Occidentalis 313. 337. - Orientalis 209. 313. 390. 391. 396. 397. 403. - Orthodoxa Ruth. 317. 365. 390. 391. - Primitiva 90. - Latina 286. 287. 315. 316. 319. 320. 321. 324. 325. 328. 329. - Romana 90. 105. 143. 147. 169. 250. 251. 252. 256. 258. 260. 267. 274. 275. 286. 297. 306. 307. 312. 315. 316. 320. 322. 327. 329. 334. 342. 346. 351. 353. 377. 383. 395. 396. - Ruthena Unita (Roxolana) 5. 6. 11n. 12. 24. 31. 37. 39. 40. 41n. 44. 62. 67. 73. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 90. 91. 92. 95. 96. 98. 99. 100. 101. 102. 104. 105. 109. 116. 120. 121. 122. 123. 124. 133. 134. 135. 136. 139. 140. 141. 145. 146. 149. 150. 217. 226. 232. 251. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 269. 270. 273. 276. 278. 284. 286. 287. 301. 306. 307. 308. 312. 313. 318. 322. 324. 332. 342. 350. 352. 357. 358. 359. 366. 369. 370. 382. 389. 390. 392. 394. 396. 400. 404. 405. 408. - Sancta 275. 280. 282. 306. - Universalis 264. 280. 305. 357. 397. non unita 34. 120. 142. 250.
- ECCLESIAE Parochiales 234. 235. 249. 273. 299. 300. 317. 344.
- ECCLESIASTICA Beneficia 39. 69. 70. 76. 87. 114. 115. 120. 135. 198. 231. 250. - Disciplina 139. 288. 367. 264. 316. - Proventus 174. 177. - Traditio 274. 398. - Bona Eccl. Unitae 99. 100. 103. 106. 393. 395. 398.
- ECCLESIASTICI Poloniae 139. 205. 334. 335. 336. - Rutheni 333. 399.
- EPARCHIA Brestensis 5. - Leopoliensis 155. 156. 336n. - Polocensis 233. - Peremyslensis 20n. 21. 45. 197. 198. 336n. 363n. - Perejaslaviensis: 355n. v. Dioceses.
- ELENCHUS Brevium et Litterarum 104.
- ELIZABETH, Imperatrix Moscoviae 372n.
- ENCYCLICA Benedicti XIV 312.
- EPISCOPATUS Brestensis, Camenecen., Haliciae, Kioviae, Leopoli, Luceoriae, Mohiloviae, Mstislaviae, Peremysl., Pinsk, Smolensk, Vilno, Volodymyr, Vitebsk, Polociae. v. Eparchiae, Dioceses.
- EPISCOPI Armeni 346. - latini poloni 46. 50. 85. 114. 196. 287. 288. 305. 306. 307. 308. 311. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 340. 342. 344. 346. 391. 393. - Graeci Ritus uniti. 44. 45. 46. 85. 310. 325. - Rutheni uniti 46. 47; 50. 51. 68. 69. 71. 72. 73. 77. 81. 82. 83. 86. 87. 89. 90. 97. 125. 126. 131. 132. 133. 136. 139. 140. 142. 143. 144. 145. 150. 155. 159. 161. 162. 163. 165. 166. 168. 169. 170. 176. 177. 186. 192. 195. 198. 200. 201. 202. 205. 209. 213. 214. 215. 221. 232. 238. 240. 242. 244. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 268. 283. 284. 286. 287. 305. 313. 323. 329. 333. 334. 336. 338. 341. 342. 344. 345. 358. 363. 365. 368. 371. 373. 377. 378. 379. 382. 384. 390. 391. 392. 394. 403. 404. 405. 406. 409. 411. - Non uniti 234. 249. 250. 252. 255. 256. 354. 355. 356. 359. 373. 370. 374. v. Bresten., Camenecen., Halicien., Kiovien., Chelmen., Leopoli., Luceorien., Mohilovien., Mstislavien., Peremyslien., Pinscen., Polocen., Smolenscen., Vilnen., Vitebscen., Volodymyrien., Zenopolitan.
- EPISTOLA Encyclica ad Patr. Antiochenum 343. - S. Pauli ad Galatas 315.
- ETHNICI 342.
- EUCCHARISTIA, Sacram. 42. 60. 90. 148. 274. 275. 320. 398.

- EUCHOLOGIA Moscovitica 83.
 EUROPA 321. - Historia 7. - Meridionalis 363. - Orientalis 295n. 363.
 EUGENIUS, Princeps Hungariae 132.
 EUGENIUS PP. IV 113. 364.
 EUTYCHIUS, haereticus 397.
 EVANGELIA S. 275. 288. 323. 398. 399.
 EXAMINATORES Dioecesium 357.
 EXARCHA Patriarchalis Constantinopolitanus 84. 283. 319. - Russiae 358. 394.
 EXARCHA Metropoliae Kiovien. 265. 267. 270. 306. 307. 332.
 EXCERPTA ex processu consistoriali 235.
 EXCOMMUNICATIO 145. 344.
 EXPENSAE funebrales 223. 224. v. Testamentum A. Szeptyckyj.
 EXTREMA Unctio, Sacram. 42. 60. 90. 113. 274. 286. 398.

 FAMILIA Ruryk - Duces Russiae 295n. - Rutskyj 302. - Saxonica Regum Pol. 253n.
 FASTOVIENSIS Decanatus 299. 367.
 FESTUM S. Basili 400. - S. Joannis Baptistae 347. 348. - S. Martini pont. 387. - Nativitatis Christi 347. 348.
 FIDES Apostolica 252. - Catholica 91. 111. 117. 118. 179. 184. 185. 249. 250. 251. 252. 258. 264. 265. 269. 276. 280. 327. 346. 357. 365n. 375. 396. 399. - Christiana 364. - Graeca 91. 94. 122. - Orthodoxa 303. 313. 319. - Sancta 259. 285.
 FIDEI damnus 333. - Promotor 250. 259. - Unitas 353.
 FIRMANENSIS Archiepiscopus 34ln.
 FISCALIS Metropol. Vilnae 366.
 FLORELLI, Dominus 118.
 FLORENI polonici 273. 366.
 FORMULA institutionis Abbatis 395. 399. 400. 401. 402. 404.
 FRANCISCUS a Turro 120.
 FRANCISCUS O. M. Vilnensis 165. 166.
 FRATRES latini 354.
 FUNDA Ecl. Metropolitanae Kiovien. 362. - Unitorum 393.
 FUNDATIONES Collegii Volodymyr. 148. 149. 150. - Terrestres 17.
 FUNDATORES Ecclesiarum 198. - Ritus Graeci 339. 350.
 FYLYPOVYČ (Filipowicz) Polycarpus, OSBM, Ep. Mukačov. 24. 26. 33. 34. 37. 111. 125. 127.

 GALLIA 138. 317.
 GALECKI Sigismundus, Praef. Curiae Regni 344.
 GENTILES 398. v. Ethnici.
 GERMANIA 317. 320. 364. - Catholici 321.
 GIZEL (Kisiel) Innocentius, Archimandr. Peczar. non unius 104. 120.
 GLINSKI Benedictus, Ep. 82.
 GNESNENSIS Archiepiscopus 82. 284. 287.
 GOAR Jacobus, Script. 46.
 GODEBSKI (de Godzieba) Theophilus, Ep. Volodymyr. 78. 79. 80. 88. 125. 126. 169. 187n. 205. 265. 267. 269. 270. 281. 300. 306. 307. 332. 350. 357. 363. 376n.
 GOEMINENSE Monast., in Slavonia 132.
 GRABOVICENSE Monast., in Slavonia 132.
 GRADZISCENSE Monast., in Slav. 132.
 GRAECI 59. 60. 114. 315. 324. 325. 326. 327. 328. 330. 336. 340. 342. 343. 346. 374. 375. - Graeco-Melchiti 335. 343. - Uniti 147. 148. 189. 216. 234. 312. 322. 393. - Ecclesia (Graeca) 59. 83. 86. 90. 92. 119. 204. 315. 325. 342. 382. - Episcopi 310. 315. 325. - errores. 41. 251. 256. 288. 308. - Imperium (Graecorum) 85. - Beneficia 328. - Canones 61. - Religio 286. 314.
 GRAECA 49. 52. 85. 122. 365.
 GRAVAMINA c. clerum lat. 205.
 GREGORIUS II (Cemivlacus), Metr. 296. 362.
 GREGORIUS PP. XIV. 158. 236. 237.
 GREGORIUS, Metropolita Halicien. 94.
 GREGORIUS S., Nazianzenus 91.
 GRIMALDI Hieronymus, Nunt. Apost. 6. 33n. 59. 67. 71. 75n. 176n.
 GRODEK, villa 63. 101. 102. 106. 117. 119. 120. 121. 123. 134. 135. 137. 210. 211. - Proventus 224. 299. 302.
 GRODNO, opp. 138. 164. 203. 366. 368. - Archimandrita 193. - Comitium 198. - Decanatus 298. - ecclesia 203. 300. 366. - Nativitas BVM ecl. 300. 368.

 HADZIADZKI Michael, v. Testament. 224.
 HAEBREI 92. 112. 217. 318.

- HAERESIS 249. 302. 370.
 HAERETICI 11. 34. 43. 44. 54. 217. 342.
 365. 373. 397. 398. 401.
 HAETERODOXI 315. 316.
 HALYĀ, (Halicia) 95. 288. 364. - Cathedra
 23. 28ln. - Metropolia 94. 28ln. 295. 296.
 301. - Rex Haliciae 92. 94. 288n. v. Leo.
 HEBDOMADA Sancta 141. 203. 239. 287.
 HELVETIA 109n. 117n.
 HIERARCHIA v. p. 13.
 HIEREMIA II, Patr. Const. 84. 85. 283n.
 HIERONYMUS, Archiep. Edessenus, Nunt.
 Apost. 77. 148.
 HIEROSOLYMITANUS, Patriarcha 297.
 363. - Religio 45.
 HIERARCHIA Catholica 34ln. 385n. - Ru-
 thena 5. 6. 12. 123. 125. 123. 125. 162.
 193. 197. 203. 204. 205. 206. 212. 220. 221.
 259. 262. 266. 267. 268. 269. 281. 283. 307.
 319. 358. 382. 389. 390. 395. 396. - non
 unita 363n.
 HILZEN, Ep. Smolenscen. lat. 346.
 HISPANIA 50. 51.
 HISTORIA Ecclesiae Ucrainae 295n.
 HLASKO Cleofasus 276.
 HLEB Boryssensis, Archimandria 14. 267.
 HLUSCENSIS Decanatus 298.
 HODERMARSKYJ Joannes Josephus,
 Sac. 32. 33. 36. 37. 38.
 HODOW (Bona) 223. v. Testamentum.
 HOLEIOVICZ Stanislaus 57.
 HOLLANDORUM Legatus 138.
 HOLOVNIA Marcianus, Abb. Administ.
 210. 213.
 HOLOWCZYNENSIS Decanatus 374.
 HOLUBICENSIS Decanatus 374.
 HOMELSCENSIS Decanatus 298.
 HOMERUS 327.
 HORAE Canonicae 285.
 HORECENSIS Decanatus 374.
 HORODECENSIS Decanatus 374.
 HORODYSLAWICZE (Bona) 223. 225.
 v. Testamentum.
 HOSIUS (Hozyjusz) Stanislaus, Ep. 162.
 164.
 HOSZOWSKI, Dominus 201.
 HREBENDA, Domin. Confraternitatis Leo-
 polien. 1.9.
 HREBANYCKYJ Florianus, Archiep. Po-
 locen., Metropol. totius Russiae. 6. 11n.
 40n. 78. 79. 88. 124n. 128n. 132. 150n.
 155. 195n. 231. 232. 233. 234. 236. 238.
 240n. 241. 243. 244. 247. 248. 252. 253
 254. 255. 257. 259. 260. 263. 265. 266. 268
 270. 271. 272. 274. 275. 276. 277. 278. 279.
 280. 281. 282. 283. 287n. 289. 290. 294.
 304. 306. 307. 332. 316. 347. 349. 350. 353.
 354. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 375.
 376. 377. 379. 380. 382. 383. 384. 385.
 387. 388. 389. 394. 396. 399n. 405. 406.
 407. 408. 412.
 HREBANYCKYJ Michael 231. 233.
 HRULSZTOW, villa 68.
 HUMANENSIS Decanatus 299. 374.
 HUNGARIA 23. 37. 38. 120.
 HYLARION, Ep. Feremysl. 95.
 ICKO, infidelis 223.
 ICONIENSIS Archiepiscopus 249.
 ICONOCLASTAE, haeretici 132.
 IGRACENSE Monast., in Serbia 132.
 ILIADA Ruthenorum 327.
 ILNICKYJ Daniel, OSBM 199.
 IMAGO B. V. M. 14. 139. 141.
 IMPERATOR Moscoviae 38ln. v. Petrus I,
 Car, Dux.
 IMPERATRIX Moscoviae 372.
 IMPERIUM Moscoviae 249 282. 290. 319n.
 363. 365. - Kiovien. 295n. v. Moscovia.
 INCOLAE Ucrainenses 296.
 INDULGENTIA Sacramentalis 113. 398.
 INDULTA Pontificia 11. 32.
 INFORMATIO in negotio transitus ad
 alium ritum 340.
 INIURIA Ruthenis a Latinis illata 203.
 INNOCENTIUS PP. X, 120.
 INNOCENTIUS PP. XIII, 105n. 110. 111.
 114n.
 INSTITUTIO Canonica 281.
 INSTRUCTIO Clementis PP. VIII. 342.
 INSTALLATIO Abbatum 211. 395. 399. 400.
 INSTRUMENTUM benedictionis 375. - de-
 legationis 281. - consecrationis 239. - in-
 stitutionis Abbatis 400.
 INTERSTITIA 339.
 «INTER PLURES», Constitutio Pontif.
 216. 258n. 261n. 335. 400. 401.
 INTERROGATORIA 238. 240. 242. 245.

- INVENTARIUM spoliū Ep. Volodym. 377.
 INVESTITURA bonorum 54.
 ISIDOR, Cardinalis S. R. E. 362. 364.
 ISRAEL 288.
 ITALIA 96. 317. - Millares (Italici) 242.
 IUDAEI 217. 288. 315. 332. 398. - Fosses-
 siones (Iudaeorum) 142.
 IUDEX Apost. 237. - Metropolitanus Vil-
 nae 366.
 IUDICIA Episcopalia 309. - Comititalia
 115. - Consistorii Luceorien. 139. 140. -
 Officialis Metropol. Kiovien. 57.
 IURISDICTIONE Episcopalis 333. 338. 339.
 344. - Metropolitana 28. 299. 300. 301.
 347. 348. 350. 355. 362. 369. 374. 379.
 399. - Metropol. in Basilianos 207. 210. 214.
 221. 278. 345. 368. 399. 400. 412. - Me-
 trop. in Confraternitatem Leopoliē. 177.
 178. 179. 180. 181. 182. 183. 208. 364. -
 Parochorum 316. 321. 323. 324. 338. 339.
 344. - Suffraganeorum 202. 374.
 IUS Canonicum 111. 262. - Ecclesiae 53. 54.
 137. 240. 242. 243. 262. 263. - Hierarchiae
 Ruth. 187. 264. 373. 381. 390. 391. 402. -
 Metropolitanum 213. 293. 364. 368. 370.
 379. 389. 390. 391. - Regis 293.
 IUSTIFICATIO per fidem et bona opera
 323.
 IURAMENTUM Archimandritarum 395.
 396. 401. - fidelitatis 277. 281. 375. 396. -
 Metropolitanae 57. - testium 237. 239.
 JABLONOWSKI Joannes Stanislaus, Pal-
 Rautensis 175. 245. 302. 344. 385.
 JADRENSIS Archiepiscopus 346.
 JACHIMOVICZ Josaphat 74. 133. - Archi-
 mandr. Tolocensis.
 JACHIMOVICZ Spiridon 149.
 JAMPOLIENSIS Decanatus 299. 367.
 JANKOWSKI Casimirus 149.
 JANOVIA, opp. 74. - Decanatus 76.
 JANOWSKI Samuel, Offic. Grodnensis 270.
 JAPONIA 305.
 JAROSLAIDES Andreas, Princeps 95.
 JAROSLAVIA, opp. 39n.
 JASTRZEMBSKI Petrus 150.
 JESMAN, Dominus 302.
 JEKIMANIA, locus Polociae 371.
 JOANNES de Torres, Nunt. Ap. 120.
 JOANNES Chrysostomus S. 91.
 JOANNES III Sobieski, Rex Poloniae 336.
 338. 343. 372.
 JODKO Alexander, Archimandr. Derma-
 nen., 410. 412.
 JONAS, Schismaticus 296. 362.
 JOSAPHAT S. Kuncevyč, OSBM, 12. 14.
 15. 133. 251. 319n. 355. 371. 373.
 JOSEPHOVICZ Joannes 57. 58.
 JOSEPHUS II Soltan (Bolharynovyč Jo-
 sephus) Metropol. Kiovien. 365.
 JULIOPOLITANUS, Ep. titul. 336n.
 JULIUS romanus 46. (pecunia).
 JUVENTUS Ruthena 353.
 KACZOROWSKI Joannes 223.
 KALNICENSIS Decanatus 299. 367.
 KAMCZYC, OSBM, Consultor 218.
 KANOVIENSIS Decanatus 298. 367.
 KAPANSKI Laurentius, OSBM, 26.
 KARPYLIV, villa 35.
 KAULCZE (bona) 234.
 KAMENEZ Podilskyj, ecclesia 141. 281. -
 Episcopus. v. Leopoliensis.
 KEDZIERSKI Theodorus 223.
 KIOVIA (Chiovia) 6. 62. 63. 295. 296. 297.
 322. 323. 363. 364. 366. 383. 385. - Archie-
 piscopus 285. 296. - Archimandria Pecze-
 ren. 62. 102. 103. 262. 299. 301. 302. 385.
 - Bona Archiman. 120. 137. - Archiman-
 drita 70. 102. 120. 123. 159. 280. 281. 301.
 357. 370. 375. 376. 377. - non unitus 363.
 - Ecclesia 94. 162. 163. 165. 296. 297. 302.
 303. - Episcopus lat. 103. 344. 386. - non
 unitus 331. - incolae 296. - Palatinus 63.
 141. 196. 298. 299. 302. 344. 347. 348. 362.
 385. - Schismatici 303. 327.
 KIRIKOWSKI Alexander 125. 127.
 KISZKA Christina 5. 9. - Georgius 5. 9.
 KISZKA Leo Lucas 5. 6. 7. 9. 11. 12. 13.
 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27.
 28. 29. 30. 31. 32. 44. 45. 52. 53. 54. 55.
 56. 57. 58. 61. 64. 65. 66. 67. 70. 71. 72.
 74. 75. 76. 78. 79. 80. 88. 96. 97. 99. 100.
 101. 102. 106. 107. 108. 109. 110. 111.
 112. 116. 117. 118. 123. 124. 126. 129.
 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137.
 139. 144. 145. 146. 148. 149. 150. 155. 157.
 158. 159. 160. 167. 168. 169. 175n. 186n.

225. 226. 231. 234. 239. 241. 243. 247n.
299. 356. 369. 371n. 378. 410.
- KLAZMA, fl. 364n.
- KLIMONTOVICZ Emilianus, Decanus Bychovien. 250. 322.
- KOBRINENSIS Archimandria 110. 212n.
- KOJALOWICZ Albertus, S. J. 318. 320.
- KOLENDA Gabriel, OSBM, 14. 82. 365.
- KOMARGRODENSIS Decanatus 299. 367.
- KOMARNICKI Theodorus 187.
- KONIAKZEWSKYJ Theodos., OSBM, 221.
- KONYSKYJ Georgius, Ep. Albae Russiae 373n.
- KOPIJOVIENSIS ecclesia Obdormitionis BVM 357.
- KORESEWICZ Cyprianus 268.
- KORSAK Raphaël, Metrop. 297. 365. 371.
- KORSUNENSIS Decanatus 299. 367.
- KORYTKO Michael 223.
- KOSOW (bona) 223.
- KOSSOWCOWA (Hrebnyckyj) Anna 231. 233.
- KOVEL, opp. 5. 139. 141.
- KOZIEL Fabianus 235.
- KOZLOWSKI Stanislaus 190.
- KRASNANIENSIS Decanatus 299. 367.
- KREUZA Leo Laurentius, Aep. Smolenscensis 319.
- KRIJLOSCENSIS ecclesia 295.
- KRUŠEVYČ Hilarion, OSBM, 22. 23.26.
- KRYNYCKYJ Stephanus 149.
- KULČYNSKYJ Ignatius, OSBM, 38n. 191. 192. 193. 319.
- KULCZYCKYJ Petrus Porphyrius, Ep. Pinscensis 18n. 36.
- KULESZA Moyses, S. J. 319. 320.
- KUPIECZOV, villa, 6. 150.
- KUROPATNICKYJ Andreas 57.
- KUŠELYČ Joachim, OSBM, Protoarchimandrita, 5.
- KUSMINSKA Marianna 13n.
- KUZNICENSE Monasterium 300.
- KWIATKIEWICZ Stanislaus, S. J., script. 312. 318. 319n.
- LAHODOWSKI, titulus libelli, 70.
- LAICI Armeni 346. - Rutheni 332. 334. 335. 336. 337. 338. 340. 383.
- LAKA (bona) 240.
- LAMBERTINI Prosper, Bononiensis 107n. 259n. v. Benedictus PP. XIV.
- LANCELLOTTI Baptista Joannes 119.
- LANCELOTTI Franciscus Joannes, Nuntius Varsavien. 119. 311n. 341n.
- LARISSAE Aepiscopus 71.
- LASEVYČ Theophilus, OSBM, 167. 168.
- LASCARIS Georgius Hieronymus, Legatus Pontif. 208. 215n. 260.
- LASKOVCE (bona) 223. 224.
- LASZCZEWSKI Nicolaus, Notarius Apost. 72. 76. 135.
- LATERANENSIS ecclesiae Canonicus 157. v. Camillus Paulutius (Merlino)
- LATINORUM calumniae 339.
- LAURENTIUS S., eccl. in Lucina 170.
- LAUROVIENSE Monasterium 37.
- LAZAREVICZ Stephanus, Delegatus AEp. Smolenscensis 125. 127.
- LAZARUS (ex secta Philippi) 41.
- LEBECKYJ Cornelius, OSBM, Protoarchimand. Prov. Lithuaniae 142. 186n. 187n
- LEDINCENSE Monasterium, in Serbia 132.
- LEDOCHOWSKI Franciscus, Castel. Volhyniae, 102. 121. - Helena 102. 103. 121. - Stanislaus 121. 122.
- LEGATUS Armenus 113. - Nuntii 235. - Papalis 54. 364. 365. 381.
- LEO, Metropolitae Ruthenus 333.
- LEO, Rex Haliciae 92. 94. 288n.
- LEPNENSIS Decanatus 374.
- LERCARI Nicolaus, Secretarius Congr. de Prop. Fide, 257. 289. 334n.
- LEVI filius (Bibl.) 288.
- LEVYCKYJ Josephus, Ep. Chelmensis 36. 67n. 78. 79. 125. 126. 142. 169.
- LEWINSKI Antonius, Notarius Apost. 225. 270.
- LEX Mosaica 398. - Novi Testamenti 398. - Regia 306. 368. 374. 392. 393.
- LEOPOLIS opp. 30. 31. 33. 34. 39. 40. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 62. 71. 73. 74. 75. 95. 96. 101. 105. 121. 155. 156. 160. 166. 167. 168. 171. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 186. 187. 188. 190. 191. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 201. 203. 204. 205. 207. 208. 209. 210. 211.

212. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. - Acta 225. 270. - Administrator Dioecesis 266. 270. - Alumni 105. - AEpiscopus latinus 54. 55. 56. 57. 205. 217. 336. - Assumptionis in Coelum BVM ecclesia 177. - Capitulum 204. 206. - Collegium Pontif. 39n. 55. 66. 95. 96. 101n. 105. 116n. 155. 174n. 175. 176. 178. 180. 202. - Rector Coll. 103. 105. 174. 175. 176. 178n. 179. 181. 197. 215n. 219. 288n. - Clerus 364. - Consistorium 55. - Dioecesis 41. 44. 49. 50. 58. 66. 67. 68. 69. 77. 87. 88. 89. 92. 105. 158. 159. 160. 161. 163. 166. 171. 174. 176. - Ecclesia 73. 141. 166. 168. 222. 223. 224. 225. 263. 281. 296. 362. 364. - S. Onufrii 73. - Episcopus 6. 28. 42. 48. 58. 61. 75. 84. 85. 87. 160. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 170. 231. 257. 259. 260. 263. 280. 281. 295. 296. 299. 300. 337. 356. 358. 362. 363. 364. 368. 384. 394. 411. - non unitus 299. - Magnates 75. - Monasterium 202. - Palatium AEpiscopi 54. 57. - Pestis 75. - Moniales Benedictinae 223.
- LIBELLUS suplex 248.
- LIBRI Sacri 62. 398.
- LIDENSIS Decanatus 298.
- LIMINA Apostolorum Petri et Pauli 38. 46. 159. 161. 164. 166. 168. 238. 240. 242. 244. 303.
- LIMITES Episcopatum 284. - Provinciarum 284.
- LIPNICKYJ Innocentius, OSBM, 161. 208. 209. 210n. 211. 212. 222. 225.
- LIPOVENSE Monasterium 132.
- LISANSKI Heraclius, Vicarius Gen. Vilnae, 214. 215. 253. 307. 332. 368. 375. 382n. 403n. 410.
- LISOWSKA de Denefeltowa Petronella 223.
- LISOWSKA de Sieromska Anna 223. - Susanna 223.
- LISOWSKI Romanus 223. 224.
- LITES cum Collegio Societatis Jesu Polociae, 241n. 242. 244. 249. 259n. 272. 273. 292. 359. 360. 361. 372. 380. 381. 388. 389. 407. 408. - de matrimonio 323.
- LITERAE Apostolicae 73. 74. 92. 253. 324. 344. 396. 405. - ad Ministros 258. - Commissionis 378. 379. - Metropolitanani 142. 212. 218. 342. - Obedientiales 13. 17. 85.
- LITURGIA S. Basilii Magni 49.
- LIVONIA, prov. 81. - Episcopatus latinus 81. 103.
- LITHUANI 19. 216. 410n.
- LITHUANIA (M. Ducatus) 12. 13. 15. 18. 19. 33. 34. 39. 75. 97. 119. 120. 147. 157. 235. 237. 240. 242. 244. 250. 255. 258. 266. 282. 297. 298. 300. 301. 302. 307. 314. 315. 317. 319. 329. 333. 343. 367. 371. 377. 380. 383. 390. - Monasteria 273. - Provincia 81. 88. 97. 105. 410. - Religio Orthodoxa 318.
- LODZIATA Alexander, Ep. Chelmensis 81n. - Augustinus 81.
- LOHOYSCENSIS Decanatus 298.
- LUBARENSIS Decanatus 299. 367.
- LUBIENIECKYJ Augustinus, Abbas Minscensis 16. 76.
- LUBLIN, opp. 75. 100. - Areopagus saecularis 37. - Monasterium 89.
- LUBOMYRSKYJ Gregorius, Princeps 135. 137. - Stanislaus 378.
- LUCK (Luceoria), opp. 95. 96. 101. 102. 104. 123. 125. 127. - Dioecesis 41. 44. 49. 67. 68. 69. 70. 77. 82. 87. 88. 89. 92. 141. 202. 409. - ecclesia Cathedralis 296. 330. - Episcopatus 42. 58n. 66. 85. 87. - Episcopus 48. 84. 85. 87. 124. 185n. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 267. 271. 283. 295. 301. 358. 362. 383. 365. 384. 390. 394. 409. 411. - latinus 139. 224.
- LUG, fl. 149.
- LUTHERANI, haer. 288. 308. 315. 318. 320. 321. 332.
- MACARIUS I, Metropolita Haliciensis et Kioviensis 365.
- MACARIUS II, Metrop. 362.
- MACEDONES, pop. 317.
- MACEDONIUS, haereticus 397.
- MAECZYCI (bona) 66.
- MAGNALIA Dei 15.
- MAGNATES Regni Poloniae 240. 302.
- MAHUMETANI 318. 320. 332.
- MAKOWSKI Petrus, Notarius Apost. 55. 57. 58.
- MALACHOWSKI Josephus, Notarius Volodym. 150.

- MALINSKA Barbara 141. 224.
- MALSKI Sylvester, OSBM. Provincialis 202. 304n.
- MANDATA Apostolica 34. 54. 238. 239. 241. 242. 255. 294. - AEpiscopi Polocen. 159 235.
- MANUSCRIPTUM 6.
- MARCUS Ephesius 73. 362.
- MARE de Azov, vel de Zabacche, 42n.
- MARESCHALCUS Curiae Regni Poloniae 344. 387.
- MARIA, Ducissa in Rovno 102. 119. - Virgo B.ma 6. 43. 49. 275. 401.
- MARTINUS S., Pontifex 387.
- MARTYRES Polocenses 288. 305. 306. 342. 355. 371. - corpora 14. 15.
- MARTYROLOGIUM 62.
- MASSALSKI Ignatius, Ep. Vilmensis 243. 244.
- MATRIMONIUM, Sacramentum 42. 274. 285. 295. 323. 342. 344. 374. 398.
- MAZEPA Joannes, dux cosacorum, 42.
- MEDIOLANENSIS AEpiscopus 32. 33. 34. v. Odelscalchi.
- MELCHITI 216. 312. 340. 343. - Graeco-Melchiti 335. 343.
- MEMORIALE Episcoporum Ritus Graeci Uniti 59. - Procuratoris Lithuaniae 209.
- MERCATOR Leopoliensis. v. Ieko 223.
- METROPOLIA Haliciensis 295.
- METROPOLIA Kioviensis 45. 117. 231. 232. - Sedes vacans 36. 37. 39. 235. 261. 264. 266. 299. - Russiae 40. 50.
- METROPOLITA Kioviensis unitus 6. 14n. 18. 23. 28. 29. 33. 39. 47. 53. 55. 56. 57. 58. 59. 117. 139. 140. 141. 155. 158. 173. 174. 175. 231. 232. 236. 240n. 257. 258. 259. 260. 261. 270. 272. 276. 279. 281n. 282. 291n. 294. 295. 296. 298. 300. 301. 302. 318. 341. 346. 362. 375. 376. 400 401. 402. 403. 404. 405. 411. - Metropolita totius Russiae 11. 12. 28. 29. 30. 31. 71. 213. 214. 225. 297. 405. 409. 410. v. Hrebnykyj F., Kiszka L., Szeptyckyj A. - Archidioecesis Metropolitana 76. 281. 294. 299. 300. 302. - Archiepiscopus Metropolitanus 81. 86. 89. 102. 131. 201. 226. 247. 248. 283. 285. 295. 296. 297. 300. 301. - Auctoritas Metropolitana 281. 292. 293. 294. 376. 379. 391. 392; v. Iurisdic-tio, Archivum Metropol. 263. 267. 300. 370. - Bona Mensae 45. 47. 62. 66. 102. 118. 119. 134. 135. 137. 141. 222. 234. 235. 240. 242. 244. 260. 273. 284. 294. 298. 302. 303. 347. 348. 349. 362. 366. 370. 374. 384. 385. 387. 388. - Cathedra Me-tropolitana 283. - Clerus 298. 371. - Dio-ecesis 285. 291. 367. 368. 370. 371. 399. - Ecclesia 32. 187. 236. 238. 239. 240. 241. 243. 244. 281. 296. 391. - Electio Metropolitanae 261. 263. 265. 266. 268. 269. 270. 289. - Privilegia 350.
- METROPOLITA Moscoviensis 249n. 296n. 362n. - Schismaticus 14. 296. 363. - Myr-nensis 15.
- MIADZIELSCENSIS Decanatus 298.
- MICHAEL, Antistes 295.
- MICHAEL I, Metropolita Kioviensis 364.
- MIELECENSIS Abbas 16n. 210. 223. 224. 281. - Monasterium 222.
- MIHUNIEWICZ Polycarpus, OSBM, 25. 29.
- MIKULINENSIS Decanatus 374.
- MILITES 43.
- MINISTRI Regni Poloniae 282. 334. 336. 355. 373. 406.
- MINSK, opp. 282. 298. 300. 302. 370. - Ar-chimandrita 76. - Assumptionis BVM eccl. Cathedralis 366. - Decanatus 298.
- MISAE, Metropolita Kioviensis 365.
- MISSALIA 49. 52.
- MISSAE Sacrificium 62. 113. 149. 251. 268. 275. 283. 323. 345. 397. 398.
- MISSIONARII 329. 343. 346. 372.
- MLODOWSKI Antonius, Abb. Poloc. 377. 380. 383. 399. 406. 407. 409n. 410n.
- MNISZEK Georgius 104. 386. 387.
- MOHILOVIA opp. 249. 250. 355. 373. - Du-catus 41. - Cathedra 249. 259. - Dioecesis 259. 373. - Ecclesia 248. 267. - Episco-patus 234. 266. 280. 281. 373. - Episco-pus 357. 375. 376. 377. - Episcopus non unitus 234. 249. 250. 252. 253. 255. 256. 259. 331. 354. 355. 356. 359. 373. 374. - Monachi non uniti 251. 372.
- MOHYLA Petrus, Metrop. Kioviensis non unitus 297. 363. - Academia Mohylana 363n.

- MOLDAVI, pop. 143. 317. 318. 320. 325.
 MOLOCZKY, 28. 29.
 MONASTERIA OSBM. v. Berezveč. Borunen., Biten., Bučačen., Chelmen., Dubnen., Kiovo-Pečaren., Kuznicen., Laurovien., Leopoliēn., Lublinen., Polocen., Pustinen., Sancti Salvatoris ad Montes., Mielecen., Suprasl., Uniovien., Verchovien., Vilnen., Vitebscen., Volhyniae, Wicynen., Zyrovicen.
 MONASTERIA Serbiae 132. - Slavoniae 132.
 MONIALES OSBM. v. Basilianaē. - Ritus Latini 223. 284.
 MONS Pietatis 160. 161. 168. 238 240.
 MONOSTROVENSE Monasterium 132.
 MONOTHELITAE, haeretici 397.
 MORO Hieronymus, Rector Pont. Coll. Leop. 219.
 MOSZNENSIS Decanatus 299. 367.
 MOSZONACENSIS Decanatus 250.
 MOZOLOWSZCZYŻNA, locus in Orša 373.
 MOSCHI, v. Moscoviti.
 MOSCOVIA 5. 12. 24. 40. 41. 44. 47. 62. 67n. 115. 120. 121. 147. 199. 249. 256. 285. 296. 303. 325. 355. 370. 381. 383. 392. 393. - Ecclesia Moscovitica 365. - Monasteria. 101. 103. 104. - Principes 14. 16. 259. Schismatici 371.
 MOSCOVITI 15. 16. 18. 115. 120. 133. 138. 143. 234. 235. 242. 255. 282. 295. 300. 320. 339. 342. 352. 366. 370. 374. 385. 406.
 MOSKVA, opp. 362. - Patriarchatus 331n.
 MSCISLAVIENSIS Decanatus 373. - Episcopatus 234. 267. 279. 281. 373. - Episcopus 357. 373. 375. 376. 377.
 MUKAČOVIENSIS Archimandria 38n. - Ecclesia 34. - Episcopatus 18. 33. 34. - Episcopus 36. 38n. 58n. 111. - Vicariatus Apost. 37.
 MYHUNEVYČ (Mihuniewicz) Polycarpus, OSBM, Generalis 214n. 219n. 266. 267. 269. 270.
 NAROLSKI, Polonus 312.
 NATIO Ruthena 83. 217. 351.
 NAULIČE (bona) 240. 242.
 NEMYRYČ Georgius, Nobilis ucrainus 320.
 NESTORIUS, haereticus 397.
 NEXUS (Zochovskianus) 18. 20. 86n. 209. 213. 214. 261. 369.
 NICAENUS AEpiscopus 236. 237. 238. 245. 266. 269. 275. 276. v. Albericus
 NICOLAUS Chrisoberga, Patriarcha Constantinopolitanus 364.
 NICOLAUS de Georgiis, Secretarius 267.
 NICOLAUS PP. V. 269. 362.
 NICOLIUS 148.
 NICON, Patriarcha Moscov. 41.
 NIEMIERA, corrector 387.
 NIEMIERZYC Stephanus, Pal. Kiovien, 344.
 NIEMIROVIENSIS Decanatus 75. 299. 367.
 NIESUKOCZE, villa 139.
 NIESVIZENSIS Decanatus 298.
 NITAVA, villa 15. 16.
 NOBILES poloni 62. 63.
 NOTARIUS Apostolicus 55. 57. 58. 170. 186. 222. 225. 237. 245. 270. 276. 348. 349. 376. 379. 387. 388. 399. - Castren. Vinnicen. 223. - Metropolitanus 366. - Terrestris Leopoliēn. 224. 225.
 NOVOGRODEK, opp. 33. 82. 232. 265. 266. 267. 268. 270. 271. 276. 277. 278. 289. 290. 298. 302. 345. 366. 368. 410. - Acta Castrensis 271. - Capitulum Generale 5. 64. 209n. 368. - Decanatus 298. - SS. Martyrum Romani et Davidis ecclesia 266. 300. 366.
 NUNTIATURA Apostolica Varsaviensis 119. 124. 141. 197n. 221. 243. 245. 267. 299. 347. 348. 356. 369.
 NUNTIUS Poloniae (Varsaviensis) 6. 32. 33. 36. 37. 38. 39n. 44. 51. 53. 59. 63. 71. 72. 73. 74. 77. 78. 79. 80. 86. 87. 91. 93. 99. 104. 106. 110. 118. 119. 120. 127n. 129. 137. 138. 142. 145. 150. 155. 157. 158. 159. 162. 164. 166. 168. 170. 172. 174. 175. 176. 185. 190. 194. 197n. 199. 202n. 209. 215n. 218. 235n. 236 - 238.

244. 245. 249. 252 - 256n. 260m. 262.
266 - 269. 272 - 273. 275. 276. 282 - 283.
285. 290n. 293. 294. 310. 311. 333. 335. -
337. 341 - 343. 350. 354. 361. 380. 385n.
387. 402. 405. 406n. 408. 411.
NYCAETAS (ex secta Philippi) 41.
- OBAROV, villa 63. 101. 102. 106. 117. 118.
120. 121. 123. 134. 135. 137. 299. 302.
OBLIGATIONES audiendi Missam 113. -
Sacerdotum 113.
ODELSCALCHI Benedictus, AEpiscopus
Mediolan. 32. 33. 34. 36n.
OECONOMIA Regia Samborensis 34.
OHILEVYČ Pachomius, OSBM, Protoar-
chimdrita 319. 369n.
OFFICIALES Armeni 346. - Metropolitanæ
ViIn. 366. - Leopold. 219. 225.
OFFICIUM Episcopale 239. - Pastorale 54.
- Protoarchimandritæ 368. 369. - Nun-
tii Patriarch. 84. - Sacrae Congregatio-
nis 252.
OLEUM Sacrum 46. 53. 60. 113.
OLEŠEVSKYJ (Oleszewski) Joannes,
OSBM, Consultor 24. 26.
OLYCENSIS, arx. 15.
ONUPHRIENSIS Archimandria 192. 234n.
- Archimadrita 214n. 364. 377. 379. - Mo-
nasterium 301. 401.
ONUPHRIEWSCZYŻNA, possessio 148.
149. 150.
OPOWENSE Monasterium 132.
ORACULA Vaticana 66. 78. 79. 84. 87.
105. 109. 133. 135. 143. 181. 196. 221.
254. 350. 381.
ORANSCIOUS, Apostata 331.
ORANSKYJ Pachomius, Episcopus Pin-
scen. 8In.
ORATOR 247. 248. 257. 259. 362.
ORBIS Catholicus 273. 349. 351. 358. 359.
364. - Universum 337. 354. 360. 381. 397.
ORDINARI locorum 67. 287. 342. 352.
402. 404.
ORDINES Sacri 42. 44. 50. 51. 52. 60. 61.
114. 173. 194. 201. 238. 239. 241. 243.
274. 284. 315. 316. 328. 350. 357. 358.
398.
ORDO Ritus Latini 90.
ORIENS 46n. 363.
ORIENTALIS Ecclesiae consuetudines 343.
358. 381.
ORSANENSIS Episcopatus 234. 267. 279.
281. 373. - Episcopus 357. 376. 377.
OŠMIANENSIS Decanatus 299.
OSTROG, opp. 119. - ecclesia 124. - Epi-
scopus 83. 267. - Ducatus 409. 410.
OSTROŹSKYJ Constantinus, dux 84n. 362.
OSVIEJENSIS Decanatus 373.
OVILE Christi 381. - Petri 250. 254. 256.
OVRUČENSIS Archimandrita 211. 212. 22.
223n. 225. - Decanatus 299. 367. - Di-
strictus 41. 347. - Ecclesia 212.
PACTA Carloviensia 324. 325.
PAKOWSKI Gregorius, OSBM, Archiman-
drita Zydyčyn. 222.
PALAMAS Gregorius, Schismaticus, scrip-
tor 62.
PALATIUM Apostolicum 92. 94.
PAMPHILIUS, Cardinalis 170.
PAPIN (bona) 234. 240.
PARAMENTA Sacra 235.
PAROCHI graeci in Russia 324. - latini 50.
67. 91. 92. 93. 141. 144. 145. 250. 251.
286. 287. 288. 374. - Rutheni uniti 59.
60. 61. 66. 67. 68. 69. 70. 72. 77. 82. 88.
89. 90. 91. 93. 93. 113. 114. 139. 140. 141
142. 143. 144. 145. 173. 285. 286. 287.
288. 302. 303. 337. 344. 351. 352. 377.
404. - non uniti 250. 251.
PAROCHIAE 76. 113. 114. 173. 201. 250.
255. 298. 299. 366. 367. 371. 373. 408
PASTOR Ecclesiae Oecumenicus 44. 254.
267. 281. 288. 334. 342. 344. 357. 380.
390. - Pastores Ecclesiarum cath. 235. 237.
296. 306. 336. 363. 372. 378. 383. - non
uniti 249. 251. 296.
PASCHA Latinorum 139. - Ruthenorum
139.
PATRES SS. Ecclesiae Orientalis 396. 397.
401. - Krylosiensis 222.
PATRIARCHA Antiochenus 343. - Con-
stantinopolitanus 20. 84. 85. 177. 283.
319. 362. 364. 365. - Hierosolymitanus
297. 363. - Moscoviensis 41. 331. - O-
rientales 49.
PALUS Maeotis 42n. v. Mare de Azov.
PAULUS PP. V 339. 381.

- PAWLOWSKI Joannes 276.
PAWOLOCENSIS Decanatus 298. 367.
PAX et Concordia Russiae 391.
PEČERENSIS Archimandrita 70. 102. 120.
123. 159. 280. 281. 301. 357. 375. 376
377. - non unitus 297. 363. - Monaste-
rium 62. 102. 103. 262. 299. 301. 302. 385.
PEREHINSKO, villa 202. 203.
PEREJASLAVIENSIS Episcopus non u-
nitus 63n. 231. 249n. 256n. 355. v. Berlo
Arsenius.
PEREMYŠL (Peremislia), opp. 7. - Ca-
stelanus 331. - Clerus 51. 53. - Dioecesis
33. 34. 39. 44. 49. 50. 67. 68. 69. 70. 77.
82. 87. 88. 92. 105. - Ecclesia 362. - E-
piscopatus 32. 38. 39. 48. 58. 66. 220.
- Episcopus 6. 18. 20. 34. 37. 87. 220.
241n. 259. 266. 267. 269. 270. 295. 300.
309. 336. 358. 362. 363. 364. 365. 395.
409n. 411. - Parochi 34. 45. 46. 51.
PERSECUTIO Episcoporum 363.
PETRA Vincentius, Praetectus Congr. de
Prop. Fide 182.
PETRUS S., Apostolus 40. 41. 50. 54. 110.
250. 254. 256. 275. 277. 383. 397. 398.
PETRUS I, Czar Moscoviae 5. 14. 34n.
42. 68n. 133n. 234n. 365. 371n.
PETRUS, Episcopus Serbiae.
PHILIPPIANA haeresis 41. 302. 370.
PHILOPOVYČ Polycarpus, OSBM, Procura-
tor in Urbe 183. v. Fylypovyč.
PHILOSOPHIAE Magister 233.
PHOENIX redivivus..., opus 319.
PHOTIANA haeresis 249. 308. 315. 317.
318. 320. 321. 397.
PIASECKI Alexander Notarius Apost. 349.
PIASECKI Paulus Episcopus Peremyslien.
latinus 312.
PIECHOWICZ Innocentius, Archim. 169.
210n.
PIEŠKEVYČ Sylvester, OSBM, Procura-
tor Gen. 13n. 17n. 19. 20. 21. 22. 23. 26.
40.
PINSSENSIS Ecclesia 101. - Episcopatus
66. 77. 81. 87. 150. 285. - 410. - Episcopus.
18. 48. 87. 101. 270. 295. 300. 350. 355n.
364. 377. 379. 384. 407. 410. 411. - Mo-
niales 141. 142. - Coadiutor 406. 407.
PIOTROWSKI Athanasius, OSBM, 268.
PIUS PP. II 296.
PIUS PP. IV 342.
PLEBS graeco-ruthena 322. 323. 324.
POČAJOVIENSES Religiosi 202.
POCIEY Ludovicus, Castel. Vilnen. 104.
POCUTIA, provin. Ucrainae 365.
PODLACHIA, prov. Poloniae 284. 370. -
Decanatus 298.
PODOLIA, prov. Ucrainae 41n. 75n. 300n.
323. 324. 325. 365. 367. - Palatinus 195.
- Schismatici 365.
POENA pro irregularitate 213.
POENITENTIA, Sacram. 42. 59. 113. 274.
398.
POENITENTIARIA in Urbe 148. 238. 240.
242.
POHRIBISCENSIS Decanatus 299. 367.
POLAGNICKYJ Romanus, Nobilis Ucrainae
357.
POLATYLO Basilius, OSBM, Procurator
in Urbe 38n.
POLKOWSKI Seraphion, Episcopus Mo-
hilovien. non unitus 355.
POLOCK (Polocia), opp. 6. 11. 12. 13. 15.
16. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 49. 50. 239.
240. 234n. 248. 253. 254. 255. 260. 263.
264. 265. 280. 282. 290. 291. 292. 294.
303. 304. 350. 353. 359. 360. 371. 372.
373. 375. 378. 380. 384. 395. 396. 401.
407. 408. 412. - Archieparchia 13n. 16.
21. 22. 40. 41. 42. 45. 48. 66. 77. 81. 87.
82. 83. 77. 81. 87. 124. 128. 232. 235.
240n. 242. 248. 255. 280. 294. 303. 371
375. - AEpiscopus 48. 132n. 133. 136. 150.
231. 233. 234. 235. 236. 238. 239. 240.
241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248.
249. 251. 252. 253. 254. 255. 257. 259. 260.
266. 270. 275. 276. 277. 278. 279. 280.
281. 289. 290. 294. 295. 297. 303. 305.
347. 350. 353. 354. 355. 357. 358. 359.
360. 361. 363. 369. 371. 373. 375. 376.
377. 378. 380. 383. 384. 388. 389. 405.
411. - Auditor Curiae 196. 199. 235. 236.
237. 240. 243. 244. 245. 268. 271. - Ba-
silica 14. 233. - Arx 371. - Capitulum 377.
Decanatus 373 - Duces 371.) - Collegium
Societatis Jesu 11n. 124. 231. 240n. 242.
244. 249. 259. - Ecclesiae 234. 235. 238.
240. 242. 296. 298. 300. 362. 375. - SS,

- Cosmae et Dan-iani 37. - S. Joannis Evangel. 371. - SS. Romani et Davidis 371. - Monasteria 5. 13. 14. 16. 231. 233. 242. 254. 299. 410. 411. - Ordo Mendicantium 12. - Schismatici 231. 372. - Episcopus non unitus 231.
- POLOKA, ecclesia parochialis 370.
- POLONI 141. 310. 313. 317. 317. 320. 326 327. 335. 407. - polonica miliaria 253.
- POLONIA 7. 11n. 69. 71. 78. 85. 88. 89. 90. 96. 99. 101. 103. 106. 117. 118. 120. 147. 177. 181. 199. 215n. 248. 249. 253. 254. 262. 282n. 284. 286. 288. 294. 308. 309. 311. 312. 315. 317. 318. 321. 322. 323. 324. 329. 331. 342. 346. 349. 350. 364. 371n. 392. 393.
- POLTAVA, opp. 42n.
- POMORZANY (bona) 223. 224.
- PONTIFICALIA exercitum 238. 241. 242. 243. 287. 298. - munia 239. - vestes 161.
- PONTIFICATUS (Romani Pontifices) 52. 54. 58. 92. 234. 236. 237. 238. 259n. 260. 262. 265. 282. 399. 402. v. Vicarius Christi.
- POPOVYČ Vincentius 38.
- POROH Mikolskie, villa 235.
- PORTATILE Altare 286.
- PORTUS Rigensis 367.
- POSSESSORES Ecclesiarum Cath. Kio- vien. 236.
- POTESTAS Romana 62.
- POTIJ (Pociej) Hypatius, Metropolita Kio- vien. 6. 85. 119. 322. 362n. 365.
- POTOCKI Andreas, Palat. Cracov. 344.
- POTOCKI Theodorus, Episcopus Varm.
- POTYOROKA, villa 302.
- PRAGENSE Collegium 90. 285. v. Colle- gium.
- PRAECEDENTIA Episcoporum 283.
- PRAELATI Armeni 346. - Graeci 316. 324. 325. - Latini 316. 324. 325. - Rutheni 262. 264. 324. 342. 368.
- PRAELATUS Domesticus 236. 237. 266. 267. 399.
- PRESBYTERI Graeci 315. 328. 346. - Ita. lo-graeci 217. - Latini 90. 315. 328. 343- 344. - Rutheni 239. 241. 243. 250. 272. 285. 286. 297. 298. 330. 344. 345. 366
- PRECES Canonicae 11. 12. 89. 90.
- PRAZMOWSKI Nic., Episcopus Luceorien. 141.
- PRILINO Capitense Monasterium 132.
- PRIMAS Poloniae 284. 287. - Primores Re- gni Pol. 16. 116. 258.
- PRIMATUS Romani Pontificis 12n. 14. 251 275. 280. 355n. 365n. 383. 397. 398.
- PRINCEPS Apostolorum 397. 398.
- PRIOLIO, Dominus 92.
- PRIVILEGIA Ecclesiasticorum Rutheno- rum 195. 341. 344. 371. 374. 389. 390. 395.
- PRODITORES Patriae 333.
- PROCEVYČ Basilius, OSBM 27.
- PROCESSIO Spiritus Sancti a Filio 323. 397.
- PROCESSUS iuridicus 203. 296.
- PROCESSUS informativ. de Metropolita 158. 160. 170. 186. 236. 237. 280. 296.
- PROCURATOR lithuanus in Regno Pol. 208. 209.
- PROFESSIO fidei 57. 58. 184. 237. 274. 396 401. 402. 404.
- PROMOTOR Fiscalis Metrop. 386.
- PROSKURA, Dom. 121.
- PROTONOTARIUS Apost. 236. 237. 245.
- PROTOTHRONIUS Russiae 267. 270. 281. 283. 296. 358.
- PROVINCIA Roxolana 156. 169.
- PROVINCIAE Terr. Eccl. 399. 400.
- PROVINCIALES Societatis Jesu 342n.
- PROVISIONES Episcoporum 16. 54. 168. 238. 240. 244. 342. 392. 400.
- PRUSSIA 18. 120. 138. 300n. 326. 343.
- PRYMOWICZ Michael, Protonot. Apost. 357.
- PRZECLAUSKI Antonius, Abbas Bracla- vien. 275.
- PSEUDOEPISCOPI 331.
- PUCHOVICENSIS Decanatus 298.
- PUCHTAIEVIČ Eustachius, Sac. 211.
- PURGATORIUM 275. 397.
- PUSTINENSE Monasterium 192. 234n. 301n.
- PUZYNA Stephanus, S. J. ,165.
- PUZYNINA, Castellana Livoniae 330.
- QUERELAE Metropolitae 214. 375.
- QUIRINALE 385.

- RADOCIEWICZ, Cononicus Vilnen. 217.
 RADOMYŚL, opp. 356. 357. - Decanatus 299. 367.
 RADIVILIJ (Radziwill), dux Lithuaniae 15. 302. 383. 392.
 RADZIMINSKI - Franckiewicz Joannes Chrysostomus, OSBM, 71.
 RAHOZA Michał, Metrop. Kiovien. 318. 362.
 RACOVENSE Monasterium 132.
 RACTENSE Monasterium 132.
 RASZKOVIENSIS Decanatus 299. 367.
 RAUCTENSIS Palatinus 175. 245. 302. 344. 385.
 RAVIENSIS Palatinus 385.
 RECTOR Academiae Kiovien. 373. - Pont. Academiae Vilnen. v. Arcatt Tobia. - Pont. Coll. Leopoli. 103. 105. 174. 175. 176. 178n. 179. 181. 197. 215n. 219. 288n. - Seminarii Volodym. 377.
 REDANASCHI Caesar 116.
 REDANASCHI Maria Josephus 105n.
 REFORMATIO Ritualis 59.
 REGNUM Catholicum 253. 256. 331. 355. - Galiciae 94. 288n. - Hungariae 132.
 REGNUM Poloniae 13. 16. 21. 22. 27. 28. 30. 31. 32. 34n. 37. 38. 39. 44. 46. 47. 49. 50. 51. 53. 59. 101. 129. 130. 131. 134. 135. 136. 137. 138. 142. 148. 150. 155. 157. 170. 249. 253. 254. 244. 245. 266. 268. 282n. 284. 288. 295. 296. 297. 300. 302. 305. 307. 308. 313. 319n. 324. 332. 333. 334. 336. 340. 358. 359. 362. 370. 371. 380. 382. 410. 411. - Archivum Regni 138. - Cancellarius 258. - Constitutiones 195. 383. - Magnates 253. 262. 265.
 REGNUM Serbiae 131. 132.
 REGULAE institutionis Abbatis 400. - ss. Patrum 54. - Basilianorum. - v. Basiliani.
 RELIGIO Catholica 317. 389. 392. - 407. Graeco-orthodoxa 313. 314. 315. 316. 318. 353. 393. - Orthodoxa 354. 355. 357. 359. 362. 363. 364. 365. 367. 369. 370. 372. 373. 374. 375. 390. 391. 393. 395. 396. - Ecclesiae Ruthenae 365. 374. 393.
 RELIGIOSI Rutheni. v. Basiliani.
 RESCRIPTUM Apost. 404.
 RESERVATIONES Apost. 54.
 RESIDENTIA Dioecesis Kiovien. 364.
 RESPONSIONES Episcopi Luceorien. lat. 140.
 RESURRECTIONIS ecclesia 366.
 RESPUBLICA 262. 263. 290. 308. 311. 313. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 324. 325. 326. 327. 329. 331. 337. 338. 344. 363. 364. 371. 391. 392. 393. 396. 400. 406. - Constitutiones 263.
 REX Galiciae 92. 94. 288n.
 REX Caelestis, hymnus de Spiritu Sancto 14. 268.
 REX Poloniae 6. 34. 63. 84. 91n. 102. 102. 103. 104. 115. 119. 158. 232. 236. 237. 249. 252. 255. 256n. 258. 260. 261. 265. 273. 280. 282. 294. 296. 297. 300. 301. 302. 306. 310. 311. 313. 314. 324. 332. 333. 334. 337. 338. 339. 343. 355. 356. 359. 360. 361. 363. 381. 389. - Decreta Regis 69. 355. 372. - Legatio 260. 261. - Nominatio Regia 261. 263. 564. 265. 273. 301. 385. 410. - Privilegium 17. 249. 261. 262. 263. 264. 267. 306. 335. 368. 390. 406. 409.
 RIGENSIS Episcopatus latinus 103. - Portus 367.
 RITUS Byzantinus 90n. - Catholicus 147. - Graecus unicus 11. 12. 46. 53. 54. 55. 56. 57. 59. 61. 63. 68. 70. 73. 81. 91. 29. 93. 125. 137. 144. 157. 158. 159. 160. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 169. 170. 174. 177. 187. 188. 189. 190. 235. 236. 238. 239. 240. 241. 243. 244. 247. 266. 268. 275. 280. 305. 309. 310. 315. 316. 317. 318. 323. 325. 328. 329. 330. 334. 336. 337. 338. 339. 342. 343. 344. 346. 550. 351. 353. 374. 375. 380. 381. 389. 391. 392. 393. 394. 395. 408. - Latinus 47. 62. 63. 82. 90. 91. 93. 94. 113. 125. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 177. 187. 188. 190. 203. 204. 217. 315. 316. 318. 321. 323. 324. 325. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 344. 350. 351. 353. 370. 374. 380. 381. 383. 389. 392. 393. 394. 395. - Ecclesiae Orientalis 281. 303. 309. 310. 312. 313. 317. 329. 332. 333. 335;

337. 339. 340. 392. - Ruthenus 6. 11n. 12. 41. 139. 140. 141. 144. 146. 147. 157. 203. 353. 381. 389. 390. 391.
- ROGINSKI Josaphat, Sac. 110.
- ROHACZOVIENSIS Decanatus 298.
- ROHATYN (Rohatinia), opp. 175.
- ROKOZANII Ecclesia 141.
- ROMA 5. 6. 9. 13. 16n. 18. 21. 23. 24. 34 49 52. 53. 64n. 65. 67. 85. 91. 101. 108. 109. 114. 118. 124n. 128. 130. 131. 183 191. 214. 215. 231. 232. 240n. 241n. 247. 248. 249. 257. 259. 281. 288n. 292n. 294. 297. 309. 310. 311. 319n. 337. 342. 343. 356. 364. 365. 369. 371. 372. 384. 385. 394. 401. 410. - S. Athanasii ecclesia 49. - Archivum *ŷ*. - Nova 84. v. Constanti-
nop.
- ROMANA ROTA 92. 93. 94. 359. 360. 361. 408.
- ROMANUS Pontifex 54. 83. 84. 252. 253. 255. 256. 258. 261. 287. 300. 312. 313 323. 334. 337. 342. 345. 352. 354. 362. 364. 375. 381. 385. 388. 395. 397. 400.
- ROVNO, opp. 102. 119.
- RUDNYCKYJ Hieronymus, OSBM, 162.
- RUDNYCKYJ Sylvester, OSBM, Abbas Ovrucen. 162n. 301. 306. 307. 332. 358. 363. 383. 390n. 394.
- RUDNYCKYJ Theodosius, OSBM, Epi-
scopus Luceorien. 125. 127. 159. 162. 169. 185. 205. 260. 261. 264. 265. 267. 270. 271n. 293n. 301.
- RUPNIEWSKI Stephanus, Ep. Luceo-
rien. lat. 57. 139. 140. 143. 144. 145.
- RUSSIA 6. 14. 16. 20. 24n. 25. 30. 33. 37. 40. 42. 44. 45. 47. 49. 53. 54. 58. 64. 66. 67. 83. 94. 95. 96. 105. 110. 111. 122. 234. 247. 254. 262. 263. 277. 286. 293. 295. 296. 317. 318. 320. 328. 331. 332. 336. 342. 343. 344. 354. 366. 368. 380. 390. 400. 408. 411. 412. - Russia Alba 11. 41. 232. 273. 356. 373. - Russia Inferior 296. 297. 362. - Septentrionalis 364. - Superior 296. 362. - Ecclesia Russiae 264. - Russia Or-
thodoxa 291. 295. 349. 352. 354. 365. 369. 405. - Palatinus Russiae 175. 344. - Russia unita 51. 52. 53. 58. 78. 89. 91. 258. 285. 286. 305. 320. 353.
- RUTA, opp. 127. 129. 130. 131. 132. 302.
- RUTHENI 16. 55. 59. 83. 97. 111. 113. 139. 288. 305. 309. 310. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 321. 341. 353. 354. 380. 382. 388. 389. 390. - Rutheni uniti 91. 93. 94. 97. 147. 148. 166. 247. 249. 250. 252. 255. 256. 258. 305. 307. 308. 317. 318. 319. 320. 321. 324. 326. 328. 329. 331. 332. 333. 334. 335. 337. 339. 340. 341. 342. 351. 353. 362. 363. 370. 394. 395. - Rut. non uniti 353. 365. - Rutheni Orthodoxi 292. 314. 315. 375. - Mulieres Ruthenae 62. 189. - Terra Ruth. 251. 306. - Ruth. latinizati 336.
- RUTSKYJ Velamin Josephus, Metrop. Kiovien. 117. 296. 297. 300n. 333. 341. 363. 365. 368.
- RYLLO Maximilianus, Episcopus Chel-
men. 241. 243. 409.
- RZEWUSKI Stanislaus 104.
- SACERDOTES 60. 217. 344. 357. 371. 372 397. - filii 195.
- SAECULARES Ecclesiastici Rutheni 366. 370. 391. 399.
- SACRAMENTA 112. 145. 148. 149. 184. 239. 274. 275. 288. 338. 392. 398.
- SACRA Scriptura 242. 274.
- SACRARIUM 238. 240.
- SACRIPANTE Josephus, Praefect. Con-
greg. de Prop. Fide 107n. 125n.
- SACRISTANUS 62.
- SACRUM Ministerium 201.
- SAHAJDAČNYJ Petrus, hetman 297n.
- SAKOSIUM (Saccosium in Liturgia) 82. 83. 283.
- SAKOWICZ Cassianus, sac. 311.
- SALDICENSIS Episcopus 225.
- SALVATORIS S. ecclesia 372.
- SAMBORECKI Paulus, Notarius 190.
- SAMOGITIENSIS Episcopus 18. 336n.
- SAMOJLOVYČ Joannes, dux cosacorum 42n.
- SAMUELIDES Symeon, Colonellus Staro-
dubovien. 42.
- SANCTI 275.
- SANCTI Salvatoris ad Montes Monaste-
rium, 22. 39. 53. 220.
- SANGUSZKO Janusz, Dux 409. 412.
- SANTA CROCE Antonius, Nunt. Varsa-
vien. 313.

- SANTINI Vincentius, AEpiscopus Tra-
penzuntinus 77. 127n. 138n.
- SAPIEHA Josephus, comes 250. 251. 252
273.
- SARMATIA 313.
- SAXONES 34. 39.
- SAXONIA 235n. 237. 283n.
- SCHISMA 12. 24. 35. 40. 41. 49. 119.
120. 195.
- SCHISMATICI 11. 12. 13. 54. 62. 63. 108.
131. 132. 142. 144. 147. 196. 202. 204.
217. 231. 249. 250. 252. 253. 254. 255.
256. 273. 274. 282. 288. 291. 292. 302. 306.
314. 316. 317. 320. 326. 327. 328. 329.
330. 331. 332. 333. 337. 339. 340. 342.
351. 352. 357. 358. 360. 363. 365. 370. 371.
372. 373. 375. 381. 382. 390. 392. 393.
395. 398. 406. 407. 410. 411. - dogmata
Schismaticorum 322. 323. - Ecclesiae 307.
- Monachi 302. 355.
- SCHOLAE 346. 353. 363n.
- SCUTA romana 410.
- SCYTI 364.
- SECTA Calvinistica 117. 118. - Lutherana
91. - Veterocredentium 41. 141. 142. 195.
196. 302. 370.
- SEDES Apostolica 11. 13. 16. 22. 33. 38.
39. 41n. 43. 55. 57. 58. 61. 71. 81. 83.
108. 109. 110. 122. 125. 126. 128. 132.
135. 136. 137. 138. 142. 143. 144. 146
155. 157. 187. 194. 206. 208. 213. 216.
217. 221. 225. 232. 236. 237. 247. 248.
249. 251. 252. 254. 255. 256. 258. 259.
260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267.
270. 271. 273. 277. 281. 283. 284. 285.
286. 288. 289. 290. 293. 294. 296. 297.
298. 299. 300. 318. 321. 322. 324. 325. 327.
328. 329. 330. 332. 333. 334. 335. 337.
338. 339. 340. 343. 350. 351. 352. 355.
357. 361. 362. 363. 364. 371. 374. 375.
376. 377. 379. 380. 381. 383. 386. 391.
392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399.
400. 402. 403. 404. 405. 408. 409. 410.
411.
- SEDES Constantinopolitana 365. - Metro-
politana Russiae 11n. 12n. 247. 248.
295. 370. 371. 373. 374. - Antimetropo-
litana 362. - Mukačoviae 127n. - Pere-
jaslaviae 249n. 256. - Polociae 11n. 370.
373.
- SEMINARIA (Collegia) 226. 238. 242. 284.
285.
- SEMINARIUM pro Ruthenis Leopoli 33.
39. 80. 160. 161. 188. - Peremysliae 39.
66. 67. 80. - Polociae 234. 377. 378. - Vil-
nae 233. 349. 350. 351. - Volodymyriae
89. 148. 149.
- SENATORES Regni Poloniae 315. 331.
336.
- SENATUS 331.
- SERBIA 38. 132. 317.
- SERGII et BACCHI ecclesia 193.
- SERRA Nicolaus, Nunt, Varsav. 354n.
381n.
- SICILIA 189. 217.
- SICULI, gens 288. 336. 342.
- SIDOROWICZE, opp. 250. 251. - Ecclesia
251.
- SIELAVA Antonius, AEpiscopus Polocen.
81. 297. 303. 365. 371.
- SIENIAWSKI Adam, Cast. Cracov. 104.
- SIENOVA, villa 137.
- SIEVIEZENSIS Decanatus 373.
- SIGISMUNDUS I, Rex Poloniae 84. 119.
301. 326.
- SIGISMUNDUS III, Rex Pol. 91n. 102.
296. 297. 313. 333. 334. 335. 337. 338.
355. 373.
- SILESIA 82. 284. 326. 365.
- SIMEON, AEpisc. Polocen. 84n.
- SIMONIA 50. 114.
- SIXTUS PP. IV 365.
- SIXTUS PP. V. 159. 238. 294.
- SKARBEBK Joannes, AEpiscopus Leopoli.
lat. 54. 55. 56. 57. 336.
- SKOWRONSKI, polonus 140. 141.
- SKWARCZYNSKI Stephanus, Notarius
Apost. 77. 170. 186. 238.
- SLAVI 317.
- SLAVONIA 132.
- SLAWESKI 203.
- SLEDKIEWICZ Michaël, Notarius Apost.
376. 379. 387. 388. 394. 399.
- SLONIMENSIS Decanatus 298.
- SLOPCZANSKI Michael, Notarius Apost.
348.
- SLUBICZ-ZALENSKYJ Leo 11n. v. Za-
lenskyj.

- SLUČ (Sluzk), opp. 302. 370. - Archimandrita 407.
 SMILANENSIS Decanatus 299. 367.
 SMOGORZEWSKYJ Jason, AEpiscopus. Polocen. 8ln. 232. 254. 255. 256. 272. 303. 305. 350. 384.
 SMOLANENSIS Decanatus 374.
 SMOLENSCENSIS Archieparchia 77. 81. 82. 87. 150. 234n. 301. - Archiepiscopus 84. 19ln. 192. 214n. 234. 239n. 253n. 301. 326. 364n. 368n. 377. 379. 382. 383. 410n. 411. - Ecclesia 296. 362. - Episcopus latinus 103. 346. - Episcopus non unitus 331.
 SOCIETAS Jesu (Jesuitae) 11 12. 14. 68. 90. 128 n. 233n. 273. 335. 342n. 343. 352 359. 360. 361. 372. 373. 374. 370. 407. v. Lites .
 SOCIETATES Regulares 336.
 SOKALIENSIS Decanatus 82.
 SOKOLINSKI Laurentius, OSBM, 13. 23.
 SOKOLINSKI Metrophanes 82.v. Druckyj
 SOLTYK Cajetanus, Episcopus Kiovien. lat. 385.
 SOPHIA S., ecclesia cath. Kiovien. 366.
 SORBELLONI Fabricius, Nuntius Varsav. 202n. 209. n. 215n.
 SOSNOWSKI, Nobilis 65.
 SPAS, opp. 22. 32. 52.
 SPIRITUS sanctus 268. 343. 373.- Ecclesia 300. 388. 373.
 SPONSALIA 340. 342.
 STARODUBOVIENSIS Colonellus 42.
 STAROSTIA di Bialocereovia 385. 386. 387.
 STARYJ Sambir 220n.
 STATIVA Hibernalia 16.
 STATUS Ecclesiae Metropolitanae Kiovien. et Halicien. 159. 168. 236. 237. 243. 361. 362. 408.
 STEBELSKYJ Ignatius (auctor operis) 110n. 208n.
 STEBNOVSKYJ Caesarius, Procurator in Urbe, OSBM, 191. 208n. 214n. 239. 241. 253n. 364. 377. 379. 383. 394.
 STOLPOWICKI-LEBIECKI Cornelius, Delegatus Metropolitanus 125. 126.
 STRABLA 80
 STRASZEWICZE, villa 29. 220.
 STRUNIE, opp. 257. 259. 272. 292. 347. 348. 356. 375. 376. 377. 382. 383. 387. 388. 389. 405. 406. 407.
 SUFFRAGANEI Episcopi 224. 225. 237. 368. 378.
 SUFFRAGIA pro anima 223.
 «SUPER FAMILIAM», Epist. pont. 400.
 SUPERIOR Residentiae Varsavien. 167.
 SUPERIORES Rutheni 16n. 224. 231. 239. 262.
 SUPRASL, opp. 6. 115. - Archimandrita 5. 70. 162. 377. 410. 411. - Eparchia 300n. - Monasterium 24. 25. 26. 27. 116. 117. 162. 164. 187. 300. 399.
 SUSZA Jacobus, Episcopus Chelm. 67. 81. 82. 92n. 260. 288. 319. 320.
 SVETIA (Suetia) 18. 120. 138.
 SYLLARAG, districtus 34.
 SYMBOLUM Apostolorum 49. - fidei 57. 58. 184. 237. 274. 323. 396. 401.
 SYNODUS Eparchialis 44. 45. 46. 51. 53. 343. 367. - Nationalis Ruthen. 362. - Provincialis 6. 41. 46. 67. 71. 72. 85. 86. 90. 247. 402. 403.
 SYNODUS Prov. Chelmae 73. 74. 75. - Leopoliem. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. - Luceorien. lat. 143. 144. - Zamostiana 70. 72. 73. 74. 75. 76. 78. 79. 80. 81. 87. 89n. 96. 97. 105. 106. 107. 108. 110. 111. 112. 122. 123. 125. 126. 127. 128. 129. 136. 142. 148. 155. 167. 168. 171. 175. 178. 192. 195. 202. 204. 206. 225. 231. 232. 234n. 257. 258. 259. 262. 283. 284. 285. 299. 301. 333. 336. 362. 396. 400.
 SZANIAWSKI Felicianus, Episcopus, Cracovien. 104.
 SZCZAWINSKI, polonus 312.
 SZCZUPLINSKI Jacobus 57.
 SZEMBEK Joannes 104.
 SZENKOWSKI Stephanus 357.
 SZEPTYCKYJ Alexius 155.
 SZEPTYCKYJ Athanasius Gabriel, Metropolita Kiovien. 6. 28n. 55. 58. 75n. 78. 79. 80. 88. 97. 125. 126. 132n. 142. 151. 153. 155. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 169. 170. 171. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 818.

189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196.
197. 198. 199. 200. 201. 203. 204. 205.
206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213.
214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221.
222. 223. 224. 225. 226. 231. 232. 236.
257n. 258. 259. 260. 261n. 263. 265. 266.
267. 287n. 299. 302. 337. 356. 365. 385.
- Barlaam, Episcopus Leopoliensis. 28n. 155.
160. - Hieronymus Ep. Suffrag. Luceorien.
224. 225.
- SZEPTYCKYJ** Leo Ludovicus, Episcopus
Leopol. 224. 280. 281. 295n. 301. 306. 332.
358. 364. 383. 394. - Nicolaus 224. - Si-
mon 224.
- SZEREMETA** 14. 15.
- SZJKOWSKA** Helena 190. 191.
- SZUMLANSKYJ** Cyrillus, Episcopus Pere-
jaslaviensis, non unitus 20. 28n. 63. - Jo-
sephus, Episcopus Leopoliensis. 20n. 28. 61.
102. 120. 121. 177. 178. 222. 281n. - Onu-
phrius, Episcopus Peremysl. 198n. 266.
269. 270. 300. 306. 309. 332. 358. 363n.
364. 394.
- SZYRNIA** Antonius, S. J., 164.
- SZYSTOVA**, villa 149.
- SZYSZATOVICENSE** Monasterium, in Ser-
bia, 132.
- TABERNACULUM** Foederis (Testamenti)
288.
- TABULARIA** Congr. de Prop. Fide 311.
313. 318. 319. v. Archivum.
- TAIA** Flaminius, Romanae Rotae Auditor
92. 94.
- TALARI** 46. 347. 348. (genus pecuniae).
- TARNAWSKI** Josephus 388.
- TARTARI** 318. 324. - Legatus tartarorum
138.
- TAXA** Innocentiana 50.
- TENUTORES** Volodymyrienses 377. 379.
- TERAWSKI** Sylvester, Archimadr. Doro-
hobuscensis. 125. 127.
- TERLECKYJ** Cyrilius, Ep. Luceorien., 83.
84. 85. 119. 283n. 362n. - Methodius, Ep.
Chelm., 288n.
- TERRARUM** limites 82. 173.
- TESTAMENTUM** Metropolitanæ A. Szepty-
ckyj 222.
- TESTES** in electione Metropolitanarum, 57.
161. 163. - 164. 165. 166. 167. 185. 237.
239. 240. 241. 243. 244. 245. 276. 388.
- TETIOVIENSIS** Decanatus 299. 267.
- THEATINI** Patres 55. 67. 74. 155. 160n.
289n.
- THEOLOGIA** 233. 238. 240. 242.
- THEOPHANES**, Patr. Hierosolymitanus,
297. 363.
- THESSALI**, gens, 317.
- THOMICZ** Michaël, sacerdos Leopoliensis,
213.
- THUMENECENSIS** Decanatus 298.
- TITULUS** Abbatiae Kievo-Pečeren., 370. -
Metropolit. 247. 364. - S. Onuphrii 149.
- Protoarchimadritæ OSBM, 368. 369.
- TOLOCZYNSIS** Decanatus 374.
- TOMYLOVYČ**, Protoarchimadrita OSBM,
214n.
- TOPILCE**, villa 116. 117.
- TORCZYNSIS** Decanatus 82. - Arx 145.
- TRACTATUS** Andrusoviensis 297n. - Ha-
diacensis 320. - Regni Poloniae 336. 339.
- Zboroviensis 320.
- TRADITIO** Apostolica 111. 274. 398.
- «TRAGOEDIA Polocensis», Diarium, 14n.
- TRANSBORYSTENSES** Rutheni 320. 321.
- Schismatici 320. 326. 327. 328. 329.
- TRANSITUS** ad alium Ritum, 91. 139. 143.
144. 171. 174. 187. 188. 189. 190. 205.
305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312.
313. 314. 315. 316. 317. 322. 323. 324. 327.
329. 330. 332. 333. 334. 336. 337. 338.
339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346.
350. 351. 353. 380. 383. 392. 394.
- TRANSYLVANIA** 54. 317.
- TRAPEZUNTINUS** AEpiscopus 77. 127n.
138n. v. Santini.
- TRIBUNAL** ecclesiasticum 161. - Aposto-
licum 37. 39. 83. 109. 110. 129. 186. 259.
- Apost. Nuntiaturæ 51. 52. 53. 139. 180.
181. 183. 198. 202. 203. 237. 299. 356.
369. - Dioecesis Chelm. 93. 94. - Leopoli
182. - Vilnen. latinum 217.
- TRIBUNALIA** saecularia 161. - Magni Du-
catus Lithuaniae 240. 242. 244. 302. -
Regni Poloniae 68. 100. 102. 103. 104.
121. 122. 135. 299. 302. 347. 348. 385.
400. 403. - Zitomiriae 385.

- TRINITATIS SS. Ecclesia Minscen. 368.
- natura 43.
- TROJANI 327.
- TROMBETTI Stephanus, Rector Sem. Leop.
pol. 33n. 34. 39. 55. 65. 72. 75. 80. 95.
101. 105. 174. 175. 176. 177. 178n. 179.
180.
- TRULEVYČ Benedictus OSBM, Procura-
tor in Urbe 27. 64. 108.
- TURCI 42. 122. 138. 288. 313. 317. 320.
324. 325.
- TURCIA 342. - floreni turcici 224.
- TURCZYNOWSKYJ, Monachus 197. 199.
200.
- TUROVIENSIS Abbas 377. - Ecclesia Ca-
thedralis 296. Ep. 407. 409. 410. 411. 412
- TURZANSKA Rosalia 223. 224.
- TURZANSKI Ambrosius, OSBM, Abbas U-
niovien. 224. 384. 394.
- TYNFONI 347. (species pecuniae).
- TYSZKOWSKA M. 141.
- TWARDOWSKI, historicus, 320.
- UCRAINA (Ukraina) 6. 32n. 41n. 42. 62.
74n. 94n. 155. 199n. 207n. 249n. 288n.
295n. 300n. 319n. 320. 324n. 355n. 357.
361n. 363n. 365. 367. 370. - Incolae U-
crainae 296.
- UJEJSKI Thomas, S. J., Ep. Kiovien. lat.
209n.
- ULINSKYJ Ignatius, OSBM, Archimandr.
Dorohobuseen. 375. 376. 383.
- ULINSKYJ Nicanor, OSBM, 221.
- ULLOYNOVITZ Stephanus, OSBM, 131.
- UNIO cum Ecc. Romana 11. 12. 14n. 15.
16. 21. 22. 24. 30. 31. 32. 33. 34. 40. 43.
45. 62. 63. 66. 68n. 71. 72. 82n. 86. 91.
96. 99. 105. 108. 109. 130. 131. 132. 133.
143. 146. 147. 161. 169. 172. 188. 189.
195. 204. 231. 232. 234. 247. 251. 267.
273. 285. 287. 288. 305. 307. 312. 313.
314. 315. 316. 317. 318. 320. 322. 326.
329. 331. 332. 333. 336. 337. 339. 341.
342. 344. 351. 352. 353. 354. 355. 357. 359.
360. 361 - 363. 364. 368. 370. 372. 373.
374. 381. 383. 390. 391. 395. 392. 393.
396. 400. 403. 406. 407. 408. 411. - Apo-
logia Unionis, opus 319. - Berestensis
24n. 84n. 308n. 362n.
- UNIO Dioecesium 101. - Eparchiae Leopoli-
en. 195. - Graecorum 316.
- UNIO s. d. Perejaslaviensis 385n. - politi-
ca 363n.
- UNIO Monachorum Basilianorum 254. - Mo-
nasteriorum Ucrainae 204 n. 216n. 254.
- UNITI 16. 297. 300. 333. 334. 335. 337.
338. 339. 340. 342. 345. 346. 363. 380.
383. 392. 393. 394. 395. 398. 406. 408.
- Scholae unitorum 11n. - non Uniti 248.
255. 301. 303. 356.
- UNIV, opp. 173. 174. 175. 176. 188. 189.
196. 197. 200. 205. 211. 212. 214. 220.
223. - Abbas 55. 160. 167. 177. 224. 384.
394. - Monasterium 115. 197. 212. 222.
223n. 263.
- URBANUS PP. VIII 91. 119. 139. 141. 143.
146. 171n. 174. 184n. 189. 196. 205. 237.
251n. 254. 303. 305. 306. 307. 308. 309.
310. 314. 316. 327. 333. 334. 335. 356.
337. 338. 340. 342n. 343. 344. 345. 368.
383. 390. 392.
- URBS 238. 239. 240. 242. 244. 247. 253.
255. 262. 273. 285. 303. 334. 356. 360
361. 362. 385. 391. 397. 408. 410. v. Roma
- USTJA, opp. 190.
- USTRYCKYJ (Ustrzycki) Basilius 331. -
Hieronymus, Episcopus Peremysl. 78. 79.
88. 97. 142. 169. 198n. 205. 220. 259n.
- VALACHI 317. 318. 320.
- VALACHIA 199. 365. 370. 381.
- VALENTI-GONZAGA Silvius, Card., Pra-
ef. de Prop. Fide. 253. 334n. 340n. 360n.
- VANDALINUS in Magna Konczyce 387.
- VARADINUS, civ. 34.
- VARSAVIA, opp. 28. 36. 38. 39. 58. 67n.
70. 74. 75. 77. 114. 115. 116. 117. 118.
120. 121. 127. 150. 157. 163. 164. 165.
170. 172. 173. 176. 184. 185. 186. 189.
191. 192. 194. 235. 237. 245. 253. 255.
274. 288. 301. 344. 381. 386. 387. 406.
- VARSAVIENSIS Nuntius v. Nuntius Po-
loniae, Acta Curiae Varsavien. 386. - Ca-
nonicus Varsavien. 243. 244. - Colleg. Var-
savien. Societatis Jesu 164. 165. - Comi-
tia 95. - Conventus Cappucinatorum 165.
166. - Ecclesia Collegiata 287. - Monaste-

- rium OSBM 300. - Procur. Gen. OSBM Varsavien. 241. 242.
- VATICANUM 30. 31. 32. 33. 40. 44. 45. 66. 78. 79. 84. 87. 105. 109. 133. 135. 143. 176. 181. 196. 221. 254. 350. 381.
- VENETIAE 371.
- VERDNICENSE Monasterium 132.
- VERCHOVIENSE Monasterium 17. 25. 89.
- VEROA, opp. 345.
- VETUS Testamentum 398.
- VIATICUM Sacrament. 287.
- VICARIATUS Apostolicus 37. 114. 284.
- VICARIUS Christi 37. 41. 254. 260. 261. 264. 273. 275. 290. 397. 398.
- VICARIUS Generalis Polocen. 239. 241. 243. 253. 272. 299. 303n. - Vilnae 366. 367. - Volodymyriae 378. - Metrop. 407. 410. 411.
- VICEDAPIFER Regni Poloniae 375.
- VICECANCELLARIUS 237. 243. 245.
- VILNO, opp. 15. 18. 19. 29n. 35. 119. 165. 116. 233. 266. 268. 279. 280. 297. 300. 302. 305. 306. 307. 322. 340. 346. 347. 348. 349. 366. 370. 382. 410. - Academia Bathorea Vilnensis 231. 233. 242. - Alumnatus 233. 351. 352. 353. - Archimandria 17. 18. 19. 20. - Capitulum 5. 35. - Collegium, Pont. 231. 232. 233. 349. 350. 351. 410. - Confraternitas 366. - Ecclesiae: Assumptio in Coelum BVM 297. 298. 366. - Cathedralis 243. - S. Nicolai 297. 366. - S. Praxedis 298. 366. - S. Recurrectio Dominica 366. - SS. Trinitatis 15. 298. 300. 368. - Episcopus unicus 273. 284. 287. 336. 345. - Ep. latinus 217. - Monasterium SS. Trinitatis 5. 18. 19. 20. 254. 300n. - Palatinus 82. 341. - Palatium Metropolitanum 365. 366. - Parochi Dioeceseos Vilnen. 337. - Praelatura 17. - Procurator Consistorii 388. - Superior Monast. 231. 239. - Tribunal Ritus Latini 217.
- VINEA Christi 262. 318. 329. 354. 357.
- VINNYCIA, opp. 368. - Decanatus 75. 299. 367.
- VISCONTI Antonius Eugenius Nunt. Apost. 406n. 408n.
- VISCONTI Honoratus, Aep. Larissenus 120.
- VISITATIO Canonica 278.
- VISZNIEWSKYJ, Ep. Smolenscen. non unicus 331.
- VITOLDUS, Magnus Dux Lithuaniae 301.
- VITUICKI Joannes Stanislaus, Ep. Kiovien lat. 314.
- VITEBSK, opp. 251n. 355n. - Decanatus 373. - Ecclesia Cathedralis 235. 372. - Episcopatus 12n. 234. 279. 281. - Episcopus 231. 357. 375. 376. 377. - Monasterium 76. 233. - Superior Monast. 16n. 231. 239. - Palatinus 233.
- VLADIMIRUS S., Monarcha Rus - Ucrainae 83. 94. 295. 361. 364. 390.
- VLADISLAUS IV, Rex Poloniae 119. 326. 363. 372.
- VOLGA, fl. 295. 362.
- VOLHINIA 5. 6. 9. 18. 40. 41n. 49. 92n. 139. 140. 144. 288n. 365. - Monasteria Volhiniae 19. - Palatinus 119. 347. 348.
- VOLKOVYSCENSIS Decanatus 298.
- VOLODYMYR, opp. 6. 17. 18. 19. 20. 27. 29. 31. 32. 58. 64. 65. 66. 67. 68. 70. 74. 82. 96. 97. 98. 99. 100. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 122. 131. 132. 133. 134. 136. 143. 144. 145. 146. 148. 149. 174. 348. 364. 378. 382. 383. 388. 389. 390. - Acta Castren. Volodymyrien. 150. - Alumni Seminarii 378. 379. - Capitulum OSBM 149. 377. - Ecclesia Vol. 362. 377. 378. 379. 386. - Eparchia 25. 47. 66. 68. 77. 82. 84. 87. 88. 89. 376. 377. 378. 379. 409. - Episcopus 24. 25. 66. 82. 83. 187. 265. 267. 269. 270. 280. 283. 293. 295. 296. 300. 346n. 350. 357. 362. 365. 376. 377. 378. 379. 406. 409. 410. 411. - Oeconomus 377. 378. 379. - Collegium (Seminarium) 49. 89. 96. 148. 149. 150. - Curia Ep. 410. 412.
- VOLUNTAS Regia 336. 337. 339.
- VOŠČYNCI, villa 155.
- VRATISLAVIENSIS Episcopus 82. 284.
- VYNNYCKYJ Georgius, Metrop. Kiovien. 5. 6. 20n. 29n. 30. 32n. 35n. 39n. 96. 121. 335.
- VYNNYCKYJ Innocentius, Ep. Peremyslien. 20n. 82n.
- VYNNYCKYJ Antonius, Ep. Peremyslien. non unicus 82.

- WADARSKI Andreas, Decanus Vitebscen.
276.
 WAKA, bona, 302.
 WAKULSKI Symphorianus, sac. 108.
109.
 WARNENCZYK Vladislaus, Rex Pol.
364.
 WARZACKI Marcellus OSBM 280. 282.
 WASOWA 72.
 WICYNENSE Monasterium 222.
 WICZKIEWICZ Joannes, Notar. Apost.
388.
 WIELASCOVIENSIS Decanatus 374.
 WIELHOSKI Petrus 75.
 WIELICENSIS Decanatus 374.
 WIETRZYNSKI Maximilianus, Apostata,
17. 64. 65. 66. 100. 101. 108. 109. 110.
117. 118. 129. 130. 131. 369.
 WISNIOWIECKI Michał, Palatinus Cra-
coviensis. 104. 115.
 WOJNA-ORANSKI Josephus Xaverius,
Dapifer Novogroden. 141. 149.
 WOLČANSKYJ Hieronymus, Ep. Mohi-
loviensis. non unitus 256n. 331. 355. 356n.
373.
 WOLČANSKYJ Josephus, Metropol. Mo-
scoviensis. 249. 250. 252. 256.
 WOLK Firmianus, OSBM, 64n. 101. 109.
 WOŁODKOVYČ Felicianus Philippus, Me-
trop. Kioviensis. 150. 200n. 205. 232. 265.
271n. 291n. 300. 306. 332. 346. 347. 348.
349. 350. 363. 367n. 376n. 377. 379. 384.
385. 387. 394. 406n. 409n.
 WRONSKI, lector, 387.
 WYCHOTA Zacharius, Notarius 95.
 WYHOVSKYJ Joannes, dux cosacorum
320.
 WYHOVSKYJ Josephus, Exarcha Me-
tropoliae, 36. 78. 79. 80. 88. 97. 125. 126.
140. 142. 169.
 WYSOCZANSKI, monachus, 202.
 WYSZPOLSKI Antonia Barbara 155. - An-
tonius 224. 225. - Stanislaus, Subdapi-
fer Kioviensis. 223.
 WYZYCKI Nicolaus 203.
 ZABOKRYCKYJ Dionysius, Ep. Luceo-
rien. 28n.
 ZABOROVSKYJ Raphaël, Metrop. Kio-
vien. non unitus 331.
 ZALENSKYJ Leo, Metro Kioviensis. 14n.
15n. 23n. 28. 81. 96. 365. 371n.
 ZAMOSC (Zamostia) 6. 41n. 76. 77. 78. 79.
81. 85.
 ZAMOSTIANA Synodus 70. 72. 73. 74. 75.
76. 78. 79. 80. 81. 87. 89n. 96. 97. 105.
106. 107. 108. 110. 111. 112. 122. 123.
125. 126. 127. 128. 129. 136. 142. 148.
155. 167. 168. 171. 175. 178. 192. 195.
202. 204. 206. 225. 231. 232. 234n. 275.
258. 259. 262. 283. 284. 285. 299. 301.
333. 336. 362. 396. 400. 402.
 ZAMOYSKI Michał 75n.
 ZANKEWICZ Demetrius, OSBM 24. 27.
 ZAPOLANENSIS Decanatus 374.
 ZAŠKOWCI, pagus 224.
 ZASOZENSIS Decanatus 374.
 ZAVADSKYJ Antonius, OSBM, Consul-
tor, 24. 27. 73. 76. 101n. 192.
 ZAVADSKYJ Maximilianus, OSBM, Pro-
curator, 193n. 205n.
 ZBOROVIENSIS tractatus 320.
 ZENOPOLITANUS Episcopus 215. 260.
289.
 ZIENKOWICZ Michael, Ep. Vilnen. 287n.
337n. 345.
 ZOCHOWSKYJ Cyprianus, Metrop. Kio-
vien. 81. 86. 117n. 365. 368. 371.
 ZOILLOS 127. 128. 129.
 ZOLKOWSKYJ Antonius Josephus, Suf-
frag. Vilnen. 273.
 ZURAKOWSKI Basilius, Alumnus Leo-
polien. 188. 312.
 ZWOLINSKI Franciscus, 223. 224.
 ŻYDYČENSIS Abbas 222. 384. - Archi-
mandria 85. 89. 271
 ŻYRAVSKYJ Patricius OSBM, Procura-
tor in Urbe 128n. 130n. 204. 206. 209n.
 ŻYROVIČI, opp. 21. - Abbas 239. 241.
- Monasterium 5. 22. 214. 231. 233. 239.
241.
 ŻYTOMIRIENSIS Decanatus 298. 367. -
Districtus 41. - Tribunal 385.
 ŻYWOTOVIENSIS Decanatus 299-337
 XENODOCHIUM Vilnense 366. 372.

II.

ELENCHI PONTIFICUM, REGUM, NUNTIORUM, METROPOLITARUM, EPISCOPORUM ETC. (1710-1770)

1. Pontifices Romani

| | |
|------------------|-----------|
| Clemens XI | 1700-1721 |
| Innocentius XIII | 1721-1724 |
| Benedictus XIII | 1724-1730 |
| Clemens XII | 1730-1740 |
| Benedictus XIV | 1740-1758 |
| Clemens XIII | 1758-1769 |

| | |
|----------------------------|-----------|
| Hieronymus Grimaldi | 1712-1720 |
| Hieronymus Archinto | 1720-1721 |
| Vincentius Santini | 1721-1728 |
| Camillus Merlino | 1728-1738 |
| Fabritius Sorbelloni | 1738-1746 |
| Albericus Archinto | 1746-1754 |
| Nicolaus Serra | 1754-1760 |
| Antonius Eugenius Visconti | 1760-1766 |
| Angelus Maria Durini | 1766-1772 |

2. Patriarchae Constantinopolitani

| | |
|-------------------------|-----------|
| Athanasius V | 1709-1711 |
| Cyrillus IV | 1711-1713 |
| Cyprianus I (2 v.) | 1713-1714 |
| Cosmas III | 1714-1716 |
| Ieremias III (1 v.) | 1716-1726 |
| Callinicus III | 1726 |
| Paisius II (1 v.) | 1726-1732 |
| Ieremias III (2. v.) | 1732-1733 |
| Serafinus I | 1733-1734 |
| Neophitus VI (1 v.) | 1734-1740 |
| Paisius II (2 v.) | 1740-1743 |
| Neophitus VI (2 v.) | 1743-1744 |
| Paisius II (3 v.) | 1744-1748 |
| Cyrillus V (1 v.) | 1748-1751 |
| Paisius II (4 v.) | 1751-1752 |
| Cyrillus II (2 v.) | 1752-1757 |
| Callinicus IV | 1757 |
| Seraphinus II | 1757-1761 |
| Joannicius III | 1761-1763 |
| Samuel Chanceris (1 v.) | 1763-1768 |
| Meletius II | 1768-1769 |
| Theodosius II | 1769-1773 |

4. Praefecti S. C. de Prop. Fide

| | |
|-------------------------|-----------|
| Josephus Sacripante | 1704-1727 |
| Vincenrius Petra | 1727-1747 |
| Silvius Valenti-Gonzaga | 1747-1756 |
| Josephus Spinelli | 1756-1763 |
| Josephus Maria Castelli | 1763-1780 |

5. Secretarii S. C. de Prop. Fide

| | |
|-----------------------|-----------|
| Silvius de Cavalieri | 1707-1717 |
| Aloysius Carafa | 1717-1724 |
| Bartholomaeus Ruspoli | 1724-1730 |
| Nicolaus Fortiguerra | 1730-1735 |
| Philippus Maria Monti | 1735-1743 |
| Nicolaus Lercari | 1744-1757 |
| Nicolaus Antonelli | 1757-1759 |
| Marius Marefoschi | 1760-1770 |

6. Metropolitae Kiovienses catholici

| | |
|-----------------------|-----------|
| Georgius Vynnyekyj | 1708-1713 |
| Leo Kiška | 1714-1729 |
| Athanasius Szeptyckyj | 1729-1746 |
| Florianus Hrebnickyj | 1748-1762 |
| Philippus Volodkovyč | 1762-1778 |

3. Nuntii Apost. Varsavienses

| | |
|-----------------------|-----------|
| Nicolaus Spinola | 1707-1712 |
| Benedictus Odescalchi | 1712 |

7. Metropolitae Kiovienses non uniti

| | |
|-------------------|-----------|
| Joasaf Krokovskyj | 1707-1710 |
| Barlaam Vanatovyč | 1722-1738 |

| | |
|-----------------------|-----------|
| Raphael Zaborovskij | 1731-1747 |
| Thimotheus Ščerbackyj | 1747-1757 |
| Arsenius Mohylanskyj | 1757-1770 |

8. Archiepiscopi Polocenses

| | |
|----------------------|-----------|
| Sylvester Pieškevyč | 1709-1719 |
| Florianus Hrebnycykj | 1720-1762 |
| Jason Smogorzevskij | 1762-1780 |

9. Archiepiscopi Smolenscenses

| | |
|-------------------------------|-----------|
| Laurentius Drucki-Sokolinskyj | 1709-1727 |
| Antonius Tomylovyč | 1736-1745 |
| Polycarpus Myhunevyč | 1747 |
| Caesarius Stebnovskij | 1756-1762 |
| Heraclius Lisanskyj | 1763-1771 |

10. Protothronii Volodimirienses

| | |
|----------------------|-----------|
| Leo Kiška | 1711-1729 |
| Cornelius Lebeckyj | 1729 |
| Theophilus Godebskyj | 1730-1756 |
| Philippus Volodkovyč | 1758-1778 |

11. Episcopi Luceorien.-Ostrogenses

| | |
|-----------------------|-----------|
| Dionysius Zabokryckyj | 1702-1715 |
| Josephus Vyhovskij | 1716-1730 |
| Theodosius Rudnyckyj | 1731-1751 |
| Sylvester Rudnyckyj | 1752-1777 |

12. Episcopi Pinscen.-Turovienses

| | |
|-----------------------|-----------|
| Porphyrius Kulčyckyj | 1703-1716 |
| Joachim Ciechanovskij | 1716-1719 |
| Theophilus Godebskyj | 1720-1730 |
| Georgius Bulhak | 1730-1769 |

13. Episcopi Chelmen.-Belzenses

| | |
|----------------------|-----------|
| Josephus Levyckyj | 1711-1730 |
| Philippus Volodkovyč | 1730-1758 |
| Maximilianus Ryllo | 1759-1785 |

14. Episcopi Peremyslien.-Samborien

| | |
|----------------------|-----------|
| Georgius Vynnyckyj | 1700-1713 |
| Hieronimus Ustryckyj | 1715-1746 |

| | |
|-----------------------|-----------|
| Onuphrius Szumlanskyj | 1746-1762 |
| Athanasius Szeptyckyj | 1762-1779 |

15. Episcopi Leopoliens.-Camenecens.

| | |
|-----------------------|-----------|
| Barlaam Szeptyckyj | 1710-1715 |
| Athanasius Szeptyckyj | 1715-1746 |
| Leo Szeptyckyj | 1749-1779 |

16. Episcopi Munkacsienses

| | |
|--------------------|-----------|
| Georgius Byzanczy | 1716-1733 |
| Simeon Olšavskij | 1734-1737 |
| Gabriel Blažovskij | 1738-1742 |
| Emanuel Olšavskij | 1743-1767 |
| Joannes Bradač | 1767-1772 |

17. Protoarchimandritae Basilianorum

| | |
|-------------------------------|-----------|
| Leo Kiška | 1703-1713 |
| Basilius Procevyč | 1713-1717 |
| Maximilianus Vitrynskyj | 1717-1719 |
| Antonius Zavadskij | 1719-1723 |
| Maximilianus Vitrynskyj | 1723-1724 |
| Antonius Zavadskij | 1724-1727 |
| Cornelius Lebeckyj | 1727-1729 |
| Antonius Tomylovyč | 1730-1736 |
| Basilius Polatylo | 1736-1742 |
| Patritius Zyravskij (Ruthen.) | 1739-1741 |
| Polycarpus Myhunevyč | 1743-1747 |
| Hypatius Bilynskij | 1747-1751 |
| Heraclius Lisanskyj | 1751-1759 |
| Hypatius Bilynskij | 1759-1772 |

18. Procuratores Generales in Urbe

| | |
|------------------------|-----------|
| Hilarion Kruševyč | 1709-1712 |
| Benedictus Trulevyč | 1712-1726 |
| Patritius Zyravskij | 1726-1729 |
| Ignatius Kulčynskij | 1729-1736 |
| Maximilianus Zavadskij | 1736-1740 |
| Caesarius Stebnovskij | 1740-1744 |
| Athanasius Czarkovskij | 1744-1747 |
| Januarius Znojovskij | 1747-1752 |
| Basilius Boshovych | 1752-1757 |
| Hieronimus Oziemkyevič | 1757-1760 |
| Ignatius Wolodzko | 1760-1772 |

19. Capitula Generalia Basilianorum

| | |
|---------------------------|------|
| Bilaense I | 1709 |
| Vilnense VI (IV) | 1713 |
| Novogrodecense V (VI) | 1717 |
| Chelmenese | 1719 |
| Novogrodecense VI (VII) | 1719 |
| Bytenense III | 1726 |
| Novogrodecense VII (VIII) | 1730 |
| Bytenense IV | 1736 |
| Leopoliense (Ruthen.) | 1739 |
| Dubnense I | 1743 |
| Berestense I | 1747 |
| Berestense II | 1751 |
| Berestense III | 1759 |
| Berestense IV | 1772 |

20. Archiepiscopi Gnesnenses**Primates Poloniae**

| | |
|-----------------------|-----------|
| Stanislaus Szembek | 1706-1721 |
| Theodorus Potocki | 1721-1738 |
| Christophorus Szembek | 1738-1748 |
| Adamus Komorowski | 1748-1759 |
| Vladislaus Lubienski | 1759-1767 |
| Gabriel Podoski | 1767-1777 |

21. Archiepiscopi Leopoliens. latini

| | |
|------------------------|-----------|
| Nicolaus Popławski | 1709-1711 |
| Joannes Skarbek | 1711-1733 |
| Nicolaus Wyżycki | 1733-1757 |
| Nicolaus Dembowski | 1757 |
| Vladislaus Lubienski | 1757-1759 |
| Venceslaus Sierakowski | 1760-1780 |

22. Episcopi Cracovienses

| | |
|-----------------------|-----------|
| Casimirus Lubienski | 1711-1720 |
| Felicianus Szaniawski | 1721-1732 |
| Joannes Lipski | 1732-1747 |
| Andreas Załuski | 1747-1757 |
| Caietanus Sołtyk | 1757-1782 |

23. Episcopi Peremyssienses latini

| | |
|-----------------------|-----------|
| Joannes Bokum | 1702-1718 |
| Christophorus Szembek | 1718-1724 |
| Alexander Fredo | 1724-1734 |

| | |
|------------------------|-----------|
| Valentinus Czapski | 1735-1741 |
| Venceslaus Sierakowski | 1741-1759 |
| Michaśl Wodzicki | 1759-1763 |
| Valentinus Weżyk | 1763-1766 |
| Andreas Młodziejowski | 1766-1768 |
| Josephus Kierski | 1768-1783 |

24. Episcopi Vilnenses

| | |
|--------------------------|-----------|
| Constantinus Brzostowski | 1687-1722 |
| Matthias Ancuta | 1722-1723 |
| Carolus Pancernyński | 1723-1729 |
| Michael Zienkiewicz | 1730-1762 |
| Ignatius Massalski | 1762-1794 |

25. Episcopi Chelmenses latini

| | |
|-----------------------|-----------|
| Casimirus Lubienski | 1705-1711 |
| Theodorus Wolff | 1712 |
| Christophorus Szembek | 1712-1718 |
| Alexander Fredro | 1718-1724 |
| Stanislaus Hozyjusz | 1724-1732 |
| Felix Szaniawski | 1732-1733 |
| Josephus Szembek | 1733-1752 |
| Valentinus Weżyk | 1752-1764 |
| Felix Turski | 1764-1770 |

26. Episcopi Luceorienses latini

| | |
|-------------------------|-----------|
| Alexander Wyhowski | 1702-1714 |
| Joachimus Przebendowski | 1714-1721 |
| Stephanus Rupniewski | 1721-1731 |
| Joannes Lipski | 1731-1732 |
| Andreas Załuski | 1732-1739 |
| Franciscus Kobielski | 1739-1755 |
| Antonius Wołłowicz | 1755-1769 |

27. Imperatores S. Romani Imperii

| | |
|----------------------|-----------|
| Carolus VI | 1711-1740 |
| Carolus VII Albertus | 1742-1745 |
| Franciscus I | 1745-1765 |
| Maria Theresia | 1765-1780 |
| Josephus II | 1765-1790 |

28. Czar Moscoviae

| | |
|-------------|-----------|
| Petrus I | 1782-1725 |
| Catharina I | 1725-1727 |

| | |
|--------------|-----------|
| Petrus II | 1727-1730 |
| Anna | 1730-1740 |
| Joannes VI | 1740-1741 |
| Elisabeth | 1741-1762 |
| Petrus III | 1762 |
| Catharina II | 1762-1796 |

29. Reges Poloniae**Magni Duces Lithuaniae**

| | |
|-------------------------------|-----------|
| Federicus Augustus II (2 v.) | 1709-1733 |
| Stanislaus Leszczyński (2 v.) | 1733-1734 |
| Federicus Augustus III | 1733-1763 |
| Stanislaus Poniatowski | 1764-1795 |

30. Duces (Hetman) cosacorum

| | |
|----------------------|-----------|
| Joannes Skoropadskyj | 1708-1722 |
| Philippus Orlyk | 1710-1742 |
| Faulus Polubotok | 1722-1724 |

| | |
|----------------------|-----------|
| Collegium | 1724-1727 |
| Daniel Apostol | 1727-1734 |
| Collegium | 1734-1750 |
| Cyrillus Rozumovskyj | 1750-1764 |

31. Cancellarii Regni Poloniae

| | |
|-----------------------|-----------|
| Andreas Załuski | 1702-1711 |
| Joannes Jabłonowski | 1706-1709 |
| Joannes Szembek | 1711-1731 |
| Andreas Załuski | 1735-1746 |
| Joannes Małachowski | 1746-1762 |
| Andreas Zamoyski | 1764-1767 |
| Andreas Młodziejowski | 1767-1780 |

32. Magni Cancellarii Lithuaniae

| | |
|-----------------------|-----------|
| Carolus Radziwiłł | 1698-1719 |
| Michael Wisniowiecki | 1720-1730 |
| Joannes Sapieha | 1735-1751 |
| Federicus Czartoryski | 1751-1775 |

INDEX GENERALIS

| | |
|---|-----|
| <i>Dedicatio</i> | V |
| <i>Praefatio</i> | VII |
| <i>Introductio</i> | IX |
| <i>Nota Biographica Ep. Gregorii Chomyšyn</i> | XI |

EPISTOLAE LEONIS KIŠKA

| | |
|---|----|
| Leonis Kiška imago | 3 |
| Leonis Kiška biographia | 5 |
| Leonis Kiška documenta biographica romana | 9 |
| Leonis Kiška epistolae (1700-1728) | 11 |

EPISTOLAE ATHANASII SZEPTYCKYJ

| | |
|---|-----|
| Athanasii Szeptyckyj imago | 153 |
| Athanasii Szeptyckyj biographia | 155 |
| Athanasii Szeptyckyj documenta biographica romana | 157 |
| Athanasii Szeptyckyj epistolae (1718-1746) | 171 |

EPISTOLAE FLORIANI HREBNYCKYJ

| | |
|--|-----|
| Floriani Hrebnyckyj imago | 229 |
| Floriani Hrebnyckyj biographia | 231 |

| | |
|---|-----|
| Floriani Hrebnyckyj documenta biographica | 233 |
| Floriani Hrebnyckyj epistolae (1727-1762 | 247 |

INDICES

| | |
|---|-----|
| Index nominum et rerum | 415 |
| Elenchi Pontificum, Regum, Nuntiorum, Metropolitanarum, etc | 441 |

“ ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. ”

Ex Sectione tertia « DOCUMENTA ...ex ARCHIVIS ROMANIS »

Monumenta Bio-Hagiographica

S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis
vol. I: 1623-1628, Romae 1952;
vol. II: 1628-1637, Romae 1955;
vol. III: 1637-1867, Romae (paratur).

Documenta Pontificum Romanorum

Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia,
vol. I: 1075-1700 (pp. 708), Romae 1953;
vol. II: 1700-1953 (pp. 680), Romae 1954.

Acta S. Congregationum

Acta S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarussiae spectantia,
vol. I: 1622-1667, Romae 1953;
vol. II: 1667-1710, Romae 1954;
vol. III: 1710-1740, Romae 1954;
vol. IV: 1740-1769, Romae 1955;
vol. V: 1769-1862, Romae 1955;

Litterae S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarussiae spectantes,

vol. I: 1622-1670, Romae 1954;
vol. II: 1670-1710, Romae 1955;
vol. III: 1710-1730, Romae 1956;
vol. IV: 1730-1758, Romae 1957;
vol. V: 1758-1777, Romae 1957;
vol. VI: 1777-1790, Romae 1957;
vol. VII: 1790-1862, Romae 1957;

Congregationes Particulares Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarussiae spectantes,

vol. I: 1622-1728, Romae 1956;
vol. II: 1729-1862, Romae 1957;

Epistolae Metropolitanarum et Episcoporum

Epistolae Josephi Velamin Rutskyj (1613-1637), Romae 1956.
Epistolae R. Korsak, A. Sielava, G. Kolenda, (1637-1674), Romae 1956.
Epistolae C. Zochovskyj, L. Zalenskyj, G. Vynnyckyj (1674-1713), Romae 1958.
Epistolae L. Kiszka, A. Szeptyckyj F. Hrebnyckyj (1714-1762), Romae 1959.

Litterae Nuntiorum Apostolicorum

Litterae Nuntiorum Apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550-1850)
vol. I: 1550-1593, Romae 1959;
vol. II: 1594-1608, Romae 1959;
vol. III: 1609-1620, Romae 1960;

Diplomata Imperatorum, Regum, Principum (parantur)